Latin
571.1
S
Coll. Coll.

T. LUCRETII CARI

DE RERUM NATURA

LIBRI SEX.

10653

LL
L9424W.2

T. LUCRETII CARI

DE RERUM NATURA

LIBRI SEX;

AD EXEMPLAR GILBERTI WAKEFIELD, A. B.

CUM EJUSDEM

NOTIS, COMMENTARIIS, INDICIBUS,

FIDELITER EXCUSI.

ADJECTÆ SUNT

EDITIONUM QUINQUE, IN QUIBUS PRINCIPIS, FERRANDI,

LECTIONES VARIANTES OMNES;

UT ET INTEGRÆ RICARDI BENTLEII

ANNOTATIONES, ILLUSTRATIONES, CONJECTURÆ,

EX IPSIUS AUTOGRAPHO,

IN MUSÆO BRITANNICO CONSERVATO.

VOLUMEN TERTIUM.

GLASGUÆ:

Excudebat Andreas Duncan, Academiæ Typographus.

VENEUNT APUD BELL & BRADFUTE; GUL. LAING;

DOIG & STIRLING; ET ARCH. CONSTABLE & SOCIOS, EDINBURGI:

ET ANDREAM DUNCAN, GLASGUÆ.

1813.

AD LUCRETIUM.

DOCTE POETA, vale! ternos mihi cura per annos;
  Et nunc cura mihi: DOCTE POETA, vale!
Lucida dum rutilo Sol spicula mittet ab arcu,
  Dum mare fluctifrago litore lædet aquas,
Dum tempestates variabunt quatuor annum,
  Usque recente tuus laude virebit honos.
Forsitan et nostrum per sera volubilis ævi
  Tempora cum CARI nomine nomen eat.
Merces parta mihi, sociis volitabit in undis
  Parva comes magnæ si mea cymba rati;
Posteritasque meos dicet testata labores,
  "Nonne patrocinio dignius illud opus?"
Certe venturis ita vociferabitur annis
  Nænia Pierio nostra notanda choro:
"Sceptra Britannorum dum TERTIUS iste teneret
  "GEORGIUS, in lucem prodiit hicce liber!"
Audax ille nimis, nimis ævo credulus ille,
  Qui tali tantum carmen adivit ave.

Munera sin rabidi Martis dilecta fuissent
  Ante sodalitium, Castali turba! tuum;
Bellonæ ac Furiis me gens devota putasset
  Tum mihi, tum melius consuluisse meis.
Nec tamen his studiis impensas pœnitet horas,
  Nec curâ vires attenuasse gravi;
Sol licet ex Œtâ millesimus erigat ignes,
  Et totiens niveis Luna recurrat equis,
Te mihi per RERUM NATURAM, maxime Vates!
  Sectanti propero nocte dieque gradu:
SIVE canis magnos primordia condere mundos,
  Nec vacuo fines corporibusque dari:
SIVE regi casu, alternisque a morte renasci,
  Rursus et alternis cuncta perire, doces:
SIVE, quod afficiant pariter cum corpore mentem
  Debilitas, senium, perpetuusque sopor:
SEU varios aperis subtili carmine Sensus;
  Quâ Somnus vigeat, quâ ratione Venus:
NATALEMVE refers cœli, terræque, marisque;
  Utque suum sensim vita cacumen adit:
IRIDAQUE, et pluvias, ventosque, polique tumultus,
  Qui Siculos vortex flammeus undet agros;
Flumina Magnetis, tot prodigialia rerum;
  Pestis Athenæas quæ popularit opes.——
Hinc nullo saltem, vitæ dum tædia fallo,
  Corripuit strepitu Temporis ala fugam:

Perluit hinc saltem, lenimen dulce laborum,
  Rore papavereo lumina prona Sopor.
Non mactatorum mala mens sibi conscia fratrum
  Horribili increpuit sæva flagella sono.
Non prædo rapui, quas, committente Magistro,
  Debueram fidus pascere tutor oves.
Angorem effugi, quo dilacerantur in horas
  Durum eluctantes ambitionis iter.
Interea, nubes borealibus horrida belli
  Quæ diro intonuit rupta fragore plagis;
Inde procelloso tremefecit turbine serpens
  Oceani metas, occiduamque domum.
Tot conjuratæ coïere in prælia turmæ,
  Quot folia Auctumni frigore læsa cadunt.
Attonitum quæ torva globum concussit Erinnys?
  Quæ Stygiis Ate missa cruenta vadis?
Exuit humanos Christi gens effera cultus;
  Et tigrides referens, seminiumque leæ.
Cui gladium tractare nefas, qui fœdere sancto,
  Semet uti, socium debet amare suum;
In fratris jugulum vibrare ferociter ensem
  Gestiit, ac diram cæde levare famem.
Quot mihi, cum turbis te conflictante latronum,
  Gallia, sanguinei præteriere dies!
Quam metui, ne quid potor te læderet Istri!
  Ne gens officeret, proh pudor! Angla tibi.

Cumque triumphatis dominantior omnibus ires,
  Implevere meos gaudia quanta sinus!
Culmina Pieridum piguisset adire, LUCRETI!
  Sirenasque adeo sic poliisse tuas;
Fulminis afflatu veluti, nisi GALLIA posset
  Obstantum rabidas dissoluisse minas.
Phœbe novemque Deæ! cum Libertate vigetis,
  Succiditisque iidem, Phœbe novemque Deæ!
Aonidumne, sacros animosis cordibus, amnes
  Infami servum polluet ore pecus?
Sæpe lubens recolo, penetralibus abdita mentis,
  Quæ grave Mæonidis carmina fatur epos:
" CUI Deus omnituens servili induxerit almum
  " Nube diem, virtus dimidiata perit."
Libertas! ideo properes; properate, sorores
  Castaliæ! Faustas consocietis opes.
Tartareas abeat detrusa Tyrannis ad umbras,
  Ac beet humanum lux sine labe genus!

G. W.

AD LECTOREM.

TANDEM aliquando, docte Lector! ac benevole, mea LUCRETII editio perducta est ad umbilicum. Et certe, in hoc opere absolvendo mecum reputans quid effecerim, mihimet gratulari soleo, nec sine plausibus etiam et admiratione, quod in alienissimis omnium temporibus,

> Quippe ubi fas versum atque nefas, tot bella per orbem,
> Tam multæ scelerum facies;—

cum parcissimo divitum patrocinio, nullis doctorum collationibus adjutus, hortamentis nullis animatus, vel obtrectantium meis studiis, vel non faventium et oscitanter inspectantium; sic positus, inquam, atque tot difficultatibus præpeditus, de pertinaciâ meâ diligentiâque non possum non honorificentissime sentire, quod opus exegerim privatus, quale, si vel ακριβειαν operarum vel nitorem spectes, ex officinis Anglicanis nunquam prodierit; non ex Academiâ dicam meâ CANTABRIGIENSI, sed ne ex typographeo quidem illo OXONIENSIUM Clarendoniano. Qui Musarum ingenti sint amore medullitus percussi, atque nobilissimum poëtam quam castissime exhibitum, vel, ut verum loquar, restitutum reformatumque, velint legere, hi saltem meos labores non aspernabuntur; et hujusce seculi experientia jamdudum fecit, ut nullos alios fautores sperem:

Αιτιζων ακολυς, υκ αορας, υδε λεβητας.

Isti sane, qui res imperii nobis administrant, vel potius pessum dant, in bella quævis scelestissima, in servitutem propagandam, in homines cumulatissime trucidandos, pecuniam ὁλῳ θυλακῳ publicam parati sunt impendere; sed literarum asseclis, qui talia flagitia exsecrantur, nihil habent, ne teruncium quidem unum, quod largiri velint, præter vilissimum illud ignavorum solatiolum, Θερμαινεσθε και χορταζεσθε. His de caussis propositum meum de Statio poliendo, cujus mentionem intuli in notis ad lib. v. ver. 376. omnino abjudicandum censeo, donec ordo rerum melior nascatur; qualem indies exspectare non absurdum est. Hoc si me vivo fiat ac vigente, illico vultum sumam multa minantis et præclara; neque enim ex illis sum, qui domi malint otiantes, atque aliorum diligentiam maligne vellicantes, ætatem desidem consumere, ne videantur non impeccabiles, quam in humanos errores, et intra veniæ spem positos, subinde cadere. Illa nimirum Pindarica nobis impense placent, et placuerunt semper:

—— ει δε τις ενδον νεμει
πλουτον κρυφαιον,
αλλοισι δ' εμπιπτων γελα·
ψυχαν αϊδα τελεων ου
φραζεται δοξας ανευθεν.

Sed enim, ut hæc omittam, animum advertere te, Lector! velim, meos commentarios, utcunque prolixiores, brevitati studiosissime consuluisse in MSS. designandis, et auctoribus indicandis; ut emptores libri mercem justissimam haberent. Index autem criticus, qui longe uberior ad speciem exhiberi potuisset, si in commutatis dictionibus recensendis articulum utrobique posuissem, quod alii non prorsus inutiliter fecerunt; is, inquam, multo est omnium suo genere pro mensurâ operis, quos equidem noverim, perfectissimus: et in eo, nisi fallar, multa subsidia ad corruptelarum propulsationes docti lectores sunt experturi. Artem vero criticam, quatenus in explicandis et emendandis veterum scriptis versari solet, nondum habere nisi infantiam suam

prorsus arbitror; imo, vix incunabulorum vagitum desiit. Donec indices utique, nostro similes, super omnibus auctoribus utriusque linguæ pariter contexantur, et mutuæ dictionum singularum in MSS. commutationes diligentissime denotentur, ac declarentur; hoc literaturæ genus prospere satis procedere neutiquam valebit. Nos certe hac de re multa minime inutilia molimur; nunquam tamen forsitan ad bonos exitus præ deformitate temporum perducenda.

Mihi interea liceat cum gravissimis illis, atque valde consolatoriis, Vitruvii verbis huic præfationi finem ponere:

" Ea vera præsidia sunt vitæ, quibus neque fortunæ tempes-
" tas iniqua, neque publicarum rerum mutatio, neque belli vas-
" tatio, potest nocere. Ego autem non ad pecuniam parandam
" ex arte dedi studium, sed potius tenuitatem cum bonâ famâ,
" quam abundantiam cum infamiâ, sequendam putavi: ideo no-
" tities parum est adsecuta; sed tamen, his voluminibus editis,
" ut spero, posteris etiam ero notus." Vale!

Dabam e Musæo meo
prope Londinum,
Novemb. die xvi. 1797.

TITI LUCRETII CARI

DE RERUM NATURA

LIBER QUINTUS.

T. LUCRETII CARI

DE RERUM NATURA

LIBER QUINTUS.

QUIS potis est dignum pollenti pectore carmen
Condere, pro rerum majestate, hiisque repertis?
Quisve valet verbis tantum, qui fingere laudes

VER. 1. *pollenti:* P. *palanti;* V. ed. *pallentis;* B. O. Δ. Π. Σ. Ω. *pallenti.*

Ibid. *pollenti pectore.* Sic absolute, sine appenso nomine, Sallustius, Jug. xxx. 4. "*facundia* clara, *pollens*que—."

Ver. 2. In hoc loco perdifficili constituendo, propter lectionum intractabilium dissimilitudinem, nihil positis melius invenio; quæ priores editores se testantur in exemplis scriptis offendisse, sed ipse suspicor ipsorum ingenio deberi. P. Vind. V. ed. B. O. Δ. Π. Ω. habent *majestatisque repertis:* et aliquantulum dubitabam, an phrasis *repertis rerum majestatisque* per hendyaden posset accipi, pro *repertis magnificarum rerum;* sed necesse habui hoc consilium repudiare. L. M. Σ. *majestatis atque repertis;* unde nonnulli rescribere tentaverunt:

——— pro rerum *majestate*, *atque* repertis

sed alteram viam rectiorem puto.

Ibid. *Condere carmen.* Sic Virgilius, ecl. x. 50.

Ibo, et Chalcidico quæ sunt mihi *condita* versu
Carmina, pastoris Siculi modulabor avenâ.

Alibi, in i. 26. *pangere* versus noster maluit; i. e. compingere, struere, condere, ædificare. Ammianus Marcellinus, xxiv. 7.—" naves,—quas, profuturas *pangendis* " *pontibus*, disposuit vehi carpentis—."

Ibid. *pro rerum majestate.* Aurelius Victor, Cæs. xlii. 23. de Juliano: " Placidus, clemensque; *pro negotio*, literarum ad elegantiam prudens." Quem locum ideo apposui, quia vitiosissime interpungi soleat in editis.

Ver. 3. *qui:* P. *quis.*—*fingere:* sic omnes, omne genus, libri veteres: valeant igitur importuni correctores cum suis *fundere*, *pingere*, atque aliis vanissimis conjecturis. *Fingere laudes*, pro " laudativum carmen fingere," facilis est

Pro meritis ejus possit, qui talia nobis,
5 Pectore parta suo quæsitaque, præmia liquit?
Nemo, ut opinor, erit, mortali corpore cretus.
Nam, si, ut ipsa petit majestas cognita rerum,
Dicundum est, Deus ille fuit, Deus, inclute Memmi!
Qui princeps vitæ rationem invenit eam, quæ

atque probissima locutio, neque scitum quemlibet remorabitur.—Porro, in versu sequente, P. *quis*, et L. *quia*, pro *qui*.

Ver. 5. *Pectore parta:* non, ut alii; qui *vi* et *armis* sua acquisiverint: quæ notanda est antithesis. Virgilius, Æn. xi. 24.

——— egregias animas, *qui sanguine* nobis
Hanc *patriam peperere* suo:

ut quidam veteres legunt, longe doctius et exquisitius, pro vulgari *quæ*.

Ibid. *præmia:* i. e. fructus et commoditates vitæ; conferas iii. 912. 969. Glossæ veteres: "*Præmium*, γερας." Pulchre Virgilius, de curis Aristæi apiariis, geo. iv. 326.

——— hunc ipsum vitæ mortalis *honorem*—.

Ver. 7. *Nam:* P. *Nemo.*—*si ut:* V. ed. B. Π. *sicut;* Δ. *sic*, eraso vocabulo sequente; Σ. *sit ut: t* cum *c* mutatâ. Quædam exemplaria Lactantii, iii. 14. habent *sic*, et *sicut*.

Ibid. *si ut:* elisione vocalis non factâ; quod nuper vidimus, ad iv. 1054.

Ver. 8. *est* omittit Π.—*ille:* M. *ipse*.

Ibid. *Deus ille fuit.* Hunc locum prorsus respiciebat Cicero, Tusc. dispp. i. 21. "Quæ quidem cogitans, soleo sæpe "mirari nonnullorum insolentiam philo- "sophorum, qui naturæ cognitionem ad- "mirantur, ejusque *inventori* et *principi* "gratias exsultantes agunt; eumque *ve-* "*nerantur, ut deum:* liberatos enim se "per eum dicunt gravissimis dominis" (vide ver. 88.), "terrore sempiterno, et "diurno ac nocturno metu." Faber. Idem Cicero, orat. post redit. in senat. 4. init. "Princeps P. Lentulus, *parens*" (vide nostrum, iii. 9.) "ac *deus* nostræ "vitæ, fortunæ, memoriæ, nominis—." Columella, de re rust. i. 1. 30.—"nec "parens eloquentiæ, *deus* ille Mæonius—." Arnobius, lib. i. p. 24.—"tamen, pro "multis et tam liberalibus donis, quæ "ab eo profecta in nobis sunt, *deus* dici "appellarique deberet." Nec immemor magistri Virgilius, ecl. v. 64.

——— Deus, Deus ille, Menalca!

Ad hæc respexit Gratius etiam in cyneg. 96. varie corruptus, sed meâ operâ jam nunc, ut arbitrer, emaculatior legendus:

O felix, tantis quem primum industria rebus
Prodidit auctorem! Deus *illa*, *aut* proxima Divos,
Mens fuit, in cæcas aciem quæ *gnava* tenebras
Egit, et ignarum perfudit lumine vulgus.

Vulgo legitur, "deus *ille, an;*" et, "quæ "*magna* tenebras." Addam Dioscoriden, in epig. de Æschylo, quod viri docti nondum dederunt probe emendatum:

——— ω στομα παντων
Δεξιον αρχαιων, ησθα τις ἡμιθεων.

Ver. 9. *princeps:* i. e. primus; in quâ notione tritum est vocabulum Romanis: redeas ad i. 95. Isidorus, origg. ix. 3. "*Princeps* et dignitatis modo significatur, "et *ordinis;* sicut est illud Virgilianum," (Æn. ix. 535.)

"*Princeps* ardentem conjecit lampada Turnus;

"pro *primus*." Videas etiam veteres interpretes ad Horat. od. iii. 30. 13. Non aliud voluit scriptor ad Hebræos disertissimus, ii. 10. τον ΑΡΧΗΓΟΝ της σωτηριας· "*principem* salutis:" qui locus est in maxime appositis. Idem S. Lucas maluit δια δυσιν efferre, in actt. apostt. v. 31. Τυτον ὁ Θεος ΑΡΧΗΓΟΝ και ΣΩΤΗΡΑ ὑψωσε τῃ

10 Nunc adpellatur Sapientia; quique per artem
Fluctibus e tantis vitam, tantisque tenebris,
In tam tranquillo, et tam clarâ luce, locavit.
Confer enim divina aliorum antiqua reperta:
Namque Ceres fertur fruges, Liberque liquoris
15 Vitigeni laticem, mortalibus instituisse;

δεξιᾳ αὐτȣ—. Plutarchus, in Alcibiadis initio: Το Αλκιβιαδȣ γενος ανωθεν Ευρυσακην, τον Αιαντος, ΑΡΧΗΓΟΝ εχειν δοκει—.

Ibid. *princeps invenit.* Cicero, de orat. i. 11. " Sed ego, neque illis assentiebar, " neque harum disputationum *inventori* " et *principi*,—Platoni."

Ibid. *vitæ rationem:* i. e. regendæ vitæ *disciplinam.* Cicero, de finn. i. 5.— " prima veniat in medium *Epicuri ratio*, " quæ plerisque notissima est; quam a " nobis sic intelleges expositam, ut ab " ipsis, qui eam *disciplinam* probant, non " soleat adcuratius explicari."

Ver. 10. *adpellatur:* V. ed. *appelletur;* ut in præcedente, *tam*, pro *eam.*—*quique:* Π. *quippe.*

Ibid. *Sapientia.* Pythagoras autem, uti discimus ex M. Tullio, huic arroganti nimis nomini *philosophiam*, sive amorem sapientiæ, modestior prætulit. Afranius, apud Gellium, xiii. 8.

Usus me genuit, mater peperit Memoria:
Sophiam vocant me Graii, vos *Sapientiam.*

Ibid. *per artem.* Redi animadversa in iv. 845. sic etiam Manilius, i. 51.

Hi tantum novere decus; primique *per artem*
Sideribus videre vagis pendentia fata.

Ver. 11. *Fluctibus, tenebris:* " nec " nocturnis sideribus scilicet viam per " mare turbidum atque caliginosum a- " perientibus, nec diurno sole." Locus est ornatu verborum, ac proprietate, perfectissimus. Maro, Æn. iii. 203. partes secundas optime tractabit, et illustrabit nostrum:

Tris adeo, incertos cæcâ caligine, soles
Erramus pelago; totidem sine sidere noctes.

Ver. 12. *tranquillo:* Δ. *tranquilla*, pro var. lect. male. Mantuanus ille, Æn. v. 127.

Tranquillo silet——:

i. e. in *tranquillitate* pelagi. Pariter alii sæpenumero: sed appositus est in primis Lucilii versiculus, quem Lambinus ex Nonio, iv. 413. ad Lucretium illustrandum transtulit:

Quodque te *in tranquillum ex* sævis transfert *tempestatibus.*

Quum vero noster philosophiam Epicuri *tranquillitatem* vocitet, huic disciplinæ rectissimum nomen posuit: committas enim ii. 15—37. iii. 24. cum gemellis locis. Pariter Plutarchus, philos. esse cum principibus, p. 778. B. Και τοι Επικȣρος, Τἀγαθον εν τῳ βαθυτατῳ της ἡσυχιας, ὡς περ εν ακλυσστῳ λιμενι και κωφῳ, τιθεμενος, τȣ εν πασχειν το ευ ποιειν ȣ μονον καλλιον, αλλα και ἡδιον, ειναι φησι. Et sic divinitus Nazaræus ille, cujus S. Lucas præceptum tradidit, ad actt. apostt. xx. 35. nobis illustratum in Silv. Crit. iv. p. 119. et seqq. ut hoc in transcursu moneam.

Cæterum, pro *locavit*, vetustissimæ membranæ L. M. *vocavit:* quam lectionem minus idoneam loco dixerim.

Ver. 13. *Confer:* V. ed. *Cum fet;* pro *Cum fer:* nam sæpissime *con* et *cum* permutata sunt.—*aliorum:* B. *illorum.* Versus integer deest Σ.

Ver. 14. *fruges:* L. *frugesque.*—*Liberque:* V. ed. *liber.*

Ibid. *liquoris Vitigeni laticem.* Non absimiliter ille nostri sectator Arnobius, i. p. 2. " Sapor *frugibus* esculentis, et *vi-* " *teis liquoribus*, mutatus est?"

Ibid. *Ceres fertur fruges mortalibus*

Quom tamen hiis posset sine rebus vita manere;
Ut fama est, aliquas etiam nunc vivere genteis:
At bene non poterat sine puro pectore vivi.
Quo magis hic merito nobis Deus esse videtur:
20 Ex quo nunc etiam, per magnas didita genteis,
Dulcia permulcent animos solatia vitæ.

instituisse. Virgilius hunc locum respiciebat, ad geo. i. 147.

Prima *Ceres* ferro *mortalis* vertere terram
Instituit.

Porro, V. ed. *Virigeni:* et mox, in ver. 16. *monere.*

Ver. 16. *hiis sine rebus:* sustenta scilicet radicibus, feris fructibus, et ακροδρυοις, sive teneris ramusculorum cacuminibus. Ammianus Marcellinus, xiv. 4. fin. "Victus universis (Saracenis) caro ferina est, "lactisque abundans copia, quâ sustentantur; et herbæ multiplices, et, si quæ "alites capi per aucupium possint; et "plerosque nos vidimus *frumenti usum* "*et vini penitus ignorantes.*"

Ver. 17. *etiam nunc.* Hanc formam restitue Virgilio, ad geo. iv. 135. pro vulgari *etiamnum;* suffragio etiam Lucretii pluribus codicibus accedente. Istam scilicet auricularum fastidium aures masculæ Maronis, opinor, nescivere.

Ver. 18. *bene:* P. *bone.* Versus abest B.

Ibid. *puro pectore:* i. e. animo philosophiæ præceptis atque institutis perpurgato.

Ibid. *bene vivi.* Sic alii locuti sunt, et Horatius, quem ideo apponam, ut certissimâ mactem emendatione, ad od. ii. 16. 15.

Vivitur parvo *bene*, cui paternum
Splendet in mensâ tenui salinum;
Nec *levis* somnos timor, aut cupido
Sordidus, aufert.

Sic legendum: libri, *leves.* Nempe, *timor levis* est fluctuans et instabilis; qui homines ανορθοι et αναπαυστεροι· vel inquietos, vigiles, ac suspensos, facit. Sic clausulæ commodissime respondent, suis epithetis instructæ; timor *levis*, cupido *sordidus.* Elegantem suam integritatem locus aliter haud habuerit. Quid, quod ineptissime dicantur *leves somni*, (non turbari, non interrumpi) sed *auferri?* Quum sequatur inde, somnos divitum etiam, non minus quam pauperum, *leves* esse, quamvis *auferantur:* quo quid absurdius, et poëtæ menti minus congruum? Vide plura, ad ver. 862. hoc libro, de hac verissimâ, ut opinor, emendatione.

Ver. 20. *didita:* P. Vind. O. Π. Σ. Ω. *dedita.*

Ver. 21. *animos:* M. *animum;* i. e. *animō*, vel *aīo:* unde est enatus error.

Ver. 22. *Herculis.* Mallem reliquisse scriptum *Hercolis.* Priscianus, lib. i. p. 554.— "Romanorum—vetustissimi—dicentes—*Hercolem*, pro *Herculem*—." Gruteri inscriptiones, tom. i. p. 6. atque alibi, non aliud testimonium tribuunt:

I. O. M.
JUNONI. MAGNÆ
HERCOLI
ET. GENIO. LOCI.

Ibid. *antistare.* Fulgentius, de prisco sermone, sect. 28. "*Antistare*, dicimus "præcellere. Crispinus Heracleâ: Divinis virtutibus *antistas*, Alcides." Cornelius Nepos, iii. 1. 2. "In his autem "cognitum est, quanto *antistaret* eloquentia innocentiæ." Ad quem locum doctis animadversoribus plura exempla suppeditantur.

Ver. 23. *multo:* Π. *longe.*—*ferere:* M. *referre.*

Ver. 24. *Nemœus:* Vind. Σ. *Nemeus;* V. ed. *ve meus;* quod eodem redit: O. *moriens;* Ω. autem, *veniens.*

Herculis antistare autem si facta putabis,
Longius a verâ multo ratione ferere.
Quid Nemeæus enim nobis nunc magnus hiatus
25 Ille leonis obesset, et horrens Arcadius sus?
Denique, quid Cretæ taurus, Lernæaque pestis,
Hydra, venenatis posset vallata colubris?

Ibid. *Nemeæus hiatus leonis.* Formula est sermonis adamata Lucretio, pro *hiatus Nemeæi leonis:* redeas ad ea, quæ diximus in i. 120. 475. et alibi sæpius. Et *hiatus leonis* schema est poëticum in longe speciosissimis, vice τυ "leo patulis fauci-"bus instructus," vel *hians leo.* Nihil succurrit dignius, quod cum hoc specimine comparetur, quam gemellum tentamen felicissimum in Stratonis epig. 32.

ΘΡΙΠΟΣ εγω και ΣΥΡΜΑ ΤΕΡΗΔΟΝΟΣ ειθε γενοιμην·

i. e. θριψ και τερηδων συρομενος, vel ἑρπηστικος· uti probe Brunckius animum advertit. Nec operam non tempestivam Nonnius navabit nobis, in Dionys. ii. p. 78.

Πη κεφαλαι σκυλακων; πη ΧΑΣΜΑΤΑ κυνα ΔΡΑΚΟΝΤΩΝ,
Και χρονιον μυκημα βαρυφθογγων στο λαιμων;
Πυ δε δρακοντειης δολιχοσκιος ΕΙΡΜΟΣ εθειρης;

Sic rescribendum in postremo versu: vulgo, ιος· sed appellatur idem pari nomine ΌΛΚΟΣ εθειρης sub finem libri tertii. Ennius autem nobis non est prætereundus, fragm. annal. i.

Olli respondet suavis *sonus Egeriaï:*

quæ valde elegans ingenium resipiunt. Et multo minus, Lucretium imitatus, Manilius, ad v. 206. cujus versiculi comparatio Bentleianæ memoriæ debetur:

Cum vero in *vastos* surgit *Nemeæus hiatus*——.

Nec nimietatis postuler, si morer, dum macula pulchro Alcæi Messenii poëmatio abstergeatur, quod legitur in tom. i. p. 488. Brunckii analect.

Τῳ δε λεων ηντησε πελωριος· ὡς επι θοινην,
ΧΑΣΜΑ φερων ΧΑΡΟΠΟΝ πυναλεω φαρυγος.

Vulgo, χαλεπον. Confer Hom. Od. Λ. 610. et Hesychium in voce, quam reposuimus.

Ver. 25. *obesset:* Vind. V. ed. Σ. *abesset;* Π. *abest.*

Ibid. *horrens sus.* Virgilius, Æn. i. 634.

——————— magnorum *horrentia* centum
Terga *suum*——.

Ver. 26. *Lernæa pestis.* Ovidius, epist. ix. 61.

Nempe, sub his animam *pestis Nemeæa* lacertis
Edidit——.

Ibid. *Lernæa pestis Hydra vallata colubris.* Ad hæc se Seneca composuit, in Herc. Œt. 1192. sed eleganter ac perite variavit:

Utinam meo cruore satiasset suos
Nemeæa rictus pestis! aut, centum *anguibus*
Vallatus, Hydram tabe pavissem meâ!

Virgilianam structuram secutus, Æn. viii. 300. Cæterum, Florus etiam hunc locum imitatus est, *tumidus* Dukero vocatus, ad i. 1. 14. "Hic et urbem, Herculi condi-"tam, Capsam, in mediâ Africâ sitam, "*anguibus* arenisque *vallatam,* mirâ qua-"dam felicitate superavit:" haud immemor interea nostri superius, ad ii. 538.

Ver. 28. *tripectora:* Π. *tripectoris.*—*vis Geryonaï:* P. *quoque Geryonæ vis;* Vind. V. ed. O. *vis Geryona;* Σ. *vis Geryonis;* Ω. *vis Geryonæa.* Δ. autem, *tergeminusve Geryona.*

Ibid. *tripectora vis.* Noluit eandem prorsus dictionem Virgilius, sed non mi-

Quidve tripectora tergemini vis Geryonaï,
Et Diomedis equei, spirantes naribus ignem,
30 Thracia, Bistoniasque plagas, atque Ismara propter?
Tanto opere obficerent nobis [uncisque timendæ
Unguibus, Arcadiæ volucres,] Stymphala colentes?

nus insolentem videtur adhibuisse, Æn. vi. 289.

Gorgones, Harpyiæque, et forma *tricorporis* umbræ.

Ibid. *tergemini Geryonaï.* Sed enim hæc immutata ille idem transtulit, ibid. viii. 202.

Tergemini nece *Geryonæ*, spoliisque, superbus.

Ibi nonnulli legunt *Geryonis:* et multum mirari mecum soleo, nec Heinsium, nec Burmannum, illum ad Maronis locum, hunc ad Sueton. iii. 14. lectionem positam defendentes, ad Lucretium, quem potissimum in animo habuit Virgilius, provocasse. Tam negligenter scilicet, indignum facinus! noster est viris eruditis habitus. Idem schema Prisciano ex MS. redonandum est, ad perieg. 573. ubi vulgo legitur *Geryonis:*

Venit Hyperboreis quæ gens, post fata perempti
Geryonæ; domuit quem virtus Herculis ingens.

Similiter Pindarus, Isth. i. 15. Γηρυονα κυνες· et Aristophanes, Acharn. 1082.

Βυλει ΔΕ μαχεσθαι Γηρυονη τετραττιλῳ.

Ita versiculus ille reformandus est.

Ibid. *vis Geryonaï:* ut βιη Ἡρακληειη, Hom. Il. Λ. 689. Hesiod. Theog. 289.

Ver. 29. *equei, spirantes naribus ignem.* Hæc mutua sumpsit Mantuanus, geo. ii. 140.

——— tauri, *spirantes naribus ignem*———.

Ver. 30. *Thracia:* sic, vel *Tracia*, omnes libri veteres, præter P. L. qui *Thracen* habent. *Thracia* autem *loca* scilicet; ad frequentissimam Græcis nominis μερος, vel τοπος, utique ellipsim.—*Bistonias:* Vind. *Bisconias.* Has vero, et gemellas, nullius momenti in propriis nominibus dissimilitudines piget singillatim numerare.—Cæterum, universa exemplaria, si P. excipias, hunc versum sequenti postponunt. Sequentes duos omittit Vind. codex; et omnes alii, præter P. versum integrum, haud dubie insititium cujusdam glossatoris, uncinis cancellatum, non agnoscunt. Nimirum, voces ipsæ *Stymphala colentes* mentem poëtæ satis declarant, ut ut aliter senserit sciolus ille interpolator. Si constaret alicunde, locum fuisse Thraciæ, *Stymphalum* nomine, de quo tamen disquirens undiquaque nihil valui reperire, satis manifestum est ex consensu codicum, hos versus ita probabiliter constituendos fore:

Et Diomedis equei, spirantes naribus ignem,
Tanto opere obficerent nobis, Stymphala colentes
Thracia, Bistoniasque plagas, atque Ismara propter?

Et profecto memet tantum non persuasum habeo, a Lucretii manu haud aliter periodum provenisse: atque doctior forsan aliquis rem posthac ad liquidum perducere feliciter valebit; cui nos libenter assurgemus, et manus verisimiliora edocenti confestim dabimus.

Ver. 31. *obficerent:* P. O. *officeret;* V. ed. Π. *efficerent:* quorum prior recte separatim exhibet, uti nos semper, *Tanto opere.*

Ver. 32. *Stymphala colentes.* Haud necessariam duxit uberiorem descriptionem Ovidius, ad met. ix. 187.

Vestrum opus Elis, *et est* vestrum Stymphalides undæ.

Sic rescribimus. Vulgo, *Elis habet;* quod minime ferendum: liber unus, *Elis est;* inter quas voces nostrum ē nullo negotio mox

Aureaque Hesperidum servans fulgentia mala,
Asper, acerba tuens, inmani corpore, serpens,
35 Arboris amplexus stirpem, quid denique obesset,
Propter Atlanteum litus, pelagique severa,
Quo neque noster adit quisquam, nec barbarus audet?

evanesceret. Nec minus breviter Martialis rem confecit, in ix. 104. 7.

Æripedem sylvis cervum, *Stymphalidas* undis,
Abstulit: a Stygiâ cum cane venit aquâ.

Cæterum, has aves pennis jaculatricibus formidabiles fuisse satis liquet, sed *uncis unguibus timendas* nusquam legi, quamvis inquirere non distulerim. Ille igitur versiculus, quem nos uncinis duximus includendum, omnino est nostro poëtæ abjudicandus.

Ver. 33. *servans:* V. ed. *struans.* Nimirum, sæpe consimiles sunt, in minusculâ scripturâ, literæ *e* et *t.*—Mox Ω. *in manu*, vice *inmani.*

Ver. 34. *Asper, acerba tuens.* Virgilius, cum minimâ variatione, transtulit in geo. iii. 149.

Asper, *acerba* sonans——:

quem locum Lambinus etiam apposuit. Cum nullâ autem dissimilitudine, in Æn. ix. 794.

——————— at territus ille,
Asper, *acerba tuens*, retro redit——.

Valerius Flaccus, iii. 229.

Sævit, *acerba fremens*——.

Ibid. *Asper inmani corpore serpens.* Idem Mantuanus, Æn. viii. 330.

Tum reges, *asper*que *inmani corpore* Thybris——.

Ver. 35. *Arboris:* V. ed. *Arboribus.*—*stirpem:* P. *stipites;* Vind. *stirpens;* V. ed. Π. Σ. *serpens;* Δ. Ω. *stirpes.* Vox deest O. Recitationis autem errores hi videntur.

Ibid. *Serpens Arboris amplexus stirpem.* Euripides, Herc. fur. 398.

Δρακοντα πυρσενωτον, ὃς
Ατλαντον αμφιλικτος ἑλιξ' εφρουει
Κτανων——:

ubi nos videndi. Lucanum nemo intellexit, ad Phars. iii. 421.

——————— Jam fama ferebat,
Sæpe cavas motu terræ mugire cavernas,
Et procumbentes iterum consurgere taxos,
Et non ardentis fulgere incendia sylvæ,
*Robora*que *amplexos circumflexisse dracones.*

De prodigiis scilicet summe portentosis poëta loquitur; et ait, "Arbores se vicissim circa dracones illos flexisse, qui cingebant ipsas." Legitur etiam *circumfulsisse*, atque *circumfluxisse;* sed scripturam nostram codices plures exhibent, et unus optimæ notæ vetustus in Academiæ Cantabrigiensis bibliothecâ publicâ, nobis collatus. Nihil autem elegantius, aut optimis poëtis acceptius, verbis hujuscemodi in absoluto sensu positis. Utinam illi, qui *circumfluxisse* ediderunt, nobis dixissent, quidnam sit miraculum. Idem Lucanus de hoc *serpente*, ad Phars. ix. 364. solitum vivendi morem asservante:

—— nunquam somno damnatus lumina *serpens*,
Robora complexus, rutilo curvata metallo——.

Ver. 36. *Propter Atlanteum:* P. Vind. V. ed. B. Π. Σ. *Oceanum propter:* quæ vulgatis elegantiâ nihil cedunt, et Juvenalem videntur habere suffragatorem, sat. xi. 113.

Templorum quoque majestas præsentior; et vox
Nocte fere mediâ, mediamque audita per urbem,
Litore ab *Oceano* Gallis venientibus——.

Evulgari male solet, *Oceani;* sed quidam codices, et in illis optimus Cantabrigiensis, alibi nobis memoratus, luculenter ex-

Cætera de genere hoc quæ sunt portenta perempta,
Si non victa forent, quid tandem viva nocerent?
40 Nihil, ut opinor; ita ad satiatem terra ferarum
Nunc etiam scatit, et trepido terrore repleta est,
Per nemora, ac monteis magnos, sylvasque profundas:
Quæ loca vitandi plerumque est nostra potestas.

hibet *Oceano*. Videas Grangæi notas, et aliorum, ad locum. Hinc Varronem in Chorographiâ emendabo, apud Priscian. grammat. lib. iii. p. 609.

Ergo inter solis stationem, et sidera septem,
Exporrecta jacet tellus: huic extima *fluctu*
Oceano interior *Neptuni* cingitur ora.

Nihil verius. Libri, *Oceani* et *Neptuno*. Conferas animadversiones Burmannianas, ad Anthol. Lat. v. 1. 7. Sic Avienus etiam, Arat. 1152.

——————— mediæ tum serta coronæ
Surgunt *Oceano* jam *gurgite*——.

Sed enim antiquioribus membranis obtemperandum est, ex quorum ruderibus Lambinus Turnebusque nostram lectionem eruerunt. L. M. habent, *Propter Atianeum;* et hic, pro diversâ lectione, *Atiancam:* O. *Propter Acianeum;* unde illud *Oceanum* nullo negotio efficeretur, et statim transpositionem dictionum metri necessitas dictaret: Δ. *Propter Accianeum;* Ω. *Propter Actianeum.* Huic autem loco nihil aptius convenire scripturâ, quam admisimus, longe certissimum est. Hesiodus, Theog. 215.

Ἑσπερίδας θ', αἳς μηλα, ΠΕΡΗΝ κλυτυ ΩΚΕΑΝΟΙΟ,
Χρυσια καλα μελεσι, φερουσα δε δενδρεα καρπον.

Atlanteum litus valet igitur, "occidentalis oceani extremitates." Neque aliter sane Horatius, od. i. 34. 11.

Quo Styx, et invisi horrida Tænari
Sedes, *Atlanteusque finis*
Concutitur——.

Claudianus etiam, de nuptt. Hon. et Mar. 280.

Quid numerem gentes, *Atlanteosque recessus*
Oceani?——

Porro, *pelagi* lectio est omnium exemplarium, præter Δ. Π. Σ. recentiorum; neque erat lepidis editoribus mutandum. Ita dicitur *acuta belli*, *curarum amara*, et similia innumera, vel tyronibus notissima: nedum quorum eruditi admoneri debeant.—*severa:* P. Vind. Σ. *sonora;* nec temere dicam, utra dictio præferenda sit: meo tamen gustui, quod ediderim, nescio quid doctius sapit, et exquisitius: Π. *sororis.*

Ibid. *pelagi severa.* Sic Plautus, Trin. iv. 1. 6. *Neptunum* vocat *severum;* nec minus Virgilius, geo. iii. 37.

Invidia infelix Furias, *amnem*que *severum*
Cocyti, metuet.

Lambinus.

Severa igitur potest *truculenta*, formidolosa, implacata, procellosa; adeo ut varietas illa scripturæ, *sonora* dico, pro glossemate haberi possit. Adhibe Nonium, iv. 418.

Ver. 37. *nec:* ita P. Vind. V. ed. O. Π. Σ. Ω. vulgo, *neque:* sed Lucretius in eodem versu semper, opinor, variat. Alibi diximus.

Ibid. *Audet:* propter terrores loci scilicet, ne

Audiat Herculeo stridentem gurgite solem;

ut Juvenalis utar verbis, sat. xiv. 280. atque aures strepitu terribili obtundantur: vel pœniteat eum,

Oceani monstra, et juvenes vidisse marinos;

ut ibidem ille. Florus, ii. 17. 12. "Decimus Brutus aliquanto latius Celticos, "Lusitanosque, et omnes Gallæciæ po-

At, nisi purgatum est pectus, quæ prælia nobis,
Atque pericula, sunt ingratiis insinuandum?
Quantæ tum scindunt hominem cupedinis acres
Solicitum curæ? quanteique perinde timores?
Quidve superbia, spurcitia, ac petulantia, quantas
Ecficiunt clades? quid luxus, desidiæque?

" pulos, formidatumque militibus flumen " Oblivionis: peragratoque victor *Oceani* " *litore*, non prius signa convertit, quam " cadentem in maria solem, obrutumque " aquis ignem, *non sine quodam sacrile-* " *gii metu et horrore*, deprehendit." Heic igitur quid noceret serpens?

Ver. 39. *Si non:* B. *Non sic;* L. M. *Sed non.*—*victa:* V. ed. L. M. O. Ω. *juncta*, vel *vincta.*—*quid:* P. V. ed. B. O. Ω. *qui;* i. e. quomodo: nec displicet. Virgilius vulgato favet, Æn. vi. 694.

Quam metui, ne *quid* Libyæ tibi regna nocerent!

Ver. 40. *satiatem:* Ω. *satietatem.*—Ammianus Marcellinus, ut etiam alibi, xviii. 2.—" alimentorumque in iisdem *satias* " condita—."

Ver. 41. *scatit:* P. *senet;* V. ed. B. Π. *sentit;* O. Δ. *scatet:* vide mox inferius, ver. 597. et Putschii grammaticos, p. 2181.

Ver. 42. *sylvasque profundas.* Virgilius epitheton similiter adhibuit, geo. ii. 391.

——— vallesque cavæ, *saltus*que *profundi.*

Glossæ veteres: " *Saltus*, ὑλωδης τοπος."

Ver. 44. *At:* P. V. ed. *Ac.*—*quæ:* O. et Δ. *quoque.*

Ver. 45. *sunt:* B. Δ. Π. *tunc;* ut vulgares editi.—*ingratiis:* libri, *ingratis;* i. e. ingratîs: vide iii. 1082. et Westerhovium, ad Terent. Eun. ii. 1. 14.

Ibid. *insinuandum:* i. e. intrandum, obeundum, permeandum, est nobis; εισιτεον, ὑποδυτεον. Vere correxeram Marte proprio glossas veteres: " *Insinuavit*, " ΕΝΕΚΩΜΑΣΕΝ·" sed prior reformaverat Vulcanus. Codices, ενεκωμιασεν. Salmasius reposuit ενεφανισεν· longe infelicissime.

Ver. 46. *tum scindunt:* sic P. Vind. L. M. Ω. quibus morem esse gerendum, utpote castissimis exemplaribus et veterrimis, existimavimus: V. ed. *qum scindunt;* B. O. Δ. *conscindunt;* non male: Σ. *etiam scindunt.*—*cupedinis:* Vind. V. ed. *cupidines;* L. M. *cupedines:* Ω. *cuppidinesque.* Conferas velim iii. 1007.

Ibid. *Quantæ:* i. e. quot; nam malim equidem de *numero* curarum, quam *magnitudine*, accipere: redeas ad iii. 1064. Propertius, i. 5. 10.

Ah! tibi *curarum millia quanta* dabit!

Ad quem versiculum notam Burmanni videas. Dictys Cretensis, de bell. Troj. i. 6.—" non se ignorare ait, *quantis mor-* " *talibus* tam atrox facinus indignatio- " nem incuteret." Qui locus neutiquam solicitandus; nam Lud. Smids inscite reponebat *quantum*, contra libros. Item Anthologia Latina, iv. 61. 5.

Tæderet *quantos* cœli convexa tueri!
Quantæ sævirent in sua corda *manus!*

Ubi consulas itidem Burmannum.

Ver. 48. *spurcitia, ac:* Lambinus ex arbitrio, *spurcities*, contra omnia vetusta exemplaria; audacissime: quem tamen plures editores hodierni sunt turpissime secuti.—Et lector scitus animadvertat syllabam correptam ante consonantes *sp;* ut alibi in nostro, atque etiam mox, ad ver. 80.

Ver. 49. *desidiæque:* sic P. B. L. M. O. Δ. Ω. editores impudentes de suo, *desidiesque:* Vind. V. ed. *desidia equi;* Σ. *desidia æqui:* quæ sunt lectionis nostræ vitia. Π. codex communibus editionibus consentit.

Ver. 52. *divôm:* sic alibi scriptum est,

50 Hæc igitur qui cuncta subegerit, ex animoque
Expulerit dictis, non armis, nonne decebit,
Hunc hominem numero divôm dignarier esse?
Quom bene præsertim multa, ac divinitus, ipsis
Jam mortalibus, e divis, dare dicta süerit,
55 Atque omnem rerum naturam pandere dictis.
Quoius ego ingressus vestigia, dum rationes
Persequor; ac doceo dictis, quo quæque creata
Fœdere sint, in eo quam sit durare necessum;
Nec validas valeant ævi rescindere leges.

ut i. 1. et nobismetipsis constare volumus. Libri quidem veteres, *divum*.

Ibid. Accius in Phœnissis:

Delubra cœli tu *meres* sanctitudine:

ita legendum; non, ut vulgo, *maris*.

BENTLEIUS.

Voluit etiam vir doctissimus insertam præpositionem *in* post *numero:* quâ de re mihi non liquet, quum ista præpositio passim commode subintelligatur.

Ver. 53. *bene:* P. *bone;* ut alias sæpe.

Ibid. *ipsis de divis dicta.* Quippe qui libros singulares scripsit Περι Θεων, et Περι Ὁσιοτητος. BENTLEIUS.

Ver. 54. Non ausus sum in hoc versu constituendo consilium editorum sequi, quum librorum lectiones idoneum sensum præbeant. Ordo est: " Præsertim, " quum jam süerit dare mortalibus bene " multa dicta, et divinitus *dicta*, e divis " ipsis:" i. e. de more, ad normam, ipsorum deorum; quasi deus ipse foret scilicet: quæ usitatissima est præpositionis *e* potestas.—*Jam mortalibus:* ita scribitur in P. Vind. V. ed. L. Δ. Π. Σ. nec dubito, quin his consenserint B. M. quamvis taceant collatores: Ω. *In mortalibus;* O. *Immortalibus;* ut evulgari solet: sed quâ de re librarii hanc dictionem loco moverent, vel corrumperent, nemo caussam dicere valebit.—Lambinus *de* scripsit pro *e*, et secuti sunt editores; libris universis contra clamantibus.

Ver. 55. *rerum naturam pandere dictis:* ut locutus est etiam ad i. 50. Nemesianus, cyneg. 3.

Venandi cano mille vias; hilaresque *labores*,
*Discursus*que citos, securi *prælia* ruris,
Pandimus——.

Ver. 56. *dum:* P. *nunc;* ut editi vulgares, sed exemplaribus reliquis obstantibus. Nempe, το nunc correctoris gustum resipit, minus attendentis constructionem loci, vel non concoquentis verbi substantivi reticentiam: quo scriptoribus purissimis nihil familiarius.

Ibid. *ingressus vestigia, Persequor.* Translatus est sermo, et a *re venaticâ* derivatus. Plautus, mil. glor. ii. 2. 113.

Si ita non reperio, ibo odorans, quasi *canis venaticus*,
Usque donec *persecutus* volpem ero *vestigiis*.

Ver. 57. *quæque:* V. ed. *quaque;* et mox, ver. 58. *sic*, pro *sit*.

Ver. 59. *valeant ævi:* Δ. *ævi valeant;* quod editorum turbæ sine caussâ placuit.

Ibid. *rescindere leges:* i. e. *de novo scindere;* notis priorum legum derasis scilicet, ac tabulis, quibus erant incisæ, dedolatis; ut aliæ leges insculpantur. Horatius, art. poët. 399.

Oppida moliri, *leges incidere ligno*.

Ex hac nimirum vetustissimorum hominum consuetudine poëtæ locutio translata est. Similiter Terentius, Phorm. ii. 4. 15.

Mihi non videtur, quod sit factum *legibus*,
Rescindi posse——.

60 Quo genere in primis animi natura reperta est,
Nativo primum consistere corpore creta;
Nec posse incolomem magnum durare per ævom:
Sed simulacra solere in somnis fallere mentem,
Cernere quom videamur eum, quem vita reliquit.
65 Quod super est, nunc huc rationis detulit ordo,
Ut mihi mortali consistere corpore mundum,
Nativumque simul, ratio reddunda sit, esse:
Et, quibus ille modis congressus materiaï
Fundarit terram, cœlum, mare, sidera, solem,

Ver. 60. *animi:* P. *animæ;* atque eodem redit lectio V. ed. *anima.* Parum interest has voces, quum indifferenter utrâlibet Lucretius alibi utatur. In versu sequente, Ω. *creata.*

Ver. 62. *incolomem:* ita P. solus, ad vetustam orthographiam, quam nos alibi in hac voce exarandâ secuti sumus: Vind. *incolumen;* V. ed. *in columen;* B. L. O. Δ. Σ. Ω. *incolumem;* M. *vinculum est;* ductibus literarum non multum dissimilibus: Π. *in lucem.* Editores de suo, *incolumis;* ut structuram sermonis profecto unam et simplicem servarent. Sed scriptores antiqui non sunt ad libitum nostris de regulis reformandi. Suppleas nempe decet *repertum est,* vice *reperta est;* ut stet constructio: quemadmodum in libris veterum, atque potissimum in Lucretio, passim variari solet. Vide Brunckium de re simili disputantem, et quos laudat criticus exactissimus, ad Soph. Elect. 435. Sed nulli, non prorsus his inexercitato, sua domus notior est, quam hujuscemodi elegantes formulæ.

Ibid. *magnum ævom* videtur exquisitius dici pro "*longum* ævum;" sed re verâ schema pervagatissimum Lucretiano nihil discrepat. Exemplum Virgilianum sufficiat, Æn. xi. 237.

——— Sedet in mediis, et *maxumus ævo,*
Et primus sceptris, haud lætâ fronte, Latinus:

i. e. cui *maximum ævum* contigerat.

Ver. 63. *simulacra in somnis:* videas iv. 38.

Ver. 64. *videamur:* V. ed. *videantur.* Conferas autem velim i. 135.

Ibid. *vita reliquit.* Virgilius, Æn. vi. 735.

Quin et, *supremum* quum *lumen vita reliquit*—.

i. e. "quum ipse homo vivus reliquit solis lumina." Ita versus ille rescribendus est, neque aliter in duobus codicibus MSS. comparet exaratus. Vulgatæ lectionis constructionem, *supremo* nimirum *lumine,* aliis expediendam linquo. Nempe *supremō,* vel *supremom,* abierat in *supremo;* ad quam mutationem fortuitam accommodandam conversum est *lumen* in *lumine.*

Ver. 65. Post *nunc* inferciunt pronomen *me,* libris manu scriptis reclamantibus, perfrictæ frontis editores.

Ver. 67. *Nativum:* V. ed. *Nativam.* —*reddunda:* Vind. *redunda;* V. ed. *retunda.*

Ver. 69. *Fundarit:* Π. *Fondarit;* accurate ad archaïsmum scriptionis, ut arbitror.

Ver. 70. *tum quæ:* O. Δ. *cumque et:* errore facili ob compendium scripturæ: vocula *quæ* deest V. ed.—Cæterum, haud immemor videtur fuisse horumce versuum Virgilius, ad Æn. vi. 724. quos tamen ornatiores, et sublimiores pro materie, exhibuit:

70 Lunaïque globum: tum, quæ tellure animantes
Exstiterint; et, quæ nullo sint tempore natæ:
Quove modo genus humanum variante loquelâ
Cœperit inter se vesci per nomina rerum:
Et, quibus ille modis divôm metus insinuarit
75 Pectora, terrarum qui in orbi sancta tuetur
Fana, lacus, lucos, aras, simulacraque, divôm.
Præterea, solis cursus lunæque meatus,

Principio, *cœlum*, ac *terram*, *camposque liquentis*,
Lucentemque *globum lunæ*, Titaniaque *astra*,
Spiritus intus alit——.

Vulgo, *terras:* sed malim equidem cum quibusdam exemplaribus Lucretioque, numerum unitatis, *terram;* ut efficaciorem, ac solidiorem. Jam vero, quum *et* præpositio, brevius scripta, facillime elidi poterat; nec locutio *Titania astra* satis commode videatur *solem cum sideribus* complecti; subit cogitatio, an Mantuanus ille sic versum scripserit:

Lucentemque globum lunæ, *Titanaque*, *et astra*.

Rem lectores in animo secum reputent. Similiter in versu statim sequente, *et* abest V. ed. Eodem modo peccavere scribæ ad Florum, ii. 12. 13. " Primus dies sig-" na tabulasque, sequens arma pecunias-" que, transvexit; tertius, captivos, ipsum-" que regem, attonitum adhuc, *et* quasi " subito malo stupentem."

Ver. 71. *tempore:* Π. *corpore;* ut alibi quoque peccatum est.

Ibid. *nullo tempore natæ:* videas verr. 876. 891. et iv. 736. 743. 744. ii. 704. 706.

Ver. 72. *variante loquelâ:* i. e. non uniformi, ut *αλόγων* brutorum, sed articulatim distinctâ, atque dispertitâ in omnigenos *μεροπων* scilicet *ανθρωπων* sonos.

Ver. 73. *Cœperit:* O. Δ. *Comperit.*—*vesci:* sic, longe doctius elegantiusque, L. M. O. Ω. et Nonius Marcellus, iv. 478. P. autem, Vind. B. Σ. *nosci;* V. ed. *nosti;* Δ. *resci;* Π. *nesci.*

Ibid. *vesci:* i. e. vivere, vel vitam colere, initis societatibus: secundario sensu dictionis, quum vita nimirum *cibis vescendis* propagetur. Vide sis Nonium, l. c.

Ibid. *nomina rerum.* Horatius, sat. i. 3. 104.

Donec verba, quibus voces sensusque notarent,
*Nomina*que invenere——.

Confer art. poët. ejusdem, ver. 57.

Ver. 74. *divôm metus insinuarit Pectora.* Simile regimen obversatum est in i. 117. 410. iii. 484. ad quem versum me consulas. Arnobius haud inutilis superveniet, lib. i. p. 21. " Honoribus quantis " afficiendus est nobis, qui ab erroribus " nos magnis, *insinuatâ veritate*, tradux-" it?" Nec Gellius, iii. 7. " Milites Ro-" mani—*in locum insinuant*, fraudi et per-" niciei obnoxium."

Ver. 75. *in orbi:* V. ed. O. Π. Σ. *morbi;* verbis cohærentibus.—Porro, *qui* non eliditur: redeas ad iv. 1054. His autem similis est ratio scansionis in dictionibus *præustis* et *præeunte*, quoties poëtis usurpentur. Huc etiam referas Virgilium, Æn. iii. 211.

Insulæ Ionio in magno——:

Græcos æmulari non formidantem; uti neque illum Priscianus, perieg. 567.

Ver. 76. *Fana:* V. ed. *Fama;* adi sis i. 69.

Ver. 77. *solis cursus, lunæque meatus.* Virgilius conficit rem celerius, Æn. vi. 850.

——————— *cœlique meatus*
Describent radio——.

Expediam, quâ vi flectat Natura gubernans:
Ne forte hæc inter cœlum, terramque, reamur
80 Libera sponte suâ cursus lustrare perenneis,
Morigera ad fruges augendas, atque animanteis:
Neve aliquâ divôm volvi ratione putemus.
Nam, bene quei didicere deos securum agere ævom,
Si tamen interea mirantur, quâ ratione
85 Quæque geri possint, præsertim rebus in illis,

Ver. 78. *flectat Natura gubernans.* Pariter Juvenalis, sat. xiii. 88.

Sunt, in *Fortunæ* qui casibus omnia ponant,
Et nullo credant mundum rectore moveri;
Naturâ volvente vices et lucis, et anni.

Quæ Lucretium attingunt: nam noster eam virtutem, quam hic *Naturam* appellavit, mox *Fortunam*, ad ver. 108. nomine mutato vocat.—Porro, figurata est nostri poëtæ oratio, ab aurigationis arte derivata.

Ver. 79. *hæc:* ita L. M. O. Ω. longe melius; P. B. *hic;* reliqui omnes, *hoc.*—*inter:* Π. *intra.*

Ver. 80. *Libera:* Vind. *Libere;* O. Δ. *Lunam.*

Ibid. *sponte suâ.* Horatius, epist. i. 12. 17.

Stellæ sponte suâ, jussæne, vagentur, et errent.

Ibid. *perenneis.* In hac dictione vertitur argumenti totius cardo: videas infra, ver. 96.

Ver. 83. *bene:* P. *bone;* V. ed. Σ. *vene;* O. Δ. *neu;* Π. *neve;* sed *bene* in margine: Ω. *ne ve.* Atque versûs hujusce majorem partem Horatius mutuatus est, ad sat. i. 5. 101. cujus locus integer Lucretio illustrando opportunus veniet:

Non ego: namque *deos didici securum agere ævum;*
Nec, si quid miri faciat *Natura*, deos id
Tristis ex alto cœli demittere *templo.*

Sic scribo, vice *tecto;* quod humilius: ut pergat Venusinus imitari nostrum; redeas ad i. 1013. et animadversa nobis uberius in ii. 28. de harum dictionum confusione.

Ver. 86. *supra:* sic Vind. V. ed. B. O. Δ. Π. Σ. Ω. vulgo, *supera.*—*ætheriis:* V. ed. L. *ætheris.*—In sequente versu, Π. *feruntur.*

Ver. 87. *religiones.* Sic alibi noster in numero multitudinis. Justinus, xi. 7. 14. "Mida—Phrygiam *religionibus* imple-"vit:" i. e. religionis ritibus et institutis. Ut alii sane sæpius.

Ver. 88. *dominos acreis:* O. Σ. *domino sacris.*—*adsciscunt:* Π. *adiscunt.*

Ibid. *dominos acreis:* nempe, *deos;* quos *dominos superbos* appellat in ii. 1090. Sic M. Tullius, de nat. deor. i. 20. "Itaque "inposuistis in cervicibus nostris sempi-"ternum *dominum*, quem dies et noctes "timeremus. Quis enim non timeat om-"nia providentem, et cogitantem, et ani-"madvertentem, et omnia ad se perti-"nere putantem, curiosum, et plenum "negotii, deum?" Lambinus. Cujus profecto loci translationem planius adhibuit, sed perelegante, S. Lucas, actt. apostt. xv. 10. Νυν ȣν τι πειραζετε τον Θεον, ΕΠΙΘΕΙΝΑΙ ΖΥΓΟΝ ΕΠΙ ΤΟΝ ΤΡΑΧΗΛΟΝ ΤΩΝ ΜΑΘΗΤΩΝ, ὃν ȣτε οἱ πατερες ἡμων, ȣτε ἡμεις ισχυσαμεν βασταται;

Ver. 92. *ne te:* M. *nec;* nempe, ex solità literarum *c* et *t* confusione, atque vocularum commixtione, factum erat *nece;* quod, quum non esset tolerandum, mox abiit in *nec.*—*moremur;* V. ed. *movemur;* M. *meremur.*

Ver. 94. *Quorum:* editores audaciuli,

Quæ supra caput ætheriis cernuntur in oris;
Rursus in antiquas referuntur religiones,
Et dominos acreis adsciscunt, omnia posse
Quos miserei credunt; ignarei, quid queat esse,
90 Quid nequeat; finita potestas denique quoique
Quâ nam sit ratione, atque alte terminus hærens.
Quod super est, ne te in promissis plura moremur;
Principio, maria, ac terras, cœlumque, tuere:
Quorum naturam triplicem, tria corpora, Memmi!
95 Treis species tam dissimileis, tria talia texta,

Horum; nam cave credas collatoribus vulgarem lectionem codd. Vind. et B. negligenter imputantibus.

Ibid. *naturam triplicem.* Ovidius, trist. ii. 425.

Explicat ut caussas rapidi Lucretius ignis,
Casurumque *triplex* vaticinatur *opus.*

Et Pedo Albinovanus, ver. 361.

Ecce! necem *intentant* cœlo, terræque, fretoque;
Casurumque triplex *vaticinantur* opus.

Sic corrigendus est: ubi vulgo *intentam.* Utroque loco Jos. Scaliger reponit *caussarum;* et intelligit *opus* Lucretii, non hoc, sed aliud vetustate abolitum. Euge! euge! BENTLEIUS.

Ibid. *tria corpora:* nempe, *marium, terrarum,* ac *cœli;* de quibus, huc respiciens, Virgilius, Æn. vi. 727.

——— totamque, infusa per artus,
Mens agitat molem, et magno se *corpore* miscet:

nam conferas velim, quæ dixerim ad ver. 70. et ibidem hujusce loci priorem portionem. Ovidius accedet, fast. i. 105.

Lucidus hicc' aër, et, quæ *tria corpora* restant,
Ignis, aquæ, tellus, unus acervus erat.

Ver. 96. Stoïci, non minus quam Epicuri grex, futurum exitium mundi docebant; sed per *ignem.* Arnobius, lib. ii. p. 48. " Qui *ignem minatur mundo,* et, " venerit cum tempus, arsurum, non Pa- " nætio, Chrysippo, Zenoni, (credit)?" Sic Christiani scilicet; ut non ignobili carmine Juvencus cecinit, in evang. hist. prologo:

Immortale nihil mundi compage tenetur,
Non orbis, non regna hominum, non aurea Roma,
Non mare, non tellus, non ignea sidera cœli.
Nam statuit genitor rerum irrevocabile tempus,
Quo cunctum torrens rapiat flamma ultima mundum.

Plutarchus, plac. phil. ii. 4. Επικυρος φθαρτον (τον κοσμον), ὁτι και γενητον· ὡς ζωον, ὡς φυτον. Consulas interpretes ad Ovid. met. i. 258. Seneca similiter, in perelegante poëmatio:

Quid tam parva loquor? moles pulcherrima cœli
Ardebit flammis tota repente suis.

Ver. 97. *moles et machina mundi.* Hæc per hendyaden dicta sunt, pro *moles machinæ mundanæ.* Lucretianam tamen locutionem, sicut erat, pro more Arnobius arripuit, lib. i. p. 2. " Numquid *machinæ* " hujus *et molis,* quâ universi tegimur et " continemur inclusi, parte est in aliquâ " relaxata aut dissoluta constructio?"— Et vere scripsimus *Substentata,* pro vulgari *Sustentata.* Vetus onomasticum: " *Substento,* διαβασταζω."

Ver. 99. *Adcidit:* sic P. Vind. V. ed. O. Π. Σ. Ω. vulgo legitur, *Accidat.*

Ver. 100. *pervincere:* P. V. ed. B. Π. *permittere;* Σ. *pervicere.*

Ver. 101. *ubi:* V. ed. Σ. *tibi;* L. *ibi.*— *insolitam:* V. ed. Δ. Σ. *insolitum.* Porro,

Una dies dabit exitio; multosque per annos
Substentata, ruet moles, et machina, mundi.
Nec me animi fallit, quam res nova miraque menti
Adcidit, exitium cœli terræque futurum;
Et, quam difficile id mihi sit pervincere dictis:
Ut fit, ubi insolitam rem adportes auribus ante,
Nec tamen hanc possis oculorum subdere visu,
Nec jacere indu manus, via quâ munita fidei
Proxuma fert humanum in pectus, templaque mentis.
Sed tamen ecfabor: dictis dabit ipsa fidem res

deest Vind. versus sequens; in quo Δ. habet *haud* pro *hanc*.

Ver. 102. Æmulatur heic Lucretius eximium locum Empedoclis de *Deo*, apud Clem. Alex. strom. v. 12. qui nec optimum latuit Bentleium:

Ουκ εστι πελασασθ', υδ' οφθαλμοισιν εφικτον
Ἡμετεροις, η χερσι λαβων, ἡ περ τε μεγιστη
Πειθυς ανθρωποισιν αμαξιτος εις φρενα πιπτει.

Hinc egregie D. Johannes, epist. i. 1. 1. —ὁ ην απ' αρχης, ὁ ακηκοαμεν, ὁ ἑΩΡΑΚΑΜΕΝ τοις ΟΦΘΑΛΜΟΙΣ ἡμων, ὁ εθεασαμεθα, και αἱ ΧΕΙΡΕΣ ἡμων ΕΨΗΛΑΦΗΣΑΝ, περι τυ λογυ της ζωης.

Ver. 103. *indu manus:* voces male scribuntur conjunctim in P. V. ed. O. Ω.—*quâ:* P. V. ed. L. O. Δ. Π. Ω. *quam.*—*munita:* V. ed. *in unica: m* scilicet cum *in*, iisdem apicibus, permutato; atque *t*, ut passim, cum *c:* Vind. *minuta;* quæ vox lineamentis sinceræ non discrepat.

Ibid. *indu.* Glossator vetustus: "*In-du,* εις, ενδον, εντος." Nam extra voces compositas altera forma *endo* videtur usitatior veteribus fuisse.

Ibid. *via munita.* Hæc phrasis ab usu militum translata est. Vegetius, de re milit. iii. 21. " — Scipionis laudata sententia est, qui dixit, *Viam* hostibus, quâ fugiant, *muniendam.*" Exempla nusquam non obvia.

Ibid. *fidei.* Similiter vetus poëta dictionem posuit, apud Ciceron. de senect. init.

Ille vir haud magnâ cum re, sed plenus *fidei:*

et Pontius Paulinus de Joan. Bapt. 143.

Auscultat nato genetrix: vis tanta *fidei!*

Cæterum, hujusce loci recordatus est Arnobius, lib. ii. p. 44. " Cum ergo hæc " sit conditio futurorum, ut *teneri* et com- " prehendi nullius possint anticipationis " *attractu,* nonne purior ratio est—?"

Ver. 104. *fert:* Ω. *fit.*—*humanum:* M. *haud manum;* qui forsitan error sit recitationis.

Ibid. *templaque mentis.* Plautus etiam, in phrasi non minus verbis magnificis, quam Lucretii, conceptâ, Pseud. i. 5. 54.

Fac sis vacivas, Pseudole, *ædeis aurium.*

Redeas notata nobis ad i. 738. huic enim loco multum lucis commodabunt.

Ver. 105. *dabit fidem.* Virgilius, Æn. viii. 150.

Adcipe, *da*que, *fidem*——.

Ver. 106. *ortis:* Δ. Π. Σ. *orbis;* ut editiones quædam exhibent, sed perperam.—Mox Π. *conquassa.*

Ver. 107. *conquassari motibus terrarum,* Efficacem habemus atque nervosam orationem. Cicero, de divin. i. 43.—" cum " ad infinitam altitudinem terra desedis- " set, Apuliaque maxumis *terræ motibus* " *conquassata* esset—." Dubito tamen, an hæc non sit in Lucretio rectior ac venustior consecutio verborum: " Et, in " parvo tempore, cernes omnia terrarum

Forsitan; et graviter terrarum, motibus ortis,
Omnia conquassari in parvo tempore cernes:
Quod procul a nobis flectat Fortuna gubernans;
Et ratio potius quam res persuadeat ipsa,
110 Subcidere horrisono posse omnia victa fragore.
Quâ prius adgrediar quam de re fundere fata
Sanctius, et multo certâ ratione magis, quam
Pythia, quæ tripode a Phœbi, lauroque, profatur;
Multa tibi expediam doctis solatia dictis:
115 Religione refrenatus ne forte rearis,

" graviter, motibus ortis, conquassari." Committe inferius annotata, ad ver. 320. hujusce libri.

Ver. 108. *flectat:* V. ed. *flectit.*—*Fortuna:* O. Π. *Natura;* vide ver. 78.

Ibid. *Fortuna gubernans.* Sic Claudianus, Epicuri disciplinam tangens, in Rufin. i. 18. et phrasibus Lucretianis usus:

——— caussæque viam non sponte sequebar
Alterius, vacuo quæ currere semina motu
Affirmat, magnumque novas per inane figuras
Fortunâ, non arte, *regi.*——.

Menander in Subdititio, apud Stob. ecl. phys. x. cujus totum fragmentum, uti Canterus Bentleiusque correxerunt, debet consuli:

ΤΥΧΗ ΚΥΒΕΡΝΑ πάντα· ταύτην καὶ φρένας
Δεῖ, καὶ προνοίαν τὴν θεῶν, καλεῖν μόνην—.

Ver. 110. *Subcidere:* V. ed. *Succedere.*

Ibid. *horrisono fragore.* Maro, Æn. ix. 54.

Clamore excipiunt socii, *fremitu*que sequuntur
Horrisono——.

Cicero, in Arateis ejus, ver. 79.

Et magis *horrisonis* Aquilonis *plangitur alis.*

Sic rescribendum: videas animadversiones meas in Horat. epod. x. 8. Libri, *tangitur.* Lucretii vero phrasis *horrisono fragore*, valet " terribili sono *fragminum*, " vel ruinarum:" redi ad notas in i. 748. Hinc recte accipias Virgilium, Æn. iii. 571.

——— *horrificis* juxta tonat Ætna *ruinis:*

i. e. verbis Lucretii leviter immutatis, " horrorem incutientibus *fragminibus.*" Ammianus Marcellinus, xxiv. 4.—" cu- " jus *ruina* muri contiguum latus secum " immani *fragore* protraxit:" i. e. fragmen vastum in multam longitudinem præcipitavit. Idem, ad xxxi. 10.—" *horrifico* " adversum *fragore* terrente—."

Ver. 111. *Quâ:* P. B. *quæ.*—*quam:* Ω. *qua.*

Ver. 113. *Pythia:* Vind. V. ed. Σ. *Thyas;* O. Δ. *Phytia;* Π. *Phytias:* confer varietates lectionis in hac voce, ad i. 740.—*tripode a;* O. Δ. *tripodis;* editi communes, ut solus P. *tripode e:* præpositio omnino desideratur in Π. Mox autem V. ed. *dictis*, pro *doctis.*

Ibid. *lauroque:* i. e. sacello, ramis laureis præstructo, ne curiosi consultores introspicerent.

Ver. 114. *expediam dictis:* vide notas, ad ii. 65.

Ver. 116. *et* posterius deest Vind. Ω. ac vulgaribus editionibus: Π. voces *solem* et *cœlum* transpositas exhibet.

Ver. 117. *meare:* sic omnes libri veteres; pro quâ dictione vulgus editorum posuit, audacissime et inscitissime, *manere:* veriti scilicet, ne verbum *meare* unicuique nomini præcedentium minus accurate conveniret. Quam indocte! vide notam superius, ad ver. 62. Nos elegantiam suam Lucretio religiosissime esse redo-

Terras, et solem, et cœlum, mare, sidera, lunam,
Corpore divino, debere æterna meare:
Proptereaque putes, ritu par esse Gigantum
Pendere eos pœnas inmani pro scelere omneis,
120 Quei ratione suâ disturbent mœnia mundi,
Præclarumque velint cœli restinguere solem,
Inmortalia mortali sermone notantes:
Quæ procul usque adeo divino a numine distent,
Inque deûm numero quæ sint indigna videri;
125 Notitiam potius præbere ut posse putentur,

nandam prorsus existimavimus, pro inerti correctorum interpolatione, quæ frigore ferit locum. Ita solent poëtæ vividiorem et ornatiorem dicendi modum sequi, et picturatas voces otiosis anteferre. Non alienus est Ovidius, trist. v. 3. 41.

Sic *micet* æternum, vicinaque sidera vincat,
Conjugis in cœlo Cressa corona tuæ.

Duret, *maneat*, vel simile quippiam, pedestrem sermonem resipuisset. Vide sis ad i. 129. notata.

Ver. 118. *par:* sic vere Pius rescripsit ex conjecturâ, et sic est in Juntinâ Aldinâque: omnia reliqua exemplaria, tam manu scripta, quam typis exarata, dant *pars*. Hæc vocabula libris confusa sunt ad Liv. xxxvi. 24. 8.—*esse:* Vind. V. ed. *est*.

Ver. 119. *Pendere pœnas:* δοῦναι δίκην. Virgilius, Æn. vii. 595.

Ipsi has sacrilego *pendetis* sanguine *pœnas:*

multâ quasi pecuniariâ ad stateræ brachium appensâ. Vide Festum in *Pendere*, et Servium ad Æn. vi. 20.

Ibid. *inmani scelere.* Similiter idem ille Mantuanus, ibid. i. 347.

——— *scelere* ante alios *inmanior* omnes.

Ver. 120. *ratione suâ:* i. e. qui similiter suis philosophiæ institutis aggrediuntur cœlum, atque fabulosi quondam gigantes immanitate virium vexabant.

Ver. 121. *restinguere:* P. Vind. V. ed. B. Δ. Π. Σ. *restringere;* quæ solennis est confusio: vide var. lectt. iii. 1057.

Ibid. *Præclarum solem.* Ita Q. Cicero:

Longaque jam minuit *præclarus* lumina *Cancer*.

Confer ii. 1031. et Sedulium in notis comparentem ad iv. 342.

Ver. 122. *Inmortalia mortali sermone.* Simili elegantia oppositio verborum in iambo cernitur, quem nobis Aristoteles conservavit, lib. ii. sect. 17. 2. exquisitissimi tractatûs ejus de rhetoricâ:

ΑΘΑΝΑΤΟΝ ΟΡΓΗΝ μὴ φυλάττε, ΘΝΗΤΟΣ ὤν.

Nec Miltonus nostras sprevit, vir nemini secundus, Par. amiss. iii. 267.

——— and breath'd *immortal love*
To *mortal men*—.

Pulchre Paulinus, de Joan. Bapt. 177.

Nunc cœptum repetamus iter: *mortalia* dicat
Pagina mortalis: Dominum divina loquantur.

Sic legendum; vulgo, *Huc:* i. e. *Nūc*; nam *H* et *N* passim permiscentur.

Ver. 123. *a* deest P. editi, *ab;* contra libros veteres.—*a numine distent:* V. ed. *animi lastent;* Σ. *numine luscent:* voces omnino desiderantur in Vind. Nempe, librarius, corruptissimas inveniens in archetypo, satius habuit prætermittere.

Ver. 124. *quæ sint.* Vulgo, *sic sunt;* quæ temporum confusio, et novarum dic-

Quid sit vitali motu, sensuque, remotum.
Quippe et enim non est, cum quo vis corpore ut esse
Posse animi natura putetur, consiliumque:
Sic, ut in æthere non arbor, non æquore salso
130 Nubes esse queunt, neque pisces vivere in arvis;
Nec cruor in lignis, neque saxis sucus, inesse:
Certum, ac dispositum est, ubi quidquid crescat, et insit:
Sic animi natura nequit sine corpore oriri
Sola, neque a nervis et sanguine longius esse.
135 Quod si posset enim, multo prius ipsa animi vis
In capite, aut humeris, aut imis calcibus, esse
Posset, et innasci quâ vis in parte soleret:
Quamde in eodem homine atque in eodem vase manere.

tionum confictio, impudentiam editorum hodiernorum arguunt, poëtam interpolantium contra universorum antiquorum exemplarium auctoritatem.

Ver. 126. *Quid:* O. Δ. *Quidve;* metro corruptæ lectionis consulentes.—*vitali:* V. ed. O. Δ. Π. *in tali.*—*sensuque:* Δ. *sensuve.*—In sequente, Π. *inesse,* pro *ut esse.*

Ver. 128. *animi natura:* Π. *animaï naturam.*—*consilium:* M. *consulium;* Ω. *concilium.*

Ver. 129. Confer iii. 785. et sequentes.

Ibid. *non:* editores impudenter de suo, *nec in;* atque ita sane Vind. sed ne dubites, soporem collatori obrepsisse.

Ver. 130. *pisces vivere in arvis.* Hinc pendet Juvenalis, xiii. 65.

——————— vel *miranti* sub aratro
Piscibus inventis.

Sic optime et acutissime legitur: neque aliter scriptum exhibet incorruptissimus codex Cantabrigiensis, meis oculis usurpatus. Vulgo, *mirandis.*

Ver. 131. *neque:* Vind. O. Δ. Π. Σ. *nec.*—*saxis:* Π. *sarris.*—*sucus:* V. ed. B. *cruor;* M. *fucus.*

Ibid. *cruor;* qualis in venis animalium: *sucus;* qualis in arboribus.

Ver. 132. *ac:* Ω. *et.*—*est* desideratur in Σ.—*quidquid:* P. *quicquam.*—*crescat:* V. ed. Δ. *crescit;* L. M. *crescet.*—*insit:* Δ. *inest.*

Ver. 134. *longius:* temeraria editorum natio nobis de propriis thesauris promunt *longiter;* libris, quotquot sunt, vetustis valde reclamantibus.

Ver. 135. *Quod:* P. Vind. *Hoc;* ut edi solet: membranis tamen haud dubie invitis. Adstipulatur etiam commentitiæ lectioni B. si fides danda sit illarum membranarum collatoribus.—Mox in ver. 137. V. ed. *quamvis.*

Ver. 138. *Quamde:* libri, *Tandem;* de hac autem emendatione, consulas disputata ad iii. 794.—*in eodem:* Vind. *in eadem.*—*manere:* P. Vind. Δ. *maneret.*

Ibid. *Tandem in eodem homine.* Lego:

Quamde in *corde omni,* atque in eodem vase, manere.

BENTLEIUS.

Ver. 139. *quoniam:* V. ed. Π. *cum;* i. e. *q̃n̄,* et *q̃m̄:* B. *quando;* i. e. *q̃n̄:* Δ. *quomodo.*

Ver. 143. *Putribus glebis:* sic Virgili-

Quod quoniam nostro quoque constat corpore certum;
140 Dispositumque videtur, ubi esse, et crescere, possit
Seorsum anima, atque animus; tanto magis inficiandum,
Totum posse extra corpus, formamque animalem,
Putribus in glebis terrarum, aut solis in igni,
Aut in aquâ durare, aut altis ætheris oris.
145 Haud igitur constant divino prædita sensu,
Quandoquidem nequeunt vitaliter esse animata.
Illud item non est ut possis credere, sedes
Esse deûm sanctas in mundi partibus ullis:
Tenuis enim natura deûm, longeque remota
150 Sensibus ab nostris, animi vix mente videtur.
Quæ quoniam manuum tactum subfugit et ictum,

us, geo. i. 44. " zephyro *putris gleba:*" et Columella, i. 1. 24. *putres arenæ* dixit. *Glebis* nimirum *friabilibus*, vel se facile resolventibus. Hinc emendandum putem Germanici Cæsaris fragmentum, quod invenio in Anthol. Lat. Burm. v. 60. 47.

At *fragiles glebas* adstringit frigore verno
Alma Venus—.

Codex scriptus *flaciles* exhibet: Burmannus reponere volebat, *faciles*. Lector eruditus rem dijudicet. Lucanus, vi. 33.

——————— nec *cespite* tantum
Contentus *fragili* subitos adtollere muros—.

Ver. 144. *aut:* O. Δ. *aut in.—oris:* Π. *horis.*

Ver. 145. *Haud:* O. Σ. *Aut.—constant:* Δ. *constat.*

Ver. 147. *credere:* P. *dicere;* quæ dictiones commutari solent exscriptoribus: vide var. lectt. ad Liv. xxvii. 27. 1.

Ver. 149. *Tenuis natura deûm.* Nazarius, paneg. Const. Aug. xiv. 2. " Et, " quamvis *cœlestia* sub oculos hominum " venire non soleant, quod crassam et " caligantem aciem simplex illa et incon- " creta substantia *naturæ tenuis* eludat; " illi tamen auxiliatores tui, adspici audi- " rique patientes, ubi meritum tuum tes- " tificati sunt, mortalis visûs contagium " refugerunt." Illa postrema, quæ Jaëgerus probe interpretatus est, Acidalius corrumpebat, inferciendo *non* ante *refugerunt.* In animo scilicet scriptor habuit nobilissimos versus Catullianos, ad finem nupt. Thet. et Pel. quos lectorem non pœnitebit huc translatos repetisse:

Omnia fanda, nefanda, malo permixta furore,
Justificam nobis mentem avortere *deorum.*
Quâ re nec taleis dignantur visere cœtus,
Nec se *contingi* patiuntur *lumine* claro.

Ver. 150. Vulgo, *a:* Σ. Ω. *ab;* quod magis Lucretianum est.

Ibid. *animi mente:* redeas ad iii. 615.

Ver. 151. *quoniam:* V. ed. *cum;* Π. *quom:* et *manum.*

Ibid. *subfugit:* i. e. " *semper* in seculis " præteritis *elusit*, atque *nunc* etiam *elu-* " *dit:*" quæ vis est germanissima hujusce temporis sic adhibiti.

Ver. 153. *quit:* Ω. *qui.—si:* vulgo, *quod;* sed nostra lectio doctior videtur, subaudito pronomine, et probabilior. Utramque scripturam, *quod si*, conservant Vind. V. ed. O. Π. Σ. Ω. *si* solum, P. Δ. Nullæ varietates codicum B. L. M. commemorantur. In sequente, Σ. *quasi*, vice *quoque.*

Tactile nihil nobis quod sit, contingere debet:
Tangere enim non quit, si tangi non licet ipsum.
Quâ re etiam sedes quoque nostris sedibus esse
155 Dissimiles debent; tenues, de corpore eorum.
Quæ tibi posterius largo sermone probabo.
Dicere porro, hominum caussâ voluisse parare
Præclaram mundi naturam, propterea que
Adlaudabile opus divôm laudare decere,
160 Æternumque putare atque inmortale futurum;

Ver. 155. *de corpore:* i. e. *pro* corpore, *ad rationem* atque proportionem corporis; quæ potestas est voculæ perquam usitata. Lambinus igitur ne audiendus quidem est, substituere volens *pro*, libris adversantibus.

Ver. 156. *largo:* Vind. O. *longo;* ut Flaccus, epist. ii. 1. 4.

Ne *longo sermone* morer tua tempora, Cæsar:

et ipse Virgilius, Æn. i. 217.

Amissos *longo* socios *sermone* requirunt.

Sane voces *largus* et *longus* aliquoties commutatas esse satis liquet: videas var. lectt. ad Lucan. iii. 347. Claudian. rapt. Pros. iii. 215. et ibi Burmannum: sed nobis *το longo* vulgarius videtur, et magis ad scribarum mentem comparatum.

Ibid. *posterius largo sermone probabo.* Vide, an fidem liberavit. BENTLEIUS. Certe, vel propositum poëtæ nunquam adimpletum est, vel, quæ de naturâ deorum domiciliisque scripserit, injuriâ temporis periere.

Ver. 157. *voluisse:* M. *volui ipse.*

Ibid. Lactantius, div. instt. vii. 3. Lucretii versus allegans, dicit: "At iidem "Stoïci, Hominum, inquiunt, caussâ "mundus effectus est." Et similiter mox, ad cap. 4. init. ubi consulendus est.

Ver. 158. *Præclaram:* V. ed. *Perclaram.*—*mundi:* Π. *mondi;* ut in ver. 162. *fondatum.*—*propterea:* P. *præterea.*—Cæterum, Lactantius ad vii. 3. hunc locum ventilat.

Ver. 159. *Adlaudabile:* ita omnes libri, nisi quod voces disjunctas exhibeant, quâ scripti, quâ typis impressi, præter Δ. recenti correctore haud dubie exaratum, et vulgarium editionum lectioni conspirantem, *Id laudabile* ex ingenio præbentium. Plautus, Pers. iv. 5. 1.

Edepol dedisti, virgo, operam *adlaudabilem,*
Probam, et sapientem, et sobriam—.

Idem, Merc. i. 1. 84.

Agit gratias mihi, atque ingenium *adlaudat* meum.

Posses etiam per tmesim, Caro valde familiarem, *το ad* cum *laudare,* vel etiam *decere,* consociare; sed nostra ratio facilior est, ac minus ambigua: vide Plaut. Trin. i. 2. 41. et animadverte bellulum lusum λογικον poëtæ, *adlaudabile laudare* scilicet: a quo non abhorret Nævianum illud, semel atque iterum Cicerone memoratum, "*Laudari* a *laudato* viro." Has autem delicias Lucretii sæpiuscule notavimus.—*divôm:* Vind. *divini;* V. ed. autem, *dium.*

Ver. 160. *Æternum putare, Desipere est.* In his fatuis nomen Pindarus professus est, Nem. vi. 6.

Ὁ δε χαλκεος ασφαλες αιει ἑδος
Μενει ουρανος—:

quibus concinunt Hesiodei versus, mox sub ver. 201. citandi; et, ne alios accersam, Maro, Æn. ii. 154.

Nec fas esse, deûm quod sit ratione vetustâ
Gentibus humanis fundatum perpetuo ævo,
Solicitare suis ullâ vi ex sedibus umquam,
Nec verbis vexare, et ab imo evortere summâ:
165 Cætera de genere hoc adfingere, et addere, Memmi!
Desipere est; quid enim inmortalibus, atque beatis,
Gratia nostra queat largirier emolumenti,
Ut nostrâ quidquam caussâ gerere adgredientur?
Quidve novi potuit tanto post, ante quietos,

Vos, *æterni ignes!* et non violabile vestrum
Testor numen, ait—:

nam solem, lunam, et astra, haud dubie alloquitur; neque admiserim equidem elegantem Marklandi et aliorum quoque conjecturam, *Vestæ*, loco *vestrum*. Notam inspicias inferius, ad ver. 403.

Ver. 162. *perpetuo ævo:* i. e. ex utrâque parte non interrupto, sed ad infinitam longitudinem quaquaversum continuato.

Ver. 163. *ullâ vi ex:* sic P. Vind. L. M. Σ. Ω. exhibent; V. ed. *illum ex;* O. *ullam de;* Δ. Π. *ullam ex:* hic autem in margine, *illum de.* Vulgo, *ullum de.*—*sedibus:* P. *sensibus.*

Ibid. *Solicitare ex sedibus:* i. e. "*de* "*solo* ac fundamento *sedes ciere*, vel mo- "vere:" vide Festum in *Solicitare*, et Calphurnium, ad Terent. Heaut. iii. 1. 52. Glossæ veteres: "*Solicitat*, ανασειει" accuratissime.

Ver. 164. *summâ:* i. e. *in summâ*, uti plenius noster formulam extulit superius, ad iii. 84. i. e. *tandem, denique;* "ut "omnia uno verbo breviter comprehen- "dam." Jam vero sic scribitur in omnibus exemplaribus, quamvis editores, ad nullum facinus in contaminando Lucretii corpore cessantes, nobis commentitium suum *summam* obtrudere non erubuerint. Lambinus proposuit, *fundo;* Bentleius, *pessum.* Tædet harum ineptiarum, pudetque.—V. ed. insuper, pro *imo*, dat *uno.*

Ver. 165. *adfingere et addere.* Cæsar, bell. Gall. vii. 1. "Eæ res in Galliam "Transalpinam celeriter perferuntur: *ad-* "*dunt* ipsi *et adfingunt* rumoribus Galli, "quod res poscere videbatur." Ubi nescio an operæ sit pretium leviter castigare Græcum interpretem: Περι τυτων δ' ευθυς —αγγελιων ελθυσων, ΑΤΤΑΙΣ εκεινοι προς- πλαττυσι—· nempe, αγγελιαις· vulgo, αυτοις.

Ver. 166. *Desipere:* Π. *De super.*—*inmortalibus:* O. Π. *mortalibus.*

Ver. 167. *emolumenti:* Σ. *rem alimenti;* attractâ præcedentis dictionis literâ finali. —Porro, hoc argumentum alias positum est verbis aliis, ii. 649. ubi similiter deorum naturam attinet:

Ipsa suis pollens opibus, nihil indiga nostri,
Nec bene promeritis capitur, neque tangitur irâ.

Arnobius, lib. ii. p. 69. "Et quid homines "prosunt mundo, aut ob rei cujus sunt "necessarii caussam—?"

Ver. 168. *quidquam:* V. ed. B. *quicquid.*—*adgredientur:* i. e. aggressuri sint; vel *nunc* utique, vel *posthac.* Sic autem scriptum invenitur in P. Vind. V. ed. Σ. Ω. vulgo, *aggrediantur;* hoc autem imputem sane recentibus correctoribus: quod enim sileatur de codicibus B. L. M. id negligentiæ collatorum largiendum.

Ibid. *quietos Inlicere.* Similiter Dido Virgiliana Epicuream agit, ad Æn. iv. 379.

Scilicet is *superis* labor est! ea cura *quietos*
Solicitat!—

170 Inlicere, ut cuperent vitam mutare priorem?
Nam gaudere novis rebus debere videtur,
Quoi veteres obsunt: sed, quoi nihil adcidit ægri
Tempore in ante acto, quom pulchre degeret ævom,
Quid potuit novitatis amorem adcendere tali?
175 An, credo, in tenebris vita ac mœrore jacebat,
Donec diluxit rerum genitalis origo?
Quidve mali fuerat nobis non esse creatis?

Ad quem versum Servius consulendus est.

Ver. 172. *obsunt:* Vind. *absunt.*—*quoi:* O. Δ. *cum.*

Ver. 173. *pulchre degeret ævom:* i. e. *bene* et *beate.* Cicero, pro Muræn. 12. "Prætor interea ne *pulchrum* se ac *beatum* putaret—." Terentius, Adelph. v. 9. 22.

Syre, processisti hodie *pulchre.*

Ver. 174. *Quid:* P. *Qui;* Π. *Quis.*—*novitatis:* V. ed. *novitas.*—*amorem:* P. *amore;* quod meo gustui non deterius. Virgilius, Æn. vii. 550.

*Adcendam*que animos insani Martis *amore.*

—*adcendere:* P. O. *accedere.*—*tali:* O. Δ. *talis.*

Ver. 175. Hunc versum versus 177. præcedit in P. V. ed. O. Δ. Π. Σ. Ω. sed omnino perperam.

Ibid. *in tenebris vita, ac mœrore.* Hæc in oculis erant Maronis, ad Æn. ii. 92.

Adflictus, *vitam in tenebris, luctuque,* trahebam.

Sane pro *vita,* Π. *vitam* præbet; quasi scilicet noster pressius effictus esset Mantuano, quum ad hunc modum primitus comparuerit exhibitus:

An, credo, in tenebris *vitam,* ac mœrore, *trahebant*

Quod profecto dilucidius; sed plurium et meliorum codicum consensus mutationem vetat. In L. M. hic et, qui sequitur, versus transpositi leguntur.

Ver. 176. *diluxit.* Elegantissimam perraramque dictionem et Horatius adhibuit similiter, in epist. i. 4. 13.

Omnem crede diem tibi *diluxisse* supremum:

i. e. "crede *diluculum* cujusvis diei tibi "supremum oboriri." Hoc vocabulum, ni fallor, Ciceroni restituendum est in Arato, ver. 268.

Ni parte ex Aquilonis opacam pellere nubem
Cœperit, et subitis auris *diluxerit* ara.

Libri, *diduxerit;* uti *deduxisse* scribitur in Ascensii scholiis ad Flacci locum. *Auris* autem, pro *splendoribus;* ut Virgilius, Æn. vi. 204.

——— auri per ramos *aura* refulsit.

Etiam Priscianus, perieg. 1020.

Atque *aurâ* viridi, legitur, quæ *splendet,* iaspis;
Curaliique decus liquidi, *clari*que topazi.

Ita rescribendum dico. Vulgo, "*grati*-"que topazi." Ven. Hon. Fortunatus, de part. virg. 312.

Quando pavimentis *alba topazus* inest:

i. e. fulgida, splendida. Nonnulli scribunt, *clara;* sed indoctissime: vide nos de hoc sensu vocis *albus,* ad ii. 890. Idem ille Fortunatus, poëm. ix. 23. 18.

Unde datæ sibi sunt *alba topazus,* onyx.

Sic distinguendum. Ibid. vii. 4. 264.

Ordinibus variis *alba smaragdus* inest:

clara scilicet. Et in animo mihi sedet, haud aliam medicinam Venusino quoque vati faciendam esse, od. iv. 5. 7.

Instar veris enim, vultus ubi tuus

Natus enim debet quiquomque est, velle manere
In vitâ, donec retinebit blanda voluptas:
180 Qui numquam vero vitæ gustavit amorem,
Nec fuit in numero; quid obest non esse creatum?
Exemplum porro gignundis rebus, et ipsa
Notities hominum diis unde est insita primum,
Quid vellent facere, ut scirent, animoque viderent?
185 Quove modo est umquam vis cognita principiorum,

Affulsit, populo *clarior* it *dies*,
Et *soles* melius *nitent*.

Sic omnia pulcherrime concordant, et proportio sermonis aptissima conservatur. Ammianus Marcellinus, xxv. 10. "Cyd-"nus,—*gratissimus* amnis, et liquidus—." Lego, *clarissimus;* nam, qui poëtas passim imitatus, hic exprimit Horatium, epist. ii. 2. 120.

Vehemens, et *liquidus*, *puro*que simillimus *amni*.

Vide Ovid. art. am. iii. 204. et æquum est, ut mittaris etiam ad Priscian. perieg. 762. contra nos, ut nunc scribitur, facientem. Sed enim certissimam esse nostram Prisciani correctionem exemplar ejus liquidissime ostendit, Dionysium dico, perieg. 1121.

Η και γλαυκιοωντα λαθον ΚΑΘΑΡΟΙΟ τοταζυ:

i. e. *puri*, clari. Exemplum insuper nominis *aura*, ad eundem significatum, ille Fortunatus suppeditat, in part. virg. i. 307.

O! quoties coctum zonæ micat *aura* per aurum!

Denique, Avienum emaculabo, in Arat. 268.

——————— quâ se confinia lucis
Diducunt pedibus, major quâ luminis *aura*
Verberat, et rutilo sidus magis æstuat astro.

Libri dant *auras*.

Ibid. *rerum genitalis origo*. Versus hic elegantissimus, et prior in ii. 1104. haud latuit Silium Italicum, qui veneres Lucretianas ita vario cultu exornavit, ad Pun. xiii. 528.

Huc, quidquid terræ, quidquid freta, et igneus *æther*
Nutrivit *primo mundi genitalis ab ævo*,
(Mors communis agit) descendunt cuncta—.

Sic legitur, non *aër*, in Aldi et Colinæi exemplaribus; et sic erat vel invitis membranis legendum, quamvis aliter Heinsius censuerit, et Drakenborchius ediderit.

Ver. 179. Hic et statim veniens absunt Π.

Ver. 180. *vero vitæ:* Ω. *vere vitam.—gustavit:* V. ed. O. Δ. Ω. *gestavit.*—Non displicuisset:

Qui numquam vero *vitam* gustavit *amore*.

Ibid. *vitæ gustavit amorem*. Non multo dissentit illa S. Matthæi phrasis, cap. xvi. com. 28.—*οἱ τινες ȣ μη* ΓΕΥΣΩΝΤΑΙ ΘΑΝΑΤΟΥ—. Plura dedimus ad Silv. Crit. sect. lxxii.

Ver. 181. *Nec:* Π. *Non.—numero:* O. Δ. *mundo;* non absurde, sed exquisitior est, et eruditior, recepta lectio.—*obest:* Ω. *abest.*—Heinsius insuper, in notis ad Ovid. Nucem, ver. 107. dicit, quosdam codices habere *creato*. Quinam sint isti codices, juxta cum maxime ignaris equidem ignoro: saltem nihil esse novandum statuo, vel ob varietatem locutionis, quam opere summo Lucretius sectari solet; confer ver. 177. *Creato*, *creatō*, *creatom*.

Ver. 183. *diis unde est:* sic B. L. M. nec multo aliter Δ. Ω. *divis unde est:* P. autem *divis unde;* Vind. Σ. *divisum est;* V. ed. O. *divisum deest;* Π. *divis deest*.

Ver. 184. *ut:* Δ. *aut;* atque, in versu statim venturo, *inquam* non illepide, vice *umquam*.

Quidque inter sese permutato ordine possent,
Si non ipsa dedit specimen Natura creandi?
Namque ita, multimodis, multis primordia rerum
Ex infinito jam tempore percita plagis,
190 Ponderibusque suis consuerunt concita ferri,
Omnimodisque coire, atque omnia pertentare,
Quæquomque inter se possint congressa creare;
Ut non sit mirum si in taleis dispositurâs
Deciderunt quoque, et in taleis venere meatus,

Ver. 186. *Quidque:* B. *Quidve;* Σ. *Quæque;* etiam bene. Editi, *Quidnam*, ex arbitrio: audacter, et inscite.—*sese:* Vind. V. ed. L. M. Δ. Σ. Ω. *se.*

Ver. 187. *specimen:* P. V. ed. L. M. O. Δ. Π. Ω. *speciem:* sed Pius recte emendavit, scribendum edicens *specimen:* de quâ commutatione nonnulla dedimus ad iv. 77. 135.

Ver. 190. *consuerunt.* Lege, *consuerant.*

BENTLEIUS.

Non probo: nam ea est hujusce temporis potestas, ut significet, non solum in seculis præteritis hoc modo res administratas esse, sed hodieque sic administrari: vide nuperrime animadversa, ad ver. 151.

Ver. 191. *omnia pertentare:* i. e. de maxime proprio verbi sensu, *experimentis omnigenis abuti:* sic alii. Glossator vetus: "*Pertento, αποτιρωμαι.*" Scribunt autem Vind. Δ. *pertemptare:* uti passim exhibent libri manu exarati. Notum est.

Ver. 193. *in taleis:* V. ed. *vitales;* obviis cuilibet erroribus.

Ver. 194. *Deciderunt:* P. *Deciderint.* —*taleis:* Π. *talibus.*—*meatus:* Pii codices, et Δ. *novatus;* Vind. Ω. *mestus;* V. ed. Π. *mœstus;* Σ. *in estus;* quæ mira sunt colluvies corruptelarum.

Ver. 195. *geritur:* Lambinus, contra libros veteres universos, nullo prorsus usu, suum *genitur* rursus ingerit. Nos, aliter atque editoribus aliis factum est, virum doctissimum nimis patienter imitantibus, maculam elutam prorsus voluimus.

Ibid. *novando:* passive; *dum novatur.*

BENTLEIUS.

Ver. 196. *si jam:* O. Ω. *jam nunc;* Δ. *jam ego:* V. ed. B. M. Δ. Π. Σ. abest *si.*—Hunc autem versum, et, qui sequuntur, quatuor, jam legimus, aliquantulum diversimode scriptos, ad ii. 177—182. Codicibus utrobique nos obsequimur, et poëtæ libertatem subinde sermonis variandi concedendam esse prorsus arbitramur, nec unum locum ex altero contra libros temere corrigi debere.

Ver. 201. *quantum:* P. V. ed. *quam tum.* —*tegit:* Π. *gerit;* et, pro variâ lectione, *regit.*

Ibid. *cœli tegit inpetus ingens:* vide sis i. 987. Sic Ovidius, met. i. 5.

Ante mare, et terras, et, quod *tegit omnia, cœlum:*

quæ videtur ex Hesiodo derivasse, Theog. 127. sic versibus nitidissimis canente:

Γαια δε τοι πρωτιστον εγενατο, ισον εαυτῳ,
Ουρανον αστεροεντ', ινα μιν περι παντα καλυπτῃ,
Οφρ' ειη μακαρεσσι θεοις εδος ασφαλες αιει.

Plinius, nat. hist. ii. init.—"*cœlum,*— "cujus circumflexu *teguntur omnia.*" Accedat insuper Arnobius, lib. iii. p. 120. —"universam istam molem mundi, *cu-* "*jus* omnes *amplexibus* ambimur, *tegi-* "*mur,* ac sustinemur—." Hesiodum vero correximus, ad scholiastem Pindari, Nem, vi. 1. ubi versus leguntur.

195 Qualibus hæc rerum geritur nunc summa novando.
Quod, si jam rerum ignorem primordia quæ sint,
Hoc tamen ex ipsis cœli rationibus ausim
Confirmare, aliisque ex rebus reddere multis;
Nequaquam nobis divinitus esse paratam
200 Naturam rerum; tantâ stat prædita culpâ.
Principio, quantum cœli tegit inpetus ingens,
Inde avidam partem montes, sylvæque ferarum,
Possedere; tenent rupes, vastæque paludes,

Ibid. *cœli inpetus ingens.* Illustravimus non paucis exquisitissimam locutionem ad iv. 418. Neque aliter Cicero, qui Lambinum non latuit, nat. deor. ii. 38. in loco vere frugifero, nobilique: "Quum "autem *inpetum cœli* cum admirabili "celeritate moveri vertique videamus, "constantissime conficientem vicissitu-"dines anniversarias cum summâ salute "et conservatione rerum omnium; dubi-"tamus, quin ea non solum ratione fiant, "sed etiam excellenti divinâque ratione?" Quæ sic integra lector scitus cum voluptate perleget.

Ver. 202. *avidam:* "quasi scilicet, suâ "portione parum contenti, omnia *rapere* "vellent, et haurire:" i. e. facili sensûs flexione, et per schema impendio venustum, nec ingenio elegantissimo non dignum, "*magnam* partem:" conferas inferius, ver. 471. et quæ notavimus super hac phrasi, ad ii. 1065. Illos profecto nascentes lumine parum placido Musæ viderunt Gratiæque, qui vel vocabulum aliter interpretari velint, vel *aliam*, aut *habitant*, de quorundam sententiâ reponere.—Porro, Π. codex *sylvas*, loco *sylvæ*.

Ibid. *montes, sylvæque ferarum.* Indole pastorali locum, longe longeque venustissimum, non nullis oculis Virgilius adspexit, in ecl. v. 28.

——— *montes*que feri, *sylvæque*— :

et mox ibidem, x. 52.

——— in *sylvis*, inter spelæa *ferarum*.—

Ver. 203. Parvâ verborum ratione habitâ, structuram hujusce versûs, numerosque, vates idem Mincianus fidelissime quidem repræsentavit, ad geo. ii. 144.

Inplevere; *tenent* oleæ, armenta*que* læta.

Unde, ut id obiter animadvertam, codicis Medicæi lectio damnatur, *oleæque.*

Ibid. *vastæque paludes.* Idem, Æn. xii. 745.

Atque hinc *vasta palus*, hinc ardua mœnia cingunt.

Intelligo autem, inanes, vacuæ, ατρυγετοι, *infructuosæ* denique, *paludes.* Sic ille rursus, ad Æn. ii. 780. ut alibi:

Longa tibi exsilia, et *vastum maris* æquor arandum:

Homerum æmulatus, Il. A. 316.

——— παρα θιν' ΑΛΟΣ ΑΤΡΥΓΕΤΟΙΟ.

Quod autem dictio *vastus* in secundario sensu *magnus*, sive *ingens*, possit, id equidem ad primitivorum hominum consuetudinem referendum existimem; se sub incunabulis mundi per terrarum orbes dispergentium, atque solitariis, uti par erat, regionibus et undequaque *vacuis* incurrentium.

Ver. 204. *distinet:* P. V. ed. *destinat;* Π. *destinet:* sed prisci codices Pii vulgatam dictionem exhibent.

Ibid. *mare, quod terrarum distinet oras:* i. e. *oceanus dissociabilis;* ut Horatius, od. i. 3. 22. BENTLEIUS.

Et mare, quod late terrarum distinet oras.
205 Inde duas porro prope parteis fervidus ardor,
Adsiduusque geli casus, mortalibus aufert.
Quod super est arvi, tamen id natura suâ vi

Ad quem locum tamen animadversiones viri maximi præstiterit consuluisse; et, de potestate vocis *distinet*, Heinsium, ad Ovid. epist. viii. 69. (ubi eadem invenitur lectionis dissimilitudo, atque in Lucretio) nostri non immemorem, et otium nobis valde gaudentibus facientem.

Ver. 205. Huic errori subscripsit etiam Pelignus vates, met. i. 49.

Quarum quæ medio, non est habitabilis æstu;
Nix tegit alta duas.

Evulgari solet, *media est;* sed Gronoviani codicis nobis arridet lectio, ob injucundam vocis *est* repetitionem. Neque in vulgarem opinionem non se contulit Horatius, od. i. 22. 22.

Pone sub curru nimium propinqui
Solis, in terrâ domibus negatâ.

Ad quem locum Cunninghamius, ille criticus illaudabilis, cum temerario suo contextûs inquinamento buccis omnibus exsufflandus est, atque despuendus.

Ibid. *duas parteis ardor aufert.* Colorem Lucretiani sermonis Plinius æmulatus est, nat. hist. ii. 68. " Ita *terræ tres* " *partes abstulit cœlum:* oceani *rapina* " in incerto est." Et vocabulo Pliniano *rapina* multum illustratur nostra, in ver. 202. expositio dictionis *avidam.*

Ver. 206. *geli.* Hujusce formæ, *gelus*, vel *gelum*, *geli*, meminit Nonius Marcellus, iii. 104. viii. 26. 7. exempla ex Afranio, Accio, Catone, Lucretio, et Varrone, proferens; nec non Priscianus, lib. v. p. 658. Adjice Catonem illum, de re rust. sect. 40. fin. " Postea stramentis circum- " dato, adligatoque, ne *gelus* noccat." Vetus glossarium: " *Gelus, παγετος*" et rursus: " *Παγετος, gelus.*"

Ibid. *Adsiduus geli casus.* Videtur pro *nivis* posuisse in hoc versu *το geli* noster: quasi nimirum per zonam glacialem *nives* indesinenter caderent. Huic rei periodus jucundissimi locutuleii venusta lucem fœnerabit; Herodotum dico, in Melpom. 31. Περι δε των πτερων, των Σκυθαι λεγουσι αναπλεων ειναι τον ηερα, και πετεων εἱνεκα ου οἱα τε ειναι ουτε ιδειν το προσω της ηπειρου, ουτε διεξιεναι, τηνδε εχω περι αυτεων την γνωμην· τα κατυπερθε ταυτης της χωρης αιει νιφεται, ελασσονι δε τε θερεος, η τε χειμωνος, ὡς περ και εικος· ηδη ων, ὁς τις αγχοθεν χιονα ἁδρην πιπτουσαν ειδε, οιδε το λεγω· εοικε γαρ ἡ χιων πτεροισι· και δια τον χειμωνα τουτον, εοντα ποιουτον, ανοικητα τα προς Βορην εστι της ηπειρου ταυτης. Τα ων πτερα, εικαζοντας, την χιονα τους Σκυθας τε και τους περιοικους δοκεω λεγειν. Postremæ porro clausulæ hic est ordo, constructioque, Latine redditæ; quod moneo, quum latuerint Wesselingium: " Opinor igitur Scythas, et popu- " los circum, usos similitudine, hoc no- " mine pennarum nivem donare."

Ver. 207. *suâ vi:* V. ed. *suavi;* coalitis dictionibus.

Ver. 208. *Sentibus obducat:* Δ. *Gentibus abducat;* quæ varietas lectionis est longe longeque venustissima: et in scripturâ *Gentibus* exhibendâ conspirant O. et Σ. sed elegantem aberrationem Mantuanus arguit, geo. ii. 411.

Bis segetem densis *obducunt sentibus* herbæ.

—*ni:* V. ed. *iri;* de quâ confusione elementorum *ir* et *n*, Drakenborchius admonuit, ad Liv. vii. 26. 1. qui videndus: Σ. *vi;* Π. *nisi;* quod placuisset, si Mantuanus idem ille non iterum obstaret, qui sic sua, in geo. i. 198. ad versus Lucretianos omnia studiose coloravit:

Vidi, lecta diu, et *multo spectata labore*,
Degenerare *tamen; ni vis humana* quot annis
Maxuma quæque manu legeret——.

Sentibus obducat, ni vis humana resistat,
Vitaï caussâ, valido consueta bidenti
210 Ingemere, et terram pressis proscindere aratris:
Si non, fecundas vortentes vomere glebas,

Ver. 209. *Vitaï caussâ:* i. e. *victûs;* ut Græci βιος passim. D. Lucas, evang. xxi. 4.—αυτη δε, εκ τȣ ὑστερηματος αὑτης, ἅπαντα τον BION, ὁν ειχεν, εβαλε: quem locum tetigimus ad Silv. Crit. sect. xci.

Ver. 210. *pressis:* Π. *possis.*—Versus deest M.

Ibid. *Ingemere et pressis aratris.* Ex magnifico sane versu gemellos non minus magnificos summa Virgilii solertia confecit, et pausâ simili intercidit, ad geo. i. 45.

Depresso incipiat jam tum mihi taurus *aratro*
Ingemere; et, sulco adtritus, splendescere vomer.

His autem clare ostenditur, quantum frigeat Heinsiana divinatio ad Calpurn. ecl. iv. 121.

Jamque palam *presso* magis, ac magis, instat *aratro:*

ibi *prenso* scilicet substituens.

Ibid. *terram pressis proscindere aratris.* Hinc profecerunt Avieni versus, in Arat. 616. cum quibuslibet vel primariorum poëtarum elegantiâ, me hortatore, certaturi; nec sine multâ voluptate lautis lectoribus tractandi:

Nec minus, arenti cum crine attollitur *Æstas,*
Et cum, cana comas, redit anno Bruma rigenti,
Tempora designant: nam, si se gurgite tollunt
Vergiliæ, curvas in flava novalia falces
Exercere dies; si condunt æquore flammas,
Tellurem presso proscindere tempus *aratro.*

Sic rescribimus in primo versu, pro frigido, atque haud dubie vitioso, *æstus* librorum. Voces *æstas* et *æstus* subinde mutatas esse librariis, Burmannus observavit, ad Anthol. Lat. v. 60. 2. unde didici quoque, meam Avieni emendationem Ulitio præreptam esse ad Grat. cyneg. 59. qui totam restituti versûs laudem, si qua est ea gratia,

——— habeat secum, servetque sepulcro.

Non aliter porro locutus est Columella, x. 318. atque ii. 4. 9. quem admovebo; nec tamen ut phraseos pervagatissimæ exemplum præbeam, sed ut lectio, quam Lucretio meo redonaverim, ad i. 176. pulchre confirmetur: "*Colles* pinguis solli, peractâ satione trimestri, mense Martio, si vero tepor cœli, siccitasque regionis, *suadebit,* Februario statim, "*proscindendi* sunt." Addam Silium Italicum, xvi. 552. Cari dubio procul haud oblitum:

——— duxere juvencos,
Impressis dociles *terram proscindere aratris.*

Et constituam rectius versus Hilarii perelegantes, in Genes. ver. 103.

Cum juga nulla forent, *et* vomer nullus aratri;
Mugiret nullus *proscissis* taurus in arvis.

Vulgo, "*nec* vomer;" punctis etiam male dispositis. Nec non Priscianum, perieg. 180. leviter castigabo:

Saltibus hos duris asper, sylvisque, vagantes
Victus alit, sævâ quæsitus cæde ferarum;
Scilicet ignaros *terram proscindere aratris*——.

Libri, *terras.*—Cæterum, librarii scriptores passim vice *proscindere* ponunt *perscindere,* quod in hoc usu minime ferendum; quum *proscindere* sit *porro scindere,* vel ορθοτομειν· de quâ re nos egimus ad Silv. Crit. iv. pp. 58. 59. Hinc ita sincerissime scribitur elegantissimum carmen in Anthol. Lat. Burm. iii. 179. 8.

Dædalus adstruitur terras mutasse volatu,
Et medium pennis *prosecuisse* diem.

Male quidam, *persecuisse;* pessime Heinsius, *præsecuisse.* Nempe, Dædalus aëra *enatavit:* confer quæ diximus superius, ad iii. 590. Virg. Æn. v. 158. Claudian. epithal. Pall. et Celer. ver. penultimo. Idem tamen Heinsius, ad perelegantes versus Silii, Pun. viii. 603.

Terraïque solum subigentes, cimus ad ortus;
Sponte suâ nequeant liquidas exsistere in auras.
Et tamen, interdum magno quæsita labore,
215 Quom jam per terras frundent atque omnia florent;
Aut nimiis torret fervoribus ætherius sol,
Aut subitei perimunt imbres, gelidæque pruinæ,

Quique gravi remo, limosis segniter undis
Lenta, paludosæ *proscindunt* stagna Ravennæ:

recte repudiavit vulgatum *perscindunt*. Sic autem locus iste interpungi debet; quem punctis destitutum Drakenborchius exhibuit, atque in novissimis Ernesti Rupertique exemplaribus male administratum video. Interea, subtilis poëta, et perdoctus, nec invenustus tamen, Sidonius Apollinaris emaculabitur, carm. v. 585.

Qui pacem das, redde animum: lassata juvenci
Cervix deposito melius *prosulcat aratro*
Telluris glebam solidæ——.

Libri, *post sulcat;* sed idem mox, vii. 151.

——————— fecundus ab urbe
Pollet ager, primo qui vix *proscissus* aratro
Semina tarda sitit——.

Neque ambigem, quin vocabulum Latio deperditum, sed in speciosissimis, restituendum sit Claudiano, in Rufin. i. 136.

Longævum mentita senem, rugisque severas
Prosulcata genas, et ficto languida passu——.

Codices, *persulcata* et *præsulcata;* sed nostra dictio propria est in hac translatione, et omnino vel invitis membranis admittenda: conferas Virg. Æn. vii. 417. Pro "maria *persulcantes* Tritonum ca-"tervas," in Apul. met. iv. sub fin. libri, docti ex scriptis multo cum judicio *persultantes* restituere.—Sed enim tempus est, ut opus institutum persequamur.

Ver. 211. *glebas:* Σ. *terras;* pro diversâ lectione.—Et hi versus jam venerunt, ad i. 212. At an hujuscemodi carmen post ver. 210. exciderit?

Herbarum genera, ac nitidarum semina frugum.

Ver. 212. *cimus:* V. ed. *stimus;* permutato *c* cum *t:* nam voluit *scimus*, uti scribitur in Vind. B. M. O. Π. errore recitationis.—*ad:* Π. *ab.*

Ver. 213. *exsistere:* Π. *persistere;* et prisca Pii exemplaria, *exsurgere;* quod est vulgarius, et ex glossemate.

Ibid. *liquidas auras.* Virgilius, geo. i. 404.

Adparet *liquido* sublimis in *aëre* Nisus.

Claudianus, in Prob. et Olyb. cons. 272.

——————— *liquidi* clementior *aura Favonii:*

ut etiam *liquidas auras*, in Rufin. i. 55. et alii porro sæpiuscule: i. e. puras, tenues: unde non erat Prudentius culpandus, de *animâ*, ut *aurâ* quadam *tenuissimâ*, cont. Symm. ii. 187.

Nec mihi difficile est *liquidam* circumdare flammis
Naturam, quamvis *perflabilis* illa feratur
More *noti*——.

Ver. 214. Hinc adumbrata sunt etiam Virgiliana, ad geo. i. 118. et seqq. uti Lambinus quoque prior observavit.—Mox, ver. 216. Δ. *nimium*, pro *nimiis:* et ver. 217. L. *subita.*

Ver. 216. *torret fervoribus.* Martialis hinc videtur corrigendus certissime, ad iv. 56. 5.

Torrida sed *fervent* Nemeæi pectora monstri.

Editi, *Horrida:* vide nos ad iii. 930.

Ibid. *ætherius sol:* i. e. *meridianus*, ut qui *arces ætherias* jam conscenderit: compares Virg. geo. iv. 426. et ibidem, iii. 154. To *nimiis fervoribus* Lucretii, quod explicant adjunctæ voces *sol ætherius*, necesse habuit Mantuanus specialiter nominare *mediis fervoribus.* Nimirum, *ætherius sol*, vel altissimus, et *aërius*

Flabraque ventorum violento turbine vexant.
Præterea, genus horriferum Natura ferarum,
220 Humanæ genti infestum, terrâque marique,
Quur alit, atque auget? quur anni tempora morbos
Adportant? quâ re Mors inmatura vagatur?
Tum porro puer, ut sævis projectus ab undis

sol, vel matutinus, invicem opponuntur: redeas ad notata in iii. 1057. et manum dabis. Consulas etiam ver. 268. hoc libro.

Ver. 217. *subitei imbres:* i. e. subeuntes, præter spem obvenientes; adeas dicta nobis in ii. 363. Suetonius, iii. 14. "Aræ, "sponte *subitis*, conlucerent ignibus:" i. e. sponte ascendentibus. Ita loci constructionem capias.

Ibid. *gelidæque pruinæ, Flabraque ventorum.* Virgilius, geo. ii. 263.

——— id *venti* curant, *gelidæque pruinæ:*

atque mox ibidem ille, ad ver. 293.

Ergo, non *hyemes* illam, non *flabra*, neque *imbres*, Convellunt——.

Ver. 218. *Flabra ventorum vexant.* Seneca, nat. quæstt. iii. 28. "Sunt, qui ex-"istiment, immodicis *imbribus vexari* ter-"ras posse, non obrui." Et haud dubius dixerim huc oculos Arnobium convertisse, lib. vi. p. 191. "Hyemalia sentiunt (dii) "*frigora*, aut *solibus torrentur* æstivis? "Pluvialibus *nimbis* perfluuntur; *vento-"rum* eos aut *turbines vexant?*"—Porro, *vexant* valet, *evellunt*, *lacerant;* quum sit efficacissimæ vis vocabulum: vide sis ad vi. 429.

Ibid. *ventorum turbine.* Hinc facilem admittit explicationem figurata Flori phrasis, crux et ludibrium doctorum, ad iii. 5. 8. "Italiam jam, ipsamque urbem Ro-"mam, regius terror *afflabat.*" Nimirum, modo dixerat,—"subitus *turbo* Pon-"tici belli—erupit."

Ver. 219. *genus horriferum ferarum:* phrasis est Lucretianissima scilicet, vice *genus horriferarum ferarum:* de quâ nos ad i. 473. et alibi Plautus, Epid. i. 1. 16.

Caprigenum hominum non placet mihi, neque *pantherinum, genus.*

Porro, *genus horriferum ferarum* opponitur "*miti* ferarum generi," ad incorruptissimam lectionem, vindicatam nobis, in i. 14. seu *feris pecudibus.* Varro, de re rust. ii. 1. 5. "Etiam nunc in locis mul-"tis genera *pecudum ferarum* sunt ali-"quot—." Sic idem, ibid. 2. 2. et 3. 3.

Ver. 221. *Quur:* ita clare Π. et statim, *Qur.*

Ibid. *anni tempora:* i. e. *tempestates* quæpiam, ut *autumni* puta: vide ii. 31. 32.

Ver. 222. *Adportant morbos.* Non multo aliter, et in consimili materie, Flaccus, epist. i. 7. 9.

Adducit febres.

Ibid. *Mors inmatura.* Maro, Æn. xi. 166.

——— Quod, si *inmatura* manebat *Mors* gnatum——.

Ver. 223. *Tum:* Σ. *Cum.—porro ut:* Π. *vero et.*

Ibid. *sævis projectus ab undis Navita.* Pulcbre politissimus Ovidius, ex Pont. ii. 3. 27.

Ut fera nimboso *tonuerunt* æquora vento,
In mediis lacerâ puppe relinquor aquis:
Cumque alii nolint etiam me nosse videri,
Vix duo *projecto*, tresve, tulistis opem.

In primo versu libri fluctuant inter voces *tumuerunt*, *tenuerunt*, *timuerunt*, *sonuerunt*, et quam restituimus poëtæ, longe venustissimam incorruptissimamque; uti scite Burmannus etiam judicavit: adeas animadversiones meas in Virg. Æn. xii. 366. Præterea, Apuleius, met. i. p. 50. nostrum presse subsecutus est: "At ego,

Navita, nudus, humi jacet, infans, indigus omni
225 Vitali auxilio; quom primum in luminis oras
Nixibus ex alvo matris Natura profudit:

" ut eram, etiam nunc *humi projectus*, " inanimus, *nudus*, et frigidus, et lotio " perlutus, *quasi recens utero matris* edi- " tus, imo vero semimortuus—." Nonnulli legunt, *perlitus:* et forsitan indoli sermonis congruenter. Favet appositissimus locus Tertulliani, de carn. Christ. 4. " Horres utique et *infantem*, cum suis " impedimentis *profusum* utique, et *obli-* " *tum*."

Ibid. Aliud habes argumentum: " Si " dii mundum fecissent, melior foret ho- " minum, quam aliorum animalium, con- " ditio: at longe deterior; et, si rem ip- " sam attendas, brutis parens videtur Na- " tura, hominibus noverca." Creechius.

Ibid. *puer infans:* i. e. ut Horatii verbis utar, od. iv. 6. 18. *nescius fari puer.*

Ver. 224. *Navita:* Vind. *Nam ita;* V. ed. autem, *Nauta.*

Ibid. *nudus humi jacet.* Serenus Samonicus, de med. 1038. locum Lucretii respexit, et singula pene verba mutuatus est:

Nudum hominem *primum mundi natura profundit:*
Insuper excruciat, niveis quum dentibus armat.

Sic prior versiculus omnino rescribendus est, qui solet hoc modo exhiberi:

Nudum hominem primum *mater* natura *profudit:*

quarum hæc lectio constructionis indoli repugnat; illa, ut videtur, scriptis exemplaribus. Statius, silv. i. 2. 109.

——————— *tellure cadentem*
Excepi, fovique sinu:

ut ibidem ille, v. 5. 69. et in Theb. i. 60. Homeri, quem Lambinus adscripsit, profecto memor, ad Il. T. 110.

Η μεν τον παντεσσι περικτιονεσσι αναξειν,
Ος κεν επ' ηματι τωδε ΠΕΣΗ μετα ποσσι γυναικος
Των ανδρων, οι σης εξ αιματος ειση γενεθλης.

Ubi bene scholia vulgaria, ac Villoisoni. Homerum autem Oppianus expressit, cyneg. iii. 201. Addas Anthol. Lat. Burm. ii. 186. 20.

Consule Pompeio, vitalibus editus auris,
Et Crasso, *tetigit terram.*

Ubi notes velim insolentissimam locutionem, *editus auris*, vel expositus; quam Virgilius tuetur tamen, ad geo. ii. 188.

——————— quique *editus austro*—.

Porro, hac demum comparatione usus est, nec inscite quidem, Orosius, ii. 11. " Mardonium, deletis copiis ipsius, *velut* " *e naufragio nudum*, cum paucis fugere " compulerunt."

Ibid. *nudus jacet.* Haud aliter de Palinuro, *sævis ab undis projecto*, Mincianus vates, Æn. v. fin.

Nudus in ignotâ, Palinure, *jacebis* arenâ.

Ibid. *infans:* i. e. qui fari nequeat: adi annotata superius, ad iv. 1157.

Ver. 225. *Vitali.* Varietas unius et alterius editionis, *Vitaï* nempe, scribitur in margine Δ. codicis; et immerito sane Bentleii approbationem nacta est.

Ver. 226. *alvo:* Π. *albo.*—*profudit:* P. V. ed. M. *profundit;* sed rationes structuræ recepto vocabulo suffragantur.

Ibid. *Nixibus profudit.* Maro, geo. iv. 199.

——————— aut fetus *nixibus* edunt.

Idem alibi, Æn. viii. 139.

Vobis Mercurius pater est; quem candida Maia
Cyllenæ gelido conceptum vertice *fudit.*

Manilium præterea adducam, ut explicem vindicemque, ad ii. 875.

——————— merito Typhonis habentur
Horrendæ sedes, quem Tellus sæva *profudit*
Cum bellum cœlo peperit; nec matre minores
Exstiterunt partus: sed fulmine rursus in altum
Compulsi; montesque super rediere cadentes.

Vagituque locum lugubri conplet, ut æquum est,
Quoi tantum in vitâ restet transire malorum.
At variæ crescunt pecudes, armenta, feræque:

In secundo versu, Bentleius reposuit *Horrendi;* quod aut verum est, aut non: mihimet haud prorsus necessarium videtur. In tertio, vir egregius rescripsit *vix*, pro *nec:* valde infeliciter, et elegantias auctoris sui parum capiens. Tu mecum interpreteris, lector: "Nec minores quam "pro tali matre;" vel quales a tali matre exspectavisses, ipsam magnitudine referentes. Quibus nihil exquisitius novi, venustiusque. Denique, vir sagacissimus, in quarto versu, scribendum dicit *alvum*, pro *altum;* quæ longe verissima, ac tanto artifice digna, emendatio.

Ver. 227. *Vagitu lugubri.* Apuleius, met. vi. p. 389. "—sive tu Sami, quæ "*querulo partûs vagitu*, et alimoniâ tuâ, "gloriatur—." Sic rescribendum puto: perpendas varietatem lectionis ad locum. Accedat etiam Plinius, nat. hist. vii. init. "Natura—hominem tantum, *nudum*, et "in nudâ *humo*, natali die abjicit ad *va*-"*gitus* statim, et ploratum; nullumque "tot animalium aliud ad lacrymas, et has "protinus vitæ principio:" quem Lambinus advocavit.

Ver. 228. *Quoi:* Ω. *Qui.—tantum:* Π. *tamen.*

Ibid. *tantum in vitâ restet transire malorum.* Pulcherrimam profecto per metaphoram, a conditione *viatorum* derivatam, mortales peregrinantes errantesque in vitâ noster παθητικως et ornate significavit: οἴζυρους nimirum βροτους· ξενους tantum, και παροικους, και παρεπιδημους, επι της γης: uti dicimur homunciones oraculis salutis, epist. ad Heb. xi. 13. 1 Pet. ii. 11. Noster Æschylum forte an tenuerit in animo, ad Choëph. 268.

——— κελευων τονδε ΚΙΝΔΥΝΟΝ ΠΕΡΑΝ.

Cæterum, versuum Lucretianorum enarratio quæpiam, Lambino quoque commemorata, in libro de opif. Dei, cap. 3. facta, quamvis prolixior, ut scriptor est in purissimis et venustissimis, lectori lauto nec tædium pariet, nec displicebit: "Que-"runtur, hominem nimis imbecillum et "fragilem nasci, quam cætera animalia "nascuntur; quæ, ut sunt edita ex utero, "protinus in pedes suos erigi, et gestire "discursibus; statimque aëri tolerando "idonea esse, quod in lucem naturalibus "indumentis munita processerint: homi-"nem contra, *nudum*, et inermem, *tan*-"*quam ex naufragio in hujus vitæ mise*-"*rias projici*, et expelli; qui neque mo-"vere se loco, ubi *effusus* est, possit, nec "alimentum lactis appetere, nec injuri-"am temporis ferre: itaque Naturam, "non matrem esse humani generis, sed "novercam; quæ cum mutis tam libera-"liter se gesserit, hominem vero sic *effu*-"*derit*, ut inops, et infirmus, et *omni* "*auxilio indigens*, nihil aliud possit, "quam fragilitatis suæ conditionem plo-"ratu ac fletibus suis ominari: scilicet

"Cui tantum in vitâ restet transire malorum."

Porro, vice *transire*, L. M. *transire est;* quod si fideliter relatum sit, quid sibi velit neutiquam intelligo. Et mox Π. *Et*, pro *At.*

Ver. 229. *variæ pecudes.* Lego:

At *validæ* crescunt pecudes——.

BENTLEIUS.

Seu potius forsitan:

At variæ crescunt *volucres*, armenta——:

conferas enim ii. 144. iv. 1191. sed periculosum est subitis quibuslibet cogitationibus obtemperare.

Ver. 230. *Nec crepitacillis:* sic verissime scribunt Pii quidam codices, L. M. Δ. cum editionibus Juntinâ et Aldinâ posteriore; Vind. *Nec receptaculis;* V. ed. B. *Ne crepitaculis;* O. *Ne crepitat ancillis;* Π. *Nec reputaculis;* Σ. *Nec re-*

230 Nec crepitacillis opus est, nec quoiquam adhibenda est
Almæ nutricis blanda, atque infracta, loquela;
Nec varias quærunt vesteis pro tempore cœli:
Denique, non armis opus est, non mœnibus altis,
Quei sua tutentur; quando omnibus omnia large

pitacillis; Ω. *Nec repit ancillis:* quæ dissimilitudines sunt vitia manifestissima quidem, et explicatu facillima, lectionis sinceræ, quam exhibuimus: P. *Nec crepitacula eis;* uti solet evulgari, satis horride, et libris vetustissimis atque incorruptissimis reclamantibus. Ita MSS. exemplaria Tertulliani, quo nemo, si excipias unum Arnobium, locutiones Lucretianas diligentiore studio venatus est, in tractatu adv. Jud. cap. 9.—" scilicet vagi- " tu ad arma esset convocaturus infans; " et signum belli non tubâ, sed *crepita-* " *cillo*, daturus."

Cæterum, pro *quoiquam*, P. Vind. Σ. Ω. *cuique;* nec perperam, opinor. Arnobius autem plus semel hos Lucretii versus videtur in oculis habuisse. Sic, lib. ii. p. 70.—" tum ad silentium pavidæ *nutricis*, " motibus (f. *vocibus*), et *crepitaculis* ad- " ducerentur auditis." Rursus, lib. iv. p. 140. im. " Ergone, iterum dicam, to- " nans, fulgurans, et fulminans, et nubila " terribilia conducens, suxit fluenta mam- " marum, *vagitum* edidit, repsit, atque, " ut fletum exponeret ineptissime tractum, " *crepitaculis* obticuit auditis, et ad som- " nos inductus est in mollissimis cunis " jacens, et *vocibus* delinitus *infractis?*" Denique, lib. vii. p. 237.—" ut parvuli " pusiones ab ineptis vagitibus *crepitacu-* " *lis* exterrentur auditis?"—Sane minime necessum est, ut pedestris scriptor se metri necessitatibus obstringat; equidem mirabor tamen, si non invenient, quibus MSS. Arnobii exemplaria contigerint, nostrum *crepitacillis*, pro vulg. *crepitaculis*, in uno saltem atque altero locorum, modo citatorum: adeo presse Lucretii vestigiis insectator ille Gentium nusquam non insistit. Festivissime Calpurnius de Sileno, Bacchum alumnum blanditiis demulcente, ecl. x. 30.

——————— motuque quietem
Adlicit, aut tremulis quassat *crepitacula* palmis.

Unde, ut id obiter notem, scriptura vulgaris in primo locorum Arnobii confirmatur. Avienus insuper elegantissime in Arat. 113. de *Jove:*

Cum puer, agrestes inter Curetas, et inter
Dictææ longum latuit *crepitacula* rupis.

Martianus Capella, lib. i. p. 5. " Tunc " *crepitacula*, tinnitusque, queis infanti " somnium duceret, adhibebat quiescenti." Elegantissime J. Pollux, ix. 27.—*το κροταλον,—ᾧ καταβαυκαλωσιν αἱ τιτθαι, ψυχαγωγουσαι, τα δυςυπνουντα των παιδιων.* Ab inarticulato sono *βαυ:* confer Celsum in Orig. cont. Cels. lib. vi. p. 327. Etym. mag. in Βαυκιδες, et nostrum infra, ver. 1070.

Ver. 231. *Almæ:* Π. *Blandæ.*—*atque:* P. V. ed. *ac.*

Ibid. *Almæ nutricis:* i. e. quæ mammis *alit.* Tempestive et accurate glossarium vetustum: " Θρεπτειρα· altrix, *al-* " *ma.*" Plura videas super hoc epitheto, ad i. 2.

Ibid. *infracta loquela:* se nimirum ad infantilis linguæ mensuram demittens. De hoc pervagato satis dicendi genere non opus est illis addere, quæ doctissimus Heinsius cumulate contulit ad Claudian. in Eutrop. i. 262. nisi quod nolim Minucium Felicem, nec immemoratum etiam Preigero, præterire, cap. 2. quum locus sit exquisitus, et lectione repetitâ dignus: " Nam negotii, et visendi mei, gratiâ " Romam contenderat:" (i. e. celeriter et cum studio multo venerat) " relictâ domo,

235 Tellus ipsa parit, Naturaque dædala rerum.
Principio, quoniam terraï corpus, et humor,
Aurarumque leves animæ, calideique vapores,
E quibus hæc rerum consistere summa videtur,
Omnia nativo ac mortali corpore constant;

" conjuge, liberis, et, quod est in liberis " amabilius, adhuc annis innocentibus, " et adhuc dimidiata verba tentantibus, " *loquelam* ipso offensantis *linguæ frag-* " *mine* dulciorem." Ad quem locum videndi sunt Elmenhorstius, Heraldus, Davisiusque: committas etiam nostrum inferius, ver. 1021. hujusce libri, ac Statium, Theb. iv. 790. Denique, ut diutius immorer, talem loquelam Ammianus Marcellinus *putredulam* vocavisset; i. e. in frusta quasi comminutam: cujus hæc sunt verba in xxii. 16.—" ut immania " frementem leonem *putredulis* vocibus " canis catulus longius circumlatrans."

Ver. 233. Pro *non* posteriore, Π. *aut.*

Ibid. *mœnibus altis.* Virgilius, Æn. ix. 805.

Ni Turnus cedat Teucrorum *mœnibus altis.*

Ver. 234. *Quei sua tutentur:* i. e. " quasi sint ii animantes, quibus corpora et " habitacula sint vestibus armisque defendenda:" quo nihil elegantius aut exquisitius offendi. Boni tamen editores, parvi facientes unanimem librorum veterum consensum, ex arbitrio scripserunt *Queis.* P. sane habet *Quæ;* et Δ. noster vulgatis suffragatur, cum Aldinâ posteriore: sed his recentioribus contra vetusta exemplaria minime auscultaverim.—Præterea, pro *quando*, Π. *quoniam;* quod apice uno discrepat: *q̃ñ*, *q̃m̃.*—Mox V. ed. *petit*, pro *parit:* nempe, *parit*, uti probabile est, in *perit* abierat primum; vide ad iv. 775. deinde, in *petit.*

Ibid. *omnia Tellus parit:* unde apud Pindarum, Isth. iv. 69. ea audit παγκαρπος Χθων.

Ver. 235. In ambiguo est constructio; nec liquet, an vellet poëta, *dædala Natura rerum;* an rursus, *Natura dædala rerum;* i. e. artificiosa creatrix rerum: adeas iv. 553. Hæc ratio nobis visa est elegantior.

Ibid. *Tellus parit:* uti scriptor ad Hebræos elegantissimus, vi. 7. Γη γαρ, ἡ—τικτουσα βοτανην—: ut *mater* scilicet. Videas perquam doctum virum De Rhoër, ad Porph. de abst. i. 30. cum Heinsio et Burmanno, ad Ovid. met. xv. 92.

Ver. 236. *quoniam:* V. ed. *quom;* O. *quomodo;* Δ. *quando;* Π. *cum.*

Ver. 237. *Aurarum animæ:* redeas ad i. 716. Similiter Horatius, od. iv. 12. 2.

Inpellunt *animæ* lintea Thraciæ:

magis autem apposite Ausonius, idyll. viii. 8.

——————— da vere salubri
Apricas *ventorum animas*——.

Hinc insuper indubitatâ emendatione lautissimum mactabo Ciceronis locum in Arateis, ver. 183.

Nam, quorum stirpes tellus amplexa prehendit,
Hæc augens, *animæ* vitali *flamine* mulcet.

Vulgo, *anima.* Nempe *flamen animæ*, ut noster *animæ aurarum.* Inferius ibidem Cicero:

—— quam *flatu* permulcet *spiritus* austri.

Hac insuper usus occasione, A. Gellium emendabo et explicabo, in i. 2. quum nemo intellexerit: " Rem vero ethicam, na- " turamque humani ingenii, officiaque " eorum et confinia aut contraria, mor- " borum vitiorumque fraudes, *animarum-* " que labes, ac pestilentias, asseverabat " nulli esse magis ea omnia explorata, " comperta, meditataque, quam sibi:" i. e. omnem ethicam, metaphysicam, politicam, et *physiologicam*, callere præ se ferebat. Certissima est hæc emendatio.

240 Debet eâdem omnis mundi natura putari.
Quippe et enim, quorum parteis et membra videmus,
Corpore nativo, in mortalibus esse figuris,
Hæc eadem ferme mortalia cernimus esse,
Et nativa simul: quapropter maxuma mundi
245 Quom videam membra, ac parteis, consumpta, regigni;
Scire licet, cœli quoque item terræque fuisse
Principiale aliquod tempus, clademque futuram.

Vulgo, *animorum*. Noster Carus *vitio* utitur de malis *corporeis*, ad iii. 733. (vide Gellium, iv. 2.) ut Virgilius *culpam*, geo. iii. 468. nec non alii utrobique. Si vero pergas diffidere, adeas nostrum ad vi. 1096. 1097. qui tibi tandem demet omnem dubitationem.

Porro, has rerum materies Lucius Ampelius sic enarravit, cap. i. " Elementa mundi quatuor: *ignis*, ex quo est cœlum; " *aqua*, ex quâ mare oceanum; *aër*, ex " quo venti, tempestates: *terra*, quam " propter formam ejus orbem terrarum " appellamus."

Ver. 240. *eâdem:* i. e. " Omnis natura mundi debet eâdem *viâ* putari *nativa et mortalis:*" quibus nihil luculentius, aut quod orationem Lucretianam penitius resipiat; redeas ad ii. 853. et vide Pacuvii fragmentum mox ad ver. 321. Sic autem scriptum est in universis exemplaribus, excepto M. quod ad hunc modum variat:

Debet *omnis idem* mundi——.

Jam vero mireris audaciam et inscitiam editorum, versum ex suâ officinâ sic recusum referentium:

Debet *tota eadem* mundi natura putari.

Non aliter exhibet sane, si collatori fides, Vindobonensis codex: sed illa fides isti collatori minime adhibenda est hoc tempore.

Ver. 242. Versum hunc ita scriptum exhibent communes editiones:

Corpore nativo *et* mortalibus esse figuris:

quum vero illud *et* arbitrarium sit, atque vetustis exemplaribus ignotum, nos aggressi sumus aliâ viâ rem; nec violentiam minimam quidem membranis fecimus, si rationem scripturæ antiquioris habeas: nam P. *nativo immortalibus;* nobis reverâ nihil dissentiens: Vind. V. ed. B. Δ. Π. Σ. Ω. *nativum mortalibus;* i. e. *nativo in;* unde *nativom* factum est, et porro *nativō*, *nativo; in* prorsus obliterato: L. *nativom mortalibus;* M. *nativum motalibus;* O. *nativo mortalibus.*

Ver. 243. *eadem:* abest V. ed.—*ferme:* Δ. *forma;* non omnino malâ varietate: quam tamen librario adscripserim, potestatem vocabuli *ferme* in hoc loco minus concoquere valenti. *Ferme* vero, quod exprimit formulam Græcorum σχεδον, vim habet ab *universali* propositione quadam *generalem* tantummodo distinguendi: et arbitrer poëtam sic caute loqui, ac restricte, quia sunt corpora, quæ nasci videmus et in lucem protrahi, quorum interitus nos lateat; et alia vicissim interire novimus, quorum exortûs non simus conscii.

Ver. 244. *nativa:* V. ed. *natura;* literis *ur* et *iv* permutatis. De pari et omnino gemellâ permutatione, nimirum *των* *ur* et *in*, vide Drakenborchium, ad Liv. viii. 20. 7.

Ver. 245. *ac:* Π. *et.*—*regigni:* Π. Σ. *regini.*

Ver. 246. Lego, *item.* Sic noster in vi. 756.

In Syriâ *quoque* fertur *item* locus esse——.

BENTLEIUS.

Illud in hiis rebus ne conripuisse rearis,
Memmi! quod terram, atque ignem, mortalia sumpsi
250 Esse; neque humorem dubitavi, aurasque, perire;
Atque eadem gigni, rursusque augescere, dixi:
Principio, pars terraï non nulla, perusta
Solibus adsiduis, multâ pulsata pedum vi,
Polveris exhalat nebulam, nubesque volanteis,
255 Quas validei toto dispargunt aëre ventei:

Omnia nempe exemplaria dant *idem:* sed emendatio viri magni, ut acutissima est, ita vera etiam videtur; ideoque in contextum admittendam esse censuimus. Porro, de harum dictionum confusione, redeas annotata in iv. 164. 856.

Ibid. *cœli terræque:* utpote quibus *corpora* sunt, ex *membris* variis constantia; unde Virgilius de divinâ mente, *cœlum*, terras, ac maria, permeante, Æn. vi. 727. ita cecinit:

——————— magno se *corpore* miscet.

Hilarius, in genesi, ver. 23.

Omnia cum tegeret nigrum chaos, *atra*que moles
Desuper urgeret informis *corpora mundi*——.

Sic castigandam puto vulgatam scripturam, *alta*que. Has porro voces subinde librariis commutatas esse jam vidimus, ad iv. 183. ubi consulendi sumus.—Mox Π. *Principale.*

Ver. 248. *conripuisse:* sic omnia omne genus exemplaria scriptum exhibent; nam, ut impudentissimi mortalium fuerint editores, qui commentitias suas lectiones, *ne me arripuisse*, Lucretio obtruserint; ita non ambigem, quin negligentissimus collator fuerit, qui illas τῷ Vind. per suum silentium adscripserit. *Corripere* vero potest *raptim tollere*, vel *violenter et celeriter occupare;* de sensu menti poëtæ summe consentaneo. Quin etiam in voce pervagatissimâ, et sensu non ambigendo, quid opus est appositis exemplis?—Cæterum, Π. *nec*, vice *ne;* arreptâ utique primâ sequentis dictionis literâ.

Ver. 251. Ordo est verborum: "Atque dixi rursus eadem gigni, augescereque." *Rursus*, αυ, vicissim, scilicet.

Ver. 252. *non nulla:* O. Π. *non ulla.*

Ibid. *perusta Solibus adsiduis.* Consimiliter Pelignus vates, epist. v. 112.

Et minus est in te, quam summâ pondus aristâ,
Quæ levis, *adsiduis solibus usta*, riget.

Se dat comitem Venusinus, epod. ii. 41.

Sabina qualis, aut, *perusta solibus*,
Pernicis uxor Appuli.

Ver. 253. *pulsata pedum vi.* Maro, Æn. vii. 722.

—— *pulsu*que *pedum* tremit excita *tellus.*

Ver. 254. *Polveris:* ita clare P. V. ed. scriptum exhibent αρχαϊκως· quibus et hic, et alibi, decrevimus auscultare.

Ibid. *Polveris exhalat nebulam, nubesque volanteis.* Idem Maro, Æn. ix. 33.

——————— glomerari *pulvere nubem:*

qui tamen elegantiam Lucretii non æquiparat. Alibi, geo. ii. 217. liberius abutitur hoc versiculo magistri Mantuanus:

Quæ tenuem *exhalat nebulam, fumosque volucris.*

Neque Statius intractatum voluit, Theb. iv. 728.

——————— *pulvere* tellus
Exhalat calidam *nubem*——.

Et huic loco appositus est Varro, de ling. Lat. iv. 5. "Ideo Lucilius: Terra abiit "in nimbos, imbreisque. Pacuvius: Terra exhalat auram—."

Ver. 255. *dispargunt:* ita clare Π. Σ. vulgo, ad seriorem orthographiam, *dispergunt.*

Pars etiam glebarum ad diluviem revocatur
Imbribus, et ripas radentia flumina rodunt.
Præterea, pro parte suâ, quodquomque alid auget,
Redditur: et, quoniam dubio procul esse videtur

Ver. 257. *ripas radentia flumina rodunt.* Hæc dictionum cognatarum consociatio multum placuit poëtæ nostro. Nonnus, Dionys. xvii. sub initio committatur:

——————— ὀπποθι γειτων,
Νειμασιν αφνειοισι διϊπετες οιδμα κυλινδων,
Ευδις, εχεκτιανων ὑδατων λευκαινεται ὀλκῳ,
Αργυρεη ΔΑΠΕΔΟΙΟ ΠΕΡΙΞΥΩΝ ΚΕΝΕΩΝΑ.

Hinc vere prius correxeram ex ingenio, quam noverim codicem consentire, Lucanum, de *Nilo* loquentem, Phars. x. 293.

Æthiopumque *teris* alieno gurgite campos:

i. e. rodis, sulcas, secas; ut ille, ibid. ver. 313. et mox noster, ver. 273. Vulgatum *feris*, de fluvio planitiem peragrante, locum tueri nequit. Sed enim Ovidius suavissime, ut semper, fast. i. 241.

Ipse *solum* colui, cujus placidissima lævum
Radit arenosi Tybridis *unda latus.*

Seneca, nat. quæstt. iv. 2. " Nilus, tanto " cæteris major, adeo nihil exedit, nec " *abradit*, ut contra adjiciat vires—." Conferas Horat. od. i. 31. 8. Senec. Hippol. 16. Sic rem Virgilii majestas extulit, ad Æn. viii. 63.

——— ego sum, pleno quem flumine cernis
Stringentem ripas, et pinguia culta *secantem*,
Cæruleus Tybris——.

Pariter Pausanias, i. 36. ut Horatius, l. c. *mordet:*—ΠΕΡΙΦΑΓΕΝΤΟΣ λοφῳ δια χειμωνα. Silius locutionem jucundissime variavit, versibus post nullos ob elegantiam laudandis, Pun. xiii. 4.

Castra locat, nullâ *lædens* ubi gramina ripâ
Turia deducit tenuem sine nomine rivum,
Et tacite Tuscis inglorius affluit undis.

Quibus incontinentes manus infeliciter injectat Heinsius, dum *radens* vult reponere; cujus tamen nota cum Drakenborchio, phrasim, quam tractamus, illustrans exemplis, digna est, quæ perlegatur. Liceat poëtis saltem venustates suas varietate sermonis commendare.

Ver. 258. *alid:* sic incorruptissimi ac veterrimi codices, L. M. et procul dubio vere: cæteri, *alit;* quo nihil invenustius fingi poterat in hoc loco: sed exquisitior forma pronominis et hic et in i. 264. diversitatem peperit. Π. Ω. *alit et:* B. *augetque.*

Ver. 259. *Redditur:* sic omnes ad unum libri; i. e. *restituitur:* ut, exempli gratiâ, solum, quod fluvius, inde auctus, abraserat, limo deposito telluri redonatur. Quid planius? quid verius? quid venustius? Quibusnam igitur conviciis proscindendi sunt insulsi atque temerarii editores, qui de suo nobis obtruserint recoctam cramben *Roditur;* et, nec pudore nec religione moti, nitidissimum poëtam commentis fedissimis cerebelli proprii flagitiose conspurcaverint?—*et quoniam:* V. ed. *ut quom:* Π. *et cum.*

Ver. 260. *Omniparens*, vel *omnifera;* uti *terram* vocitat Ovidius, ad met. ii. 275. Apuleius, met. vi. p. 400. de formicis loquens:—" *terræ omniparentis* agiles " alumnæ."

Ibid. *rerum commune sepulcrum.* Lambinus opportune contulit Catullum, lxviii. 88.

Troja nefas, *commune sepulcrum* Europæ Asiæque.

Et videri potest noster Æschyleos versus in memoriâ habuisse, ad Choëph. 125.

Και Γαιαν αυτην, ἡ τα παντα τικτεται·
Θρεψασα τ', αυθις τωνδε κυμα λαμβανει.

Ver. 261. *libatur:* Π. *labatur;* editores quidam volunt, *limatur;* male, contra libros. De his autem dictionibus latius in superioribus inquisitum est, ad iii. 11. quo lector amandandus est.—Cæterum, pro *recrescit*, Gassendus maluit *senescit:*

260 Omniparens eadem rerum conmune sepulcrum,
Ergo terra tibi libatur, et aucta recrescit.
Quod super est, humore novo mare, flumina, funteis,
Semper abundare, et latices manare perenneis,

quo quid portentosius, et scopo scriptoris alienius? Terra nimirum celeri lapsu fluvii delibatur; colluvie fluvii ejusdem exundantis vicissim crescit. Nihil manifestius.

Ibid. *tibi* venustatis caussâ positum; uti monuit Lambinus, et nos alibi docuimus: vide notas ad Eurip. Herc. fur. 627. de quâ dicendi consuetudine nos mittit Havercampus ad J. G. Vossium, de construct. cap. 59. vide mox, ver. 295. Nec minus frequentat hanc elegantem redundantiam Virgilius. Sic geo. i. 45.

Depresso incipiat jam tum *mihi* taurus aratro
Ingemere——:

ut Homerus prior, Il. E. 249.

——————— μηδε ΜΟΙ οὕτω
Θυνε δια προμαχων———.

Ibid. *libatur:* i. e. deraditur. Varro prorsus in simili potestate vocis exemplum dedit, de re rust. ii. 2. 16.—" palos affi-" gunt, et ad eos alligant (agnos) libro, " aut quâ aliâ re lævi, distantes; ne, toto " die cursantes inter se, teneri *delibent* " aliquid membrorum." Quem locum intempestive importunus Ursinus solicitavit. Glossæ veteres: " *Delibavit*, εμειω-" σιν." Vide locum Anthol. Lat. Burm. iii. 293. 15. jam adhibitum nobis in annotatis ad i. 231. Denique, appositus aderit Ovidius, epist. iv. 27. hinc probe intelligendus:

Tu nova servatæ capies *libamina* famæ——:

i. e. tuum erit meæ pudicitiæ *detrimentum.*

Ibid. *aucta recrescit:* i. e. " terra in " hac parte additamentum nanciscitur æ-" quale jacturæ, quam passa est in alterâ; " atque adeo ad magnitudinem pristinam " revertitur."

Ver. 263. *perenneis:* Ω. liber, *peremnis.*

Ibid. *manare:* i. e. destillare, effundere; exquisitius, ad activam virtutem verbi. Sic Horatius, epist. i. 19. 45.

——— fidis enim *manare* poëtica mella
Te solum, tibi pulcher.

De hac autem re perlegendæ sunt Heinsii annotationes doctissimæ, ad Ovid. met. vi. 312.

Ibid. *latices manare perenneis.* Locus hic me Minucii Felicis admonet, quem transcurrens emendatiorem dabo, in sect. 17. nobis nequaquam inopportunum: " Adspice *oceanum;* refluit reciprocis æs-" tibus: vide *fontes; manant venis peren-" nibus: fluvios* intuere; eunt semper *ex-" erciti* lapsibus." Ita corrigendum dicimus politissimum scriptorem: libri, *exercitis.* Nempe, Virgilium respexit, ad geo. iii. 529.

Pocula sunt fontes liquidi, atque *exercita* cursu
Flumina——:

i. e. " longorum lapsuum agitationibus, " per lapillos et arenas atterentes atque " exercentes, percolata." Sic plene capias exquisitissimi vocabuli potestatem, quod nemo est interpretatus accurate, quantum sciam. Vide quæ notaverim ad Æschyli Eumen. 238.

Ver. 264. *opus est verbis;* i. e. τῳ *declarare* subaudito; quod ab sequentibus petendum.

Ibid. *decursus aquarum;* per alveos nimirum fluviales in sinum maris descendentium. Virgilius, Æn. xii. 523.

Aut, ubi *decursu* rapido de montibus altis
Dant sonitum spumosi amnes, et in æquora currunt,
Quisque suum populatus iter: non segnius ambo—.

Quem locum valde suspicor neminem in hunc usque diem probe percepisse. In-

Nihil opus est verbis, magnus decursus aquarum
265 Undique declarat: sed primum, quidquid aquaï
Tollitur; in summâque fit, ut nihil humor abundet;
Partim, quod validei, verrentes æquora, ventei

telligis, opinor, illud *æquora* de *mari*, in quod *flumina* conduntur. Cave dissimules negitesque; nam satis liquet te non aliter solere capere: sed enim, bone! mihi credas, multum falleris; nam vult poëta maximus per *æquora* sine dubio planitiem, vel *æquam superficiem*, sub illis montibus jacentem. Verissima est, et nemini in controversiam temere vocanda, hæc interpretatio: committas Æn. ii. 305. 306. parallelos versus. At enim tibi præstabimus Homeream dictionem, quam volebat exprimere Mantuanus, ex Il. Δ. 453.

Ὡς δ' ὅτε χειμαρροὶ ποταμοὶ, κατ' ὀρεσφι ῥέοντες,
ΕΣ ΜΙΣΓΑΓΚΕΙΑΝ συμβαλλετον εβριμον ὕδωρ—.
Μισγαγκειαν· το αγγος, εις ὁ μιγνυνται οἱ ποταμοι.

Scholiastes Villoisoni. Lege, το ΑΓΚΟΣ.

Ver. 265. *declarat:* V. ed. *dedarat*; elementis *el*, uti solet fieri, coalitis.

Ibid. *quidquid:* i. e. quiddam, aliquid, quædam portio: quemadmodum mox etiam plus semel, verr. 283. 305. 1387.

Ver. 266. *summâque:* V. ed. Σ. *summâ quæ.—ut* deest Δ. Σ.—*nihil:* P. O. *nil.*

Ibid. *in summâ:* i. e. tandem, denique, post eventus omnes: ut alibi Lucretius.

Ver. 267. *validei verrentes æquora ventei:* redi, ut his committas, ad i. 278—281. et in locum annotata. Festus Avienus, in elegante versiculo Arateorum ver. 877.

Eurus erit; *verret* salsi *vada gurgitis Eurus.*

Prudentius addatur, apoth. ver. 661.

Ninguidus agnoscit *Boreas*, atque imbrifer *Eurus*,
Nimborum dominum, tempestatumque potentem;
Excitamque hyemem *verrunt* ridente sereno.

At enim quiduam, lector! audimus, nos et tu? quidnam videmus? *Hyemem sereno?* Aprum scilicet in fluctibus vescentem. Nihil putidlus, aut naturæ magis contrarium. Reponas ocyus, elegantissimâ pariter atque indubitatâ correctione:

Excitamque hyemem *vertunt* ridente sereno:

i. e. mutant. Sentis jam, opinor, cœlipotentis dominationem, ad scriptoris mentem scilicet rite commendatam; quæ compescere valet sævientem tempestatem, atque in serenam cœli speciem jussu repentino commutare. Jam vero de confusione verborum *verro* ac *verto* in libris egerunt multi; et in primis Drakenborchius, ad Sil. It. xiv. 262.

Ver. 268. *Deminuunt:* sic Δ. solus; cæteri, *Diminuunt:* mendosissime, et præter poëtæ scopum: notam meam inspicias ad i. 614. Centies in his vocabulis indocti scribæ atque editores insciti peccaverunt, quæ non ludificata sunt tamen peritiores. Glossæ veteres: "*Deminuit*, ελαττοι:" bene. "*Diminuo*, απομειω, επιτριβω:" male. Corrige, *Deminuo;* ut est in Græcis emendate: "Απομειω, *deminuo*, extenuo." Eædem rursus: "Επιτριβω, detero, protero, "*diminuo.*" Itidem vitiose; reponendum jubemus, *deminuo.*—Porro, V. ed. O. *æthereus;* ut variari solet.

Ibid. *radiis retexens:* i. e. vi caloris in particulas tenuissimas, e quibus constant, resolvens; et tunc absorbens.

Ibid. *ætherius sol:* i. e. acerrimus et flagrantissimus, utpote ad *æthera medium* evectus.

Ver. 269. *diditur:* Vind. V. ed. B. L. Π. Σ. *dividitur.*

Ibid. *per terras diditur omneis:* ita ut mare sit omnium fontium ac fluviorum origo genitalis. Optime et verissime; secutus etiam poëtarum principem, ad Il. Φ. 195.

Ουδε βαθυρρυταο μεγα σθενος Ωκεανοιο·

Deminuunt, radiisque retexens ætherius sol;
Partim, quod subter per terras diditur omneis:
270 Percolatur enim virus, retroque remanat
Materies humoris, et ad caput amnibus omnis

Εξ ὑ περ παντες ποταμοι, και πασα θαλασσα,
Και πασαι κρηναι, και φρεατα μακρα, ναυσιν.

At legit, Εξ ὑ ΔΗ, Theophilus ad Autolycum. Hinc pendent cognomina Neptuni, quæ Phurnuto, de nat. deor. cap. 22. recensentur: Λεγεται δε παρα τισι και Νυμφαγετης (i. e. *lympharum antistes*), και Κρηνυχος (*fontium possessor*), δια τας προειρημενας αιτιας. Νυμφαι γαρ εισιν αἱ των ποτιμων (forte, ΠΟΤΑΜΙΩΝ· etsi nihil varient Anecdota Græca Villoisoni) ὑδατων πηγαι—. Hinc autem progressus, ad indubitatam panegyrici, ab auctore incerto, Maxim. et Constant. emendationem, ni fallor, perventurus sum, sect. vii. 6. "Ut "enim ille, qui omnes aquas cœlo et ter- "ris præbet, Oceanus semper tamen in "*fontibus* suis totus est; ita tu potes im- "perium, Maximiane! donare, non po- "tes non habere." Quæ sunt vere magnifica. Scribitur in editis, *niotibus;* quod facile fluxit ex *fōtibus:* redeas ad i. 291. 1084. Consimilis locus est, et pulcher, et appositus, in Pacati paneg. Theod. Aug. xxvii. 5. "Nam, quum intra ipsum "volvantur omnia, et, ut ille, qui cuncta "ambit, oceanus, quas suggerit aquas "terris, recipit e terris, ita, quidquid in "cives manat a principe, redundat in "principem; et rei et famæ bene consu- "lit munificus imperator." Qui *redundet* legere voluerint, constructionem verborum haud probe perspectam habuerunt; quam, utpote exquisitiorem, non pigebit fusius declarare: "Nam impera- "tor, quum omnia volvantur intra ipsum, "bene consulit et rei et famæ: et ita *id* "redundat in principem, quidquid manat "a principe, ut Oceanus—."

Ver. 270. *Percolatur:* Ω. *Percolitur.—virus:* V. ed. Π. *virtus;* nescias, an ex glossâ: nam *virus* est *virtus naturalis* Nonio, ii. 913.—O. Δ. *intus;* uti solent elementa *r* et *t* permutari: vide Drakenborchium, ad Liv. v. 55. 3. et alias.—*retroque:* V. ed. *utroque.*

Ibid. *Percolatur virus:* redeas ad ii. 473—477. Huc multum facit egregius locus Senecæ, et coram poni debet, nat. quæst. iii. 5. nec ibidem non dignus est, qui consulatur, L. Fromondii commentarius: "Quidam judicant, terram, quid- "quid aquarum emisit, rursum accipere: "et ob hoc maria non crescere, quia, "quod influxit, non in suum vertunt, sed "protinus reddunt. Occulto enim iti- "nere subit terras, et palam venit, secre- "to revertitur, *colaturque in transitu,* "*mare:* quod, per multiplices amfractus "terrarum verberatum, *amaritudinem po-* "*nit,* et pravitatem saporis in tantâ soli "varietate exuit, et in sinceram aquam "transit." Jam vero secundæ periodi initium videtur hiante structurâ, et verbis esse conturbatis. Sic forte scribenda est, atque in ordinem revocanda: "Occulto "enim itinere subit terras, et palam, "*venis secretis,* revertitur, colaturque in "transitu, mare." Cæterum, transcurrentes, controverso Minucii Felicis loco, sect. 34. medicinam faciamus: "Fontium "dulces aquas maria nutrire, in vim ig- "nis *abiturorum,* Stoïcis constans opinio "est." Vulgo, *abiturum.* Alii aliter aggressi sunt: facillimum est tentamen nostrum; et syllabæ, quam restituimus, jactura in proclivi stetit. Accedat etiam, unde hæc hausta sint, Aristoteles, in meteor. ii. 2. ad quem Lambinus prior provocavit: Τοιυτον δ' υθεν αλλο φαινεται σωμα κειμενον αθροον,—πλην το της θαλαττης μεγεθος· το γαρ των ποταμων, υτ' αθροον, υτε στασιμον, αλλ' ὡς γιγνομενον αει φαινεται καθ' ἡμεραν. Εκ ταυτης δε της απορίας, και αρχη των ὑγρων εδοξεν ειναι, και τυ παντος ὑδατος, ἡ θαλαττα· δι' ὁ και τυς ποταμυς,

Convenit: inde super terras fluit agmine dulci,
Quâ via secta semel liquido pede detulit undas.

ᾗ μονον εις ταυτην, αλλα και εκ ταυτης, φασι τινες ῥειν· ΔΙΗΘΟΥΜΕΝΟΝ γαρ γιγνεσθαι το ἁλμυρον ποτιμον. Adscribam quoque pulchram periodum Vitruvii, in viii. 1. unde et oratio et argumentum Cari lucem derivabunt: " Intervalla quoque " montium maxime recipiunt imbres; et, " propter sylvarum crebritatem, nives ibi " ab umbris arborum et montium diutius " conservantur: deinde, liquatæ per ter- " ræ venas *percolantur*, et ita perveniunt " ad infimas montium radices; ex quibus " profluentes fontium erumpunt fluctus."

Ver. 271. *caput amnibus.* Maro, geo. iv. 319.

Tristis ad extremi sacrum *caput* adstitit *amnis.*

Ver. 272. *fluit:* Π. *fluvit;* ut alibi codex iste.

Ibid. *fluit agmine:* Virgilius, Æn. ii. 782.

——————— leni *fluit agmine* Tybris:

post Ennium, apud Macrob. Sat. vi. 4. Lambinus. Adde Valerium Flaccum, iv. 721.

——————— *flumineo* sic *agmine* fregit amari
Vim salis, hinc Boreæ cedens *glaciantibus* auris
Pontus, et exortâ facilis concrescere brumâ.

Ubi plura Burmannus, phrasim, quam ventilamus, illustrantia. Sic autem versus recte scripti leguntur in edit. Venet. anni 1501. Et verba *vim salis* accurate interpretantur *virus* Lucretianum. Avienus, orb. desc. 572. de *Eurotâ:*

——— Amycleas celeri *secat agmine terras:*

ut alibi sæpius jucundus ille scriptor. Adeas Sil. Ital. xii. 619. et ibidem Drakenborchium; cum Auson. Mosell. 245. Jam nunc eluam maculâ nitidissimam alioquin Ammiani Marcellini descriptionem, xv. 11. " A Pœninis Alpibus " effusiore copiâ fontium Rhodanus flu- " ens, et proclivi impetu ad planiora " (i. e. *æquora* Virgilii, in notis sub ver. 264.) " degrediens, proprio *agmine* ripas " occultat, et paludi sese ingurgitat, no- " mine Lemanno; eamque intermeans, " nusquam aquis miscetur externis, sed " altrinsecus summitates undæ præterla- " bens segnioris, *eluctans* exitus, viam " sibi impetu veloci molitur." Vulgo in editis, " *quæritans* exitus," quod glossam marginalem sapit: sed codex regius, *eruptans;* unde nos verissimam et venustissimam lectionem expiscati sumus. Eundem historicum distinguam rectius ad xxiv. 2. " Hinc pars fluminis scinditur, " largis aquarum *agminibus* ducens ad " tractus Babylonios interiores, usui agris " futura et civitatibus circumjectis." In editis virgula ponitur post *agminibus.* Et Apuleium, met. iv. p. 247. emendabo: " De summo vertice fons *effluens* bullis " ingentibus scaturibat; perque prona de- " lapsus, evomebat undas argenteas: jam- " que, rivulis pluribus dispersus, ac valles " illas *agminibus* stagnantibus irrigans, " in modum sopiti maris, vel ignavi flu- " minis, cuncta cohibebat." Ubi multa de hoc nominis *agmen* significatu doctissimi animadversores attulere. Vulgo autem legitur, *affluens;* laborante, nisi falsus sim judicii, constructione. Nec Manilium non expurgabo, ad v. 580.

——————— gravidus jam surgere pontus
Cœperat, et longo fugiebant *agmine* fluctus
Impellentis onus monstri: caput eminet, undas
Scandentis, pelagusque vomit: *circumtonat* æquor
Dentibus, inque ipso *rabidum* mare navigat ore.

Libri, *circumsonat;* atqui *sonat undique* statim sequitur: et *rapidum* vulgo; sed verum videtur *rabidum:* i. e. motis faucibus efferatum; ut passim *insanum mare,* et ad solitam harum dictionum commutationem: nam *rapidus* et *rabidus* confundi solent sæpissime. Restituatur insuper deploratus versiculus Columellæ, x. 284.

——— et, arguto fugientes *agmine,* fontes
Nec rigidos potare juvat, nec sole tepentes.

Aëra nunc igitur dicam, quid corpore toto
275 Innumerabiliter privas mutatur in horas:

Vulgata lectio est *gramine;* neque suis interpretibus hæ futilitates caruerunt. Denique, vocem non illepide transtulit ad *ventum* Gellius, xvi. 11.—" atque ita pro-" fectis ventum Austrum magno spiritûs " *agmine* venisse obviam—."

Ibid. *agmine dulci;* ob *salem* relictum scilicet: annotata redeas ad ii. 471. Plinius, nat. hist. xxxi. 37. " nam in terrâ " *marina aqua*, argillâ *percolata*, *dulces-* " *cit.*" Verum enim vero, dum hanc hilarem atque elegantem materiam concelebramus, quid impedit, quo minus versibus venustis Juvenci manum medicam admoveamus? qui leguntur in hist. evang. iii. 463.

Talia dicta dedit, Galilæaque rura reliquit;
Judæamque petit, quâ pinguia rura silenter
Agmine Jordanis viridis *perrepit* amœno:

levi *pede* scilicet, tacitoque, præter ambulat. Libri, quos habeo, *prorumpit*, et *prorupit;* fluvio silenti ac placido parum congruenter. Sincerissima est nostra emendatio. Avienus, orb. desc. 540.

—— *prorepentis* quâ sunt vada cærula *Nerei.*

Cognata vox *serpo* passim in hoc usu legitur. Quoties autem *per* et *pro* conturbentur, nemo nescit; et librarios aliquoties permiscuisse *repo* et *rumpo*, docuit nos Drakenborchius, ad Sil. It. xiii. 332. ne quæram latius. Phrasim interea *prorepentem Nereum*, vel serpens mare, non minus aptum *pedibus* utique, quam sunt Fluvii, Mæonides illustrabit, uti ex æquo illustrabitur, ad Il. A. 538.

ΑΡΓΥΡΟΠΕΖΑ ΘΕΤΙΣ, θυγατηρ ἁλιοιο γεροντος·

quod nihil aliud est, mihi crede, quam *liquidus pes* proximo versu Lucretii. *Liquidus* etiam *pontus*, *æquor liquidum*, et similia, scriptoribus frequentantur. Interpretatio epitheti, quam et paraphrastæ commenti sunt, et scholiastæ, licet Ovidius adstipuletur, in epist. xx. 60. magnæ nugæ sunt, nec sapientissimo patre poëtarum dignæ. Vereor sane, ne sim nimius; nec a me tamen impetrare possum, ut non rectius ordinatos et sincerius scriptos linquam Tertulliani versus, uti perhibentur, quosdam, de jud. dom. 237. amœnitatem Paradisi describentes:

Fons illic placidis leni fluit *agmine* campis:
Quatuor inde rigant partitas flumina terras.
Frigus non variat hiberni sideris auram:
Ver, puto, semper *alit*, *vestitos* floribus, *hortos;*
Et reficit, *fotam* meliori flamine, terram.

In libris, *agit*, *vestitus*, *hortus*, *fœtam;* et quartus versus tertium præcedit. Cyprianus etiam, in eodem argumento versatus, emaculetur, genes. 55.

Ædibus in mediis puro fluit *agmine* flumen;
Quod rigat insignes liquidis de fluctibus *hortos*,
Quadrifidosque *secat* undante ex fonte meatus.

Vulgo, *ortus;* nullo sensu.

Ver. 273. *secta:* Δ. *septa.*—*detulit:* P. V. ed. autem, *retulit.*

Ibid. Ita leviter et mobiliter fluit hic versus, ut Lucretius fluvium, per alveum suum currentem ac labentem, nostris oculis subjicere videatur. Lege, si vacas, quæ notavimus ad illum locum Horatii, epod. xvi. 48.

Levis crepante *lympha* desilit *pede.*
Lambinus.

Ibid. *via secta.* Virgilius, Æn. vii. 717.

Quosque *secans*, infaustum, interluit *Allia*, nomen.

Mamertinus, in geneth. Maxim. xvi. 4.—" quâ *fervidus* caput Danubius e-" volvit, quâque horridus *secat* Albis " Germaniam—." Sic reponendum: vulgo, *fervidum;* sed vel magna flumina vix in *fontibus*, licet in cursûs processu, *fervent.* Valerius Flaccus, iv. 601. his aptus superveniet:

Proxima *Thermodon* his jam *secat* arva—.

Ibid. *liquido pede:* i. e. purus humor, sine sordibus, nec alienas undas trahens; ut Q. Curtius locutus est, ad iii. 1. 3. ubi

Semper enim, quodquomque fluit de rebus, id omne
Aëris in magnum fertur mare; qui nisi contra

consulas Snakenburgum. Culicis confector, ver. 17. Lucretium vestigiis pressis sequitur:

Castaliæque, sonans *liquido pede*, labitur *unda*.

Lauti lectores jucunde visent delicatissimos versus Nemesiani, ecl. ii. 21. sic integerrime ad librorum fidem scriptos:

Quæ colitis sylvas, Dryades! quæque antra, Napææ!
Et, quæ *marmoreo pede*, Naïdes! uda *secantes*
Litora, purpureos alitis per gramina flores;
Dicite, quo prato Donacen, quâ forte sub umbrâ,
Inveniam, roseis stringentem lilia palmis?

Quæ profecto carminis bucolici vel simplicissimam mollitudinem resipiunt. Pulchre Silius etiam, Pun. vi. 140.

Turbidus arentes lento *pede* sulcat arenas
Bagrada—.

Hinc autem fluvii, ut qui *dii* sint *ανθρωπομορφοι* utique, dicuntur nonnullis *ambulare*. Sic Plinius, nat. hist. v. 10. "*Nilus*,—immenso longitudinis spatio "*ambulans*—:" quæ poëticam videntur audaciam spirare. Hinc etiam passim *currunt* in omnibus scriptoribus, adeo ut futile sit congerere exempla: adducam tamen Catonem in Diris, ver. 67. ut explicem, et emendem:

Flectite, *currentes lymphæ!* vaga flumina retro;
Flectite, et adversis rursum diffundite campis.

Sic legendum; vel *Nymphæ:* vulgo *lymphas;* cujus non expedienda est constructio. *Adversis* autem, qui recto cursui *adversantur;* quum per *prona* fluvii decurrant: qui sensus facillimus est, atque integerrimus. Non indigemus igitur *τῳ sursus*, quod nobismet etiam in mentem venerat, virorum doctorum, multis conjecturis, sed vanis illis quidem et inefficacibus, locum divexantium. Nempe, precatur poëta, ut id amnes faciant, quod Virgilius sic aliter, phrasim Lucretianam mutuatus, declaravit, ad Æn. ix. 125.

——————— cunctatur et amnis,
Rauca sonans, *revocat*que *pedem* Tiberinus *ab alto:*

i. e. ab omni suarum undarum longitudine; *ανωθεν·* ex oceano usque ad fontium incunabula. Ita loci sensus capiendus est. Nimirum, in hoc sermonis gratiosissimo specimine, ut in aliis hoc genus omnibus, Græci Venerum repertores Latinis prælluxerunt. Sic Callimachus, in elegantissimo sane versu, quem Tzetzes ad Lycoph. 409. nobis conservavit:

'Αι δε βοηκρανοιο παρ' αγκυλον ΙΧΝΟΣ Αραιθυ.

Bentleius, *βοοκρανοιο:* sed non erat necesse tam late discedere a vestigiis librorum, *βοηκρημνοιο.* Testi sit Theocritus, xx. 41.

——————— ηχι δε και τυ,
Ω Κρονιδα, δια παιδα ΒΟΗΝΟΜΟΝ ορνις επλαγχθης;

Ver. 274. *quid:* i. e. in quantum, *καθ' ὅσον*, qualiter. Sic autem legunt, ni fallor, omnes editi membranæque, quamvis de M. libro taceat Havercampus: neque opus erat licentiâ doctorum, de suo *qui* suppeditantium; nimis liberaliter hoc tempore: et alias tamen commenta sua neutiquam Lucretio invidentium, prout nobis, dolentibus et stomachantibus, millies contigit usu pernoscere.

Ver. 275. *privas:* Σ. *primas.*—*in horas:* V. ed. *moras:* i. e. *in oras;* (uti legitur in P. Vind. O. Ω. consociatis vocibus) quæ solennes sunt librariis permutationes. Hanc autem versûs clausulam Flaccus mutuatus est, in art. poët. 160.

——————— gestit paribus colludere, et iram
Colligit, ac ponit, temere; et *mutatur in horas.*

Ver. 277. *Aëris in mare:* ut *αποῤῥοιαι* illæ veri maris, fontes scilicet, in genitale gremium referuntur; sic aëris etiam particulæ in proprium corpus recidunt. Hanc autem translationem, si in *fluido* quidem aëre dici debeat translatio, prior Ennius usurpavit, apud Nonium, iii. 92.

Corpora retribuat rebus, recreetque fluenteis,
Omnia jam resoluta forent, et in aëra vorsa.

Crassa polvis oritur; omnem pervolat *cœli fretum.*

Hesselius edidit *pervolgat;* sine caussâ trochaïci temerans castitatem. Shakespearus nostras dixit etiam "The *sea* of "*air:*" Couleius, ingeniosissimus vivorum, lepidissime:

Where bird with *painted oars* did ne'er
Row through the trackless *ocean* of the *air.*

Hos æmulari Graius haud erubuit:

Sailing with supreme dominion
Through the *azure deep* of *air.*

Revertaris ad annotata nobis super hac re in ii. 151. iv. 178. Lucani versus interea suavissimus, labefactatus librariis, in solido rursus collocabitur, Phars. v. 554.

Aut siccum quod mergus amat; quodque ausa volare
Ardea sublimis, *pennâ connisa* volanti:

vel *connixa;* nam codices *pennæ confisa*, vel *confixa.* Nostra est efficacior scriptura, et audaculo conatui congruentior. Horatius, od. iv. 2. 3.

—— ceratis ope Dædaleâ
Nititur pennis—.

Lucretii locum Vitruvius etiam attingit, in viii. 2. "*Aër* autem, cum ruit,—*undas* "crescentes facit *ventorum.*" Addam Oppianum, cyneg. iii. 497. de *struthiocamelo:*

ΗΕΡΟΣ ὑψιποροισιν ΕΠΙΠΛΩΟΥΣΙ κελευθοις.

Sed dedit, opinor, poëta ΕΝΙΠΛΩΟΥΣΙ.

Ver. 278. *fluenteis:* i. e. deficientes, pereuntes. Virgilius, Æn. ii. 169.

Ex illo *fluere*, ac retro sublabsa referri,
Spes Danaûm—.

Ver. 279. *Omnia resoluta.* Consimili prorsus ratione locutus est ille Mantuanus, geo. iv. 225.

Scilicet huc reddi deinde, ac *resoluta* referri,
Omnia—.

Ver. 280. *Haud:* V. ed. Σ. *Haut;* Π. *Aut:* ut passim peccatum. Et V. ed. in ver. 278. *recreat.*

Ver. 281. *Recidere:* L. M. O. *Reccidere;* nimis scrupulose, neque postulante Lucretianâ loquendi normâ.—*quoniam:* V. ed. Π. *quom.*—*constat:* Ω. *constant.*

Ver. 282. *ætherius sol:* V. ed. Π. *ætheris sol.*

Ibid. *liquidi funs luminis:* unde nimirum scaturigines fluidæ lucis affatim emanant, et per mundum diffunduntur. In hac autem venustate sermonis ornandâ ac declarandâ, nonnullis fortasse videbimur copiosi satis fuisse in notis ad ii. 147. et alibi: nec possumus tamen, lectoribus vere lepidis minime utcunque displicituri, temperare nobis, quin suscitemus Miltoni locum, tali poëtâ dignum; i. e. inenarrabiliter sublimem; in Par. amiss. iii. 7. de *luce* verba facientis:

Or hear'st thou rather, *Pure ethereal stream;*
Whose *fountain* who shall tell?—

Neque non advocabitur Achilles Tatius, iv. 2. de *hippopotamio* loquens: Μὸκτηρ επι μεγα κεχηνως, και πνεων ΄ΡΥΩΔΗ καπνον, ὡς απο ΠΗΓΗΣ ΠΥΡΟΣ. *Undantem fumum,* ut Virg. Æn. ii. 609. Vulgo scribitur πυρωδη καπνον· sed ineptissime, sequente πυρος.

Ibid. *funs luminis;* ut Æschylus, Prom. vinct. 109. πυρος πηγην· et ibid. ver. 807. ἡλιȣ πηγαις.

Ibid. *ætherius sol.* A vigore maximo, ut æquum est, commendatur; cum fit flagrantissimus utique, et *æstus medios* accendit: vide dicta nuper ad ver. 268.

Ver. 283. *recenti:* sic P. O. Ω. in M. ex emendatione scribæ, in Aldinâ, et in P. Candidi, qui Juntinam editionem procuravit, quibusdam exemplaribus: Vind. V. ed. B. L. M. Δ. Σ. *regenti;* Π. *rigenti;* unde non infeliciter rescripseris ad hunc modum:

Inrigat adsidue cœlum candore *vigenti:*

280 Haud igitur cessat signi de rebus, et in res
Recidere, adsidue; quoniam fluere omnia constat.
Largus item liquidi fons luminis, ætherius sol,
Inrigat adsidue cœlum candore recenti,
Subpeditatque novo confestim lumine lumen.
285 Nam, primum quidquid fulgoris disperit ei,
Quoquomque adcidit: id licet hinc cognoscere possis;
Quod, simul ac primum nubes subcedere soli
Cœpere, et radios inter quasi rumpere lucis;

conferas i. 924. iii. 284. Possis etiam *regente* interpretari forsitan haud absurde per *dominante;* de quâ dictione, redeas ad ii. 957. sed posita lectio longe simplicior est, ac, nobis saltem judicibus, undequaque præstantior, et sensui commodior.

Ibid. *Inrigat candore.* Orationis tenor, qualis ab initio processerit, summâ cum proprietate atque elegantiâ conservatur: videas supra, iv. 205. Cæterum, ad hujusce locutionis venustatem, sæpius illustratam nobis, loquitur Achilles Tatius, sub operis initio: Και ὁ ἡλιος πρεμα τυ λειμωνος ΚΑΤΑΣΠΟΡΑΔΗΝ ΔΙΕΡΡΕΙ. Ita legendum; non, ut in editis, κατω σποραδην. Audacior est profecto Pindarus, sed omni laude cumulandus tamen; quum talis temeritas cautæ mediocritati plebeiorum scriptorum longe sit anteponenda. Quem velim, locus exstat in Ol. vi. 92.

——— ιων ξανθαισι και παμπορφυροις
ΑΚΤΙΣΙ ΒΕΒΡΕΓΜΕΝΟΣ ἀῶρον
Σωμα—.

Friget Heynii expositio. Scholiastem alterum audiamus; cujus verba sunt hoc modo constituenda: nec sane prorsus liquet, an non etiam id, quod Heynius, voluerit: Ακτισιν ιων· πυρν, λαμπροτησι· διαυγεσιαις ξανθαις, και κατα πολυ πορφυρις· αντι τυ, ὑπο διαυγων ιων ξανθων, και κατα πολυ πορφυρων, βεβρεγμενος, τυτ' εστι δεδροσισμενος, τρυφερον σωμα. Prior scholiastes prudenter se tandem corrigit: Ακτινας λεγει, τας αποπιπτυσας απο των ανθεων δρυσυς, η ΛΑΜΠΗΔΟΝΑΣ των ανθων. Non magis sublimiter, quam apposite, Claudianus, laud. Stil. ii. 467. de *sole:*

Sic fatus, croceis *rorantes ignibus*, hortos
Ingreditur—.

Digni sunt hominum elegantium misericordiâ, qui locum nobilissimum divinationibus jejunis tentavere. Jam vero nobismetipsis impensissime gratulamur, quod elegantias suas Maroni resuscitare valeamus, et ab insulsorum interpretum, atque in primis Heynii, manibus infaustis, per opem Lucretii strenuissimam, vindicare; cujus versiculum quasi studiose παραφραζει, dum tempus designat matutinum, Mantuanus, ad geo. i. 288.

Multa adeo gelidâ melius se nocte dedere,
Aut quum *sole* novo terras *inrorat* Eous.

" *Inrorat*, ILLUSTRAT:" Servius. Et vides Carum meum singulis verbis non perfunctorie adumbratum: eum igitur pro enarratore prudentissimo amplectamur. Certe, *roris simplicis* intellectus non est omnino loci scopo alienus: sed, si sic, jam monitus, accipias; nec Lucretiani, nec Virgiliani, manes tibi sint, precor, boni! Maximos poëtas imitari volens, in deteriorem partem abiit lascivia Claudiani; et odiosissimum Eoum μιαρᾳ δροσῳ terras irrigantem licenter exhibet, atque etiam mortalium miserorum oculis, nefas! immeientem; de rapt. Pros. ii. 121.

Dum meus *humectat flaventes* Lucifer agros,
Roranti prævectus *equo*—.

Ex templo inferior pars horum disperit omnis,
290 Terraque inumbratur, quâ nimbei quomque ferantur;
Ut noscas splendore novo res semper egere,
Et primum jactum fulgoris quemque perire:
Nec ratione aliâ res posse in sole videri,
Perpetuo ni subpeditet lucis caput ipsum.
295 Quin etiam nocturna tibi, terrestria quæ sunt,
Lumina, pendentes lychnei, claræque coruscis
Fulguribus, pingues multâ fuligine, tedæ,

Ver. 284. Vide sis ad iv. 190. consimilia.

Ver. 285. *quidquid* abest V. ed.—*ei:* sic omnes vetusti, tam editi, quam MSS. Recentiores excuderunt *eii*, contra morem poëtæ, sic geminantes literam.

Ibid. *Nam primum—:* i. e. id fulgoris, quodcunque primum emittitur, et ubicunque accidat, soli disperit, ac disperditur.

Ver. 286. *nubes:* V. ed. *nullos:* et Δ. *nubes primum.*

Ibid. *subcedere:* i. e. subter venire, in primario sensu vocabuli. Sic Virgilius, Æn. iv. 10.

Quis novus hic nostris *successit* sedibus hospes?

ut ille alibi sæpiuscule. Nonius Marcellus, iv. 443. crasse et confuse omnia; ut nimium solet grex grammaticorum. Minus accuratæ sunt etiam glossæ veteres; quas mora esset coram sistere.

Ver 287. *Cœpere:* V. ed. *Corpore.—et:* Π. *ac.*

Ver. 290. *quomque*, vel *cunque:* V. ed. *cuique.* Mox *novo* desideratur in Π.

Ver. 292. *Et:* V. ed. O. Δ. Π. Σ. Ω. *Ut;* ex versu superiore scilicet repetitum.

Ibid. *jactum fulgoris.* Gellius, xii. 5. qui flores orationis delibabat undique: "Cur, fulgente cœlo, a *luminis jactu* non "suâ sponte et caput, et oculos, declinet:" i. e. ῥιπῃ φωτος. Nos alibi et sæpius hanc elegantiam sermonis agitavimus.

Ver. 294. *subpeditet:* i. e. suppetat, suppeditetur; absolute, uti Lambinus etiam recte monuit: redi sis ad i. 548. M. Tullius, epist. ad famil. vii. 18. "An hoc signifi-"cas, Nihil fieri? Frigere te? Ne char-"tam quidem tibi *suppeditare?*" i. e. sufficere. Manutii notas ibidem inspice.

Ibid. *caput:* i. e. *fons:* vide verr. 271. 282.

BENTLEIUS.

Ver. 295. *terrestria Lumina.* Hinc conciliatur gratia lectioni membranarum Π. ad ii. 387. quæ nescio an vera debeat existimari:

——————— quæ nequit ignis
Noster hic, e lignis ortus, *terris*que creatus.

Ubi reliqua exempla dant *tedis.*

Ver. 296. *Lumina:* O. *Numina.—lychnei:* Π. *lychini.*

Ibid. *pendentes lychnei.* Huc respexit Mantuanus, ad Æn. i. 726. quem locum Lambinus etiam indicaverat:

——— *dependent lychni* laquearibus aureis.

Ibi, ut codex noster Π. quidam codd. *lychyni*, et *lichini.* Maronem, tantum non verbum verbo, Statius expressit, Theb. i. 520.

Ast alii, tenebras et opacam vincere noctem
Aggressi, tendunt auratis vincula *lychnis.*

Ver. 297. *Fulguribus:* P. B. O. Δ. Π. Ω. *Fulgoribus;* in quibus vocabulis turbare scribæ solent: redeas ad ii. 325.

Ibid. *fuligine.* Libri universi, *caligine:* quæ vox, quum manifestissimæ sermonis indoli contradicat, semper erat mihi suspecta; et conjeceram reponendum esse,

Consimili properant ratione, ardore ministro
Subpeditare novum lumen, tremere ignibus instant;
300 Instant, nec loca lux, inter quasi rupta, relinquit:
Usque adeo properanter ab omnibus ignibus ei
Exitium celeri celeratur origine flammæ.
Sic igitur solem, lunam, stellasque, putandum

quod ausus sum reponere, quia Bentleius idem jusserit. Nobis imitatio Virgiliana, ad ecl. vii. 50. valde suffragatur:

Heic focus, et *tedæ pingues:* heic plurimus ignis
Semper, et adsiduâ postes *fuligine* nigri.

Nec minus Apuleius, met. iv. sub finem: " Jam *tedæ* lumen atræ *fuliginis* cinerem " arcessit—." Lege, *atrum;* ut vites ambiguam constructionem, invenustam nimis: conferas Virg. Æn. iv. 633. Opitulabitur nobis etiam Juvenalis testimonium, vii. 225.

Dum modo non pereat totidem olfecisse *lucernas*,
Quot stabant pueri; cum totus decolor esset
Flaccus, et hæreret nigro *fuligo* Maroni.

Addam Gellium, noctt. Att. i. 2. " —" a-" trâ verborum et argutiarum *fuligine* ob " oculos audientium jactâ—." Ubi speravisses sane *caligine:* ast rariorem vocem facilius, ut in Lucretio, cum vulgatiore librarii scriptores commutassent. Sed et Plinius appositus est, nostramque divinationem roborat, nat. hist. xvi. 19. " Om-" nia autem hæc genera (*tedarum*) accen-" sa, *fuligine immodicâ*, carbonem repente " exspuunt cum eruptionis crepitu—." Denique, Ausonius, idyll. xvii. 19. poëtam nostrum in oculis habebat, hæc scribens:

Est lux. Estne dies ergo? Non convenit istuc:
Nam *facibus* multis, aut *fulguribus*, quotiens *lux*
Est *nocturna* homini, non est lux ista diei.

Jam vero codicum lectioni, *caligine* dico, nisi Lucretii rationes ea ex imo fundo verteret, favere videri posset Persius, sat. v. 81.

——————— unctâque fenestrâ
Dispositæ, *pinguem nebulam* vomuere lucernæ.

Nosmet autem, perpensis omnibus, scripturæ in contextu positæ libenter, et ex animo quidem, acquiescimus. Quæ supersunt, igitur exsequemur.

Ver. 298. *properant:* sic P. B. Σ. soli; Π. *referam;* cæteri omnes, *proferant;* sed procul dubio vitiose. Librarios ad eundem modum sæpenumero peccavisse, ob similitudinem literarum majuscularum *F* et *P*, Drakenborchio præstantissimo docemur, ad Liv. xxxix. 6. 5.—Mox *instar* Π. pro *instant.*

Ibid. *ardore ministro.* Hoc consimiliter dictum est, atque *manus ministras*, iv. 828.

Ver. 299. *tremere ignibus:* i. e. micare, coruscare, quasi jacularentur lucem; quod sine *tremoribus* non fit: adeas annotata, ad i. 1088. iv. 406. et infra, verr. 587. 696. hoc libro. M. Tullius, in Arat. 49.

Magnus leo, *tremulam* quatiens e corpore *flammam:*

et Manilius, i. 186. similiter:

Fulgura cum videas, *tremulum* vibrantia *lumen*
Imbribus in mediis; et cœlum fulmine ruptum.

His tot locorum elegantiis impulsus, et in primis consuetudine Lucretii, suspicatus sum Virgilium variare voluisse sensum, ad Æn. vii. 787. uti nunc circumfertur locus, prorsus uniformem:

Tam magis illa *tremens* et tristibus effera *flammis*,
Quam magis effuso crudescunt sanguine pugnæ.

Nam codices inter *fremo* et *tremo* non raro fluctuant: vide Drakenborchium, ad Liv. x. 14. 19. et alios. Postmodum vero Maronis versum non aliter scriptum reperi sine varietate in omnibus Fabii ex-

Ex alio atque alio lucem jactare subortu,
305 Et primum quidquid flammarum perdere semper;
Inviolabilia hæc ne credas forte vigere.
Denique, non lapides quoque vinci cernis ab ævo?
Non altas turreis ruere, et putrescere saxa?
Non delubra deûm, simulacraque, fessa fatisci?

emplaribus, instt. orat. ix. 3. p. 803. ed. Burm.

Ibid. *tremere ignibus instant; Instant.* Hujusce repetitionis, quam tetigimus ad iii. 13. et alibi, specimen perpulchrum Homerus exhibet, in Il. Υ. 371. et Χ. 127. quæ posteriora proferam:

Τῷ ὀαριζεμεναι, ἀτε παρθενος ἠΐθεος τε,
Παρθενος ἠΐθεος τ', ὀαριζετον αλληλοισι.

Ibid. *tremere ignibus instant; Instant, nec—.* Cicero in Arat. 554. cum pari saltem elegantiâ, et artificio numerorum:

Et matutinis acredula *vocibus instat;*
Vocibus instat, et adsiduas jacit ore querelas.

Ver. 300. *Instant:* Π. *Priscant.—rupta:* Σ. codex, *empta.*

Ver. 301. *properanter:* Δ. *properant. —ei:* sic Vind. O. Δ. Π. Σ. Ω. elegantius, et magis ad Cari morem: vulgo, *ejus;* quod tamen nullo modo repudiavissem, si codicum L. M. varietates diligentius recensitas haberemus.

Ver. 302. *celeratur:* sic membranæ Vind. L. M. O. Δ. Σ. Ω. et editio Juntina; P. V. ed. Π. *toleratur.* Nimirum, vel *e* elementum forte fortuna in *o* abierat, atque jam exortum *coleratur* facile detortum est in *toleratur;* vel librarius illepidus, et exquisitissimas Lucretiani sermonis Veneres ne primoribus quidem labris tenus sentiens, suâ sponte corrupit locum; verbis signatissimis, et opere maximo selectis, concinnatum. Translatio est, ut putem, ex hominum multitudine, se violenter protrudentium, et celeriter in transitu succedentium. Horatius, epist. ii. 2. 176.

——————— et hæres
Hæredem alternis, velut unda supervenit undam.

Pariter Virgilius, Æn. v. 324.

——— calcemque terit jam calce Diores.

Ver. 303. *stellasque:* Vind. *stellas.* Ω. autem, *putandum est.*

Ver. 304. *subortu:* P. V. ed. O. Δ. Ω. *sub ortu;* male. Lambinus bene suscitavit i. 1048. ii. 1137. quibus adjicias i. 1035. Hinc extra dubium posita videtur emendatio Manilii, ad iii. 326.

Stent veri stellarum *obitus*, verique *subortus.*

Libri, "stellarum *ortus;*" ut *subortus* stellarum *occasum* significet: quod minime ferendum. Virgilius, geo. i. 257.

Nec frustra signorum *obitus* speculamur, et *ortus.*

Ver. 305. *flammarum:* sic L. M. O. Δ. Σ. Ω. cum Juntinâ; P. Vind. B. *flammaï;* ut vulgares editi: V. ed. *flammas;* Π. *flamare.*—Conferas autem ver. 285. superius.

Ver. 306. *ne:* V. ed. Δ. Σ. Ω. *nec;* arreptâ, uti fit, proxime veniente dictionis secutæ literâ.

Ver. 308. *turreis:* V. ed. *terris.*

Ibid. *putrescere saxa:* committas Lucan. vii. 397. Claudian. in Eutrop. ii. 277. ne plures excitem.

Ver. 309. *delubra deûm.* Maro, Æn. ii. 248.

Nos *delubra deûm* miseri—.

Ibid. *simulacra fessa fatisci:* i. e. ævo domita, in rimas aperiri: redeas annotata nobis de hoc verbo ad iii. 459.

Ver. 310. *protollere:* sic Vind. L. Σ. soli; M. *psetollere;* Juntina, *protelere:* reliqui, *procellere;* de simili erroris pro-

310 Nec sanctum numen fati protollere fineis
Posse, neque advorsus naturæ fœdera niti?
Denique, non monimenta virûm dilabsa videmus?
Quærere, proporro, sibi quomque senescere credas.

gressu, *t* in *c* mutato, quem indicavi ad ver. 302. *Protollere* autem, sensu satis obvio, pro *tollere porro*, vel promovere, extendere. Similiter, etiam sine figurâ, Plautus, Pseud. iii. 2. 71. quam apposite:

Manum si *protollet*, pariter *proferto* manum.

Hinc autem in proclivi jacet emendatio Avieni in maxime indubitatis, ad Arat. 567.

Pleïadas femoris pariter sub fine sinistri
Perseus *protollit*—:

i. e. ita prope accedit has stellas, ut quasi *propellere*, et protrudere, videatur. Nihil certius. Vulgo, *Pleïades;* quod qui vel explicet vel intelligat, næ ille sit Œdipus, aut Œdipo sagacior, nisi fallimur, necesse est.

Ibid. *sanctum numen:* nempe, " de- " lubris suis atque imaginibus ab injuriâ " temporum conservandis." Ad ingenium profecto noster redit; et invisos deos, vel homines superstitiosos potius, ut verum dicam, in transitu quin sugillaret, atque mordaci sale perfricaret, a se non quivit obtinere.

Ver. 311. *advorsus niti.* Virgilius, Æn. viii. 237.

Dexter, in *adversum nitens*, concussit—.

Ver. 312. *monimenta:* hæc est orthographia librorum P. Vind. V. ed. O. Δ. Σ. Ω. vulgo, *monumenta:* sed minus accurate, si modo Romanorum primi verum etymon tenuerint. Frugiferum locum Varronis proferam, de ling. Lat. v. 6.— " sic *monimenta*, quæ in sepulcreis. Et " ideo secundum viam, quo prætereunteis " *admoneant*, et se fuisse, et illos esse, " mortaleis. Ab eo cætera, quæ scripta " ac facta memoriæ caussâ, *monimenta* " dicta." Nempe, *monimentum* a moneo *monitus*. His consentit Festus in voce, et M. Tullius in Nonio, i. 136. qui consulendus est; cum Servio ad Æn. iii. 486. vi. 512. xii. 945. Apte glossator vetus, qui utramque scripturam agnoscit: " Mo- " numenta, ΜΝΗΜΟΣΥΝΑ·" et, " Mo- " numentum, ΜΝΗΜΕΙΟΝ."

Ibid. *monimenta virûm.* Non vacat nomen *virûm*, quum sint etiam *deorum* monimenta. Testis est locuples Nonius, et Nonio locupletior, apud grammaticum illum, vi. 79. " *Monimenta* et *templa* dici " posse, M. Tullius auctor est in Verr. " actt. ii.—ausum esse in *æde* Castoris, " celeberrimo clarissimoque *monimento*." Neque, ut id obiter moneam, cadit oratio Lucretiana, a *delubris deûm* ad *monimenta virûm* progrediens: quum hujusce generis nonnulla, operum magnitudine sumptuosâ, ut sepulcrum Mausoli, et Memphiticæ pyramides, vel nobilissimis deorum templis præluxisse videantur.

Ibid. *dilabsa:* i. e. post dissolutionem *in diversas partes cadentia;* ita ut λιθος επι λιθον ου μη αφεθη, ut S. Matthæus loquitur, xxiv. 2.

Ver. 313. Argutulus est poëta scilicet, dum inanes fastus et frivolam mortalium fragilium arrogantiam irridet, castigatque. Quasi dixerat: " Nonne passîm videmus, " dum viam facimus, tumulos defuncto- " rum dilapsos, corruentes, ac ruinosos? " Credas propemodum eos dato quasi stu- " dio ad senectutem properanter conten- " dere, quocunque tandem modo; ut ean- " dem mortalitatem homunculis, quos " contegunt, ocyssime consequantur." In his autem nihil equidem discernere valeo, ad quod editor prudens debeat offendere, aut cujus lepidus scriptor pœnitere. Jam vero scripsi versum, prout invenitur in vetustissimis incorruptissimisque exemplaribus, L. M. O. Σ. Ω. adeo ut de sensu, si minus probus sit et commendabilis, ne-

Non ruere avolsos silices a montibus altis;
315 Nec validas ævi vireis perferre, patique,
Finiti? neque enim caderent avolsa repente,
Ex infinito quæ tempore pertolerassent

cessum est ipse poëta videat. Tales libros consentientes temere proculcare non est meum. Pro *sibi cumque*, P. *subitoque;* Vind. *sibiomique;* V. ed. B. Δ. *sibi omnique;* Π. *sibi omni:* quæ colluvies corruptelarum vel ex glossemate dictionis *cumque* fluxit, vel ex scripturæ veteris, quam nos exhibuimus, vestigiis; *quomque* scilicet. Bentleius, post Lambinum, hunc et sequentem versum pro adulterinis et audacter intrusis habuit: quos demiror. Sed cuilibet promptum est ita nodum Gordianum dissecare. Obstupescimus Preigero, homini annumerando lautioribus, aurum in Vossianis sordibus invenienti; vix dignis, quibus chartæ nostræ inquinentur:

Quæ ruere proporro *ibi*, conque senescere credas.

Nimirum, aliquoties cogimur, de tentaminibus excellentium virorum, sed artis divinæ veneres non medullitus sentientium, loqui durius et acerbius, quam vellemus. Nec tædium non est devorandum nobis, exhibendi coram lectoribus versiculum indignissime acceptum, qualem ex officinâ suâ diffictum editores boni protulerunt:

Cedere proporro, *subitoque* senescere *casu.*

Ibid. *quomque:* adi sis vi. 1016. atque scripta ad ii. 720.

Ibid. *senescere credas.* Hanc formulam, quæ simile miraculi quiddam, et omnem fidem supergressum, scite conatur excusare, ut lector sit propitius, Virgilius excepit, ad Æn. viii. 691.

——————— pelago *credas* innare *revolsas*
Cycladas, aut montis concurrere *montibus altos:*

Symplegadas, opinor, innuens. Videas ibi Burmannum. Et, qui sequitur in nostro, versus magno argumento est, nos vere locum coram positum Lucretii ad ipsius mentem constituisse; quum eo sit tenore sermonis, qui Maronis imitationem vociferetur:

Non ruere *avolsos* silices a *montibus altis:*

nam modo præcesserat:

Unâ omnes *ruere*, ac totum spumare—.

Artis tamen principem uterque vates imitatus est, divinos versus in Il. O. 697. profundentem:

ΦΑΙΗΣ κ', ακμηταις και ατειρεας αλληλοισιν
Αντεσθ' εν πολεμῳ· ὡς εσσυμενως εμαχοντο.

Ubi plane intolerabilis est Barnesius, temeriter et indoctissime sanissimam glossam scholiastis, et exquisitissimam, corrumpens.

Ver. 314. *avolsos:* Vind. V. ed. O. *avulsos;* ut recentiores.—*silices:* Π. *salices.*

Ibid. *ruere avolsos silices, Nec ævi.*—Maronis musa, ad Æn. viii. 233.

Stabat acuta *silex*, præruptis undique saxis:—
Avolsam solvit radicibus—.

Ut idem rursus, ibid. xii. 684. in comparatione valde magnificâ, ac verbis longe ornatissimis, et electissimis, conceptâ:

Ac veluti *montis saxum*, de vertice præceps
Quum *ruit*, *avolsum* vento, seu turbidus imber
Proluit, aut *annis* solvit, sublabsa, *vetustas*—.

Ver. 315. *Nec:* O. Π. *non.*—Et phrasi *perferre patique* parem supra jam habuimus, ad ii. 291.

Ver. 317. Quam parcis et infrequentibus doctorum manibus Lucretius tractatus sit, exemplo est verbum *pertolero;* cujus aliunde sane, quam ex Amphitryonis Plautini supposititiis, unde confirmarent usum, lexicorum opifices haud videntur habuisse.

Ver. 318. *tormenta:* i. e. violenta vexamina, βασανοι, quibus tentata sint, atque

Omnia tormenta ætatis, privata fragore.
Deniqûe, jam tuere hoc, circum supraque, quod omne
320 Continet amplexu terrarum; procreat ex se

oppugnata. Nam translatio est a *carnificum* officio. Nempe, inter *tortoris Ævi* sævos et indefessos impetus hi silices perduravere sine *fragore:* i. e. " nervis ve- " nisque non *ruptis*, compage nec ossium " *divulsâ.*" Et *fragor* adhibetur in primario suo significatu, pro ipsâ *frangendi actione:* vide dicta ad ver. 110. hujusce libri. Neque aliter re verâ Livius, i. 29. 4.—" jam *fragor* tectorum, quæ dirue- " bantur, ultimis urbis partibus audieba- " tur:" i. e. diruptio, casusque. Et sic alii bene multi; licet id animum lexicographi neutiquam adverterint, in sensu consequente solum occupati. Nonnulla diximus ad i. 748. Sed enim, ut exemplis paucis e Virgilio petitis rem uberius declarem, et tyrones intelligant, quot et quantas poëtarum elegantias hinc prætermittant, moræ non longæ venia postulanda est. Ita ille ad geo. i. 357.

——————— aridus altis
Montibus audiri *fragor:*

i. e. " aridi ligni et foliorum in arboribus " collisio atque confractura." Vulgaris artifex *aridus sonitus* dixisset forsitan; sed longe felicius vates consummatissimus administravit rem. Idem, Æn. i. 154.

Sic cunctus pelagi cecidit *fragor*—:

i. e. " omnes fluctus *fracti*, vel se fran- " gentes, in unam æquoris superficiem " subsederunt." Ibid. iterum, ii. 692.

Vix ea fatus erat senior, subitoque *fragore*
Intonuit lævom—:

i. e. " cœli *confractione*, vel *fissurâ* nu- " bium:" confer Lucret, vi. 137. Denique, Æn. vii. 677.

——————— magno cedunt virgulta *fragore:*

" cum magnâ scilicet sui ruinâ, atque *di-* " *ruptione.*" Quem locum, ut hoc etiam in transcursu tangam, miror neminem omnium, qui in his imitationibus indicandis operam posuerunt, observasse ad Catulli verba adumbratum, lxiii. 86.

Vadit, fremit, *refringit virgulta pede vago.*

Ver. 319. Scripturam loci, in quam me nonnullorum codicum varietates conjectantem manu duxerant, aliis libris postea inveni confirmatam; atque sic, ut vides, exhibendam statui. Sed varietas lectionis exponenda restat.—*tuere:* P. O. *ruere.*—*que* deest V. ed. ut *quod* Vind.—*omne:* sic P. V. ed. L. M. O. Δ. Π. Σ. Ω. sed Vind. B. *omnem*, uti in edd. scribi solet, si credere velis collatoribus; quod, me saltem impulsore, ne facias.

Ver. 320. *terrarum:* sic clare Δ. codex; P. *terraï:* sed ex aliorum omnium vocabulo, *terram* utique, facilior est lectionis nostræ derivatio. Vulgari solet, *terram quod;* sed *quod* non comparet in P. Vind. V. ed. Π. et in aliis quibusdam, uti suspicor: amat nimirum Lucretius orationem, sic sine copulis fortius et vividius procedentem: Δ. *quæ terram;* Ω. *quod terram.*

Ibid. *omne terrarum.* Multæ sunt huic gemellæ locutiones in optimis scriptoribus; quod extemplo quivis elegantior agnoscet: redi sis ad dicta sub ver. 107. hujusce libri. Ita, ni fallor, accipienda est Virgilii structura, ad geo. ii. 284. quamvis aliter sit visum interpretibus:

Omnia sint paribus numeris dimensa *viarum.*

Confer nostrum, i. 660. Propertius, iii. 7. 9.

Omnia non pariter *rerum* sunt omnibus apta:

ubi videas Burmannum, hoc schema illustrantem; cum Titio, ad Nemes. cyneg. 288. ac nobis, si vacet libeatque, ad Eurip. Ion. 172. Hinc non audiam Grotium, legentem *omina*, pro *omnia*, ad castigatissimos Avieni versus, Arat. 1858. quamvis eadem profecto conjectura se mihi sponte propriâ objecerit:

Omnia, quod queidam memorant, recipitque perempta:
Totum nativum mortali corpore constat.
Nam, quodquomque alias ex se res auget, alitque,

——— tamen hæc, tamen *omnia rerum*
Adfore vel primo nimbos mox sole docebunt,
Vel cum curriculis lux ibit cepta secundis,
Tertius aut verso cum venerit ortus Olympo.

Ubi forsitan rescribendum tamen:

Vel cum curriculis lux ibit *celsa* secundis.

Veram hanc emendationem puto; ut est haud dubie perelegans. Seneca, Troad. 728.

Patrioque sede *celsus solio*.

Compares Virg. Æn. xii. 295.

Ibid. *omne Continet amplexu terrarum.* Nonnulla videas huc pertinentia sub ver. 201. superius. Opportuni sunt Maniliani versus, ad iv. 593. quibus suaviores, et curiosâ verborum felicitate magis exornatos, elaboravit Romanorum nemo:

Ipsa natat Tellus, pelagi lustrata coronâ
Cingentis medium liquidis *amplexibus* orbem.

Agnoscent eruditi Græcorum illud satis notum, *ὑγραις* scilicet *εν αγκαλαις:* unde in transitu restituam Avienum, in Arat. 1070.

Oceano, magnam qui circum *amplectitur ulnis*
Tellurem——.

Vulgo, *undis;* cui sane gratiam nonnullam conciliare forsan poterit Catullus, lxii. 30.

*Oceanus*que, *mari* totum qui *amplectitur* orbem:

nec tamen decesserim equidem conjecturæ meæ. Illud *qui*, pro *qua*, Grotius præcerpsit. Manilius autem Homeream phrasin reddidit venustissime, ex Od. K. 195.

Νησον, *την περι* ΠΟΝΤΟΣ *απειριτος* ΕΣΤΕΦΑΝΩΤΑΙ.

Sic Dionysius, perieg. init. et alii. Nec displicebit tamen interea, neque illustrando Lucretio non inserviet, carminis Græci, quod innuimus, versio Enniana, vel Ciceroniana, nat. deor. ii. 23. quum non alio sane respexerit poëta noster:

Vides, sublime fusum, inmoderatum, *æthera*,
Qui *terram* tenero circumjectu *amplectitur*——.

Hinc res esse videtur in proclivi bene constituere atque interpretari vere Bentleianum Callimachi fragmentum cxlvii. ex etymologico magno in Ακμηνος sumptum:

Τῳ περι δινηεντ' ακμονιδην εβαλεν.

Loquitur nimirum scriptor doctissimus de *mari*, vel *æthere*, quem Creator telluri circumjecerit. Magnus coactor harum reliquiarum, atque editores, qui secuti sunt, loco nullas cogitationes impenderunt. Porro, in sequente versu, V. ed. *quidem*, pro *queidam*.

Ver. 321. *quod queidam memorant.* His, opinor, Anaximander annumerandus est, qui videtur nihil aliud per *απειρον* suum, quam *immensum*, vel *immoderatum*, *æthera* voluisse. Plutarchus, plac. phil. i. 3. Αναξιμανδρος δε ὁ Μιλησιος φησι, των οντων την αρχην ειναι το απειρον· εκ γαρ τουτου παντα γινεσθαι, και εις τουτο παντα φθειρεσθαι. Et, si sentiret aliud Anaximenes, conterraneus ejus et discipulus, ægre dixeris quidnam denique sentiret. De illo sic idem ibidem Chæronensis: Αναξιμενης δε ὁ Μιλησιος αρχην των οντων αερα απεφηνατο· εκ γαρ τουτου τα παντα γινεσθαι, και εις αυτον παλιν αναλυεσθαι. Verum enim hi Lucretii versus multum debent Pacuvii fragmento, uti Scaliger primus monuit; quod noster profecto presse et ad verbum etiam imitatus est, et Havercampus huic loco prudentissime admovit: ita ex Varrone, de ling. Lat. v. 3. et M. Tullio, de divin. i. 57. ut opinor, uniter contexendum, scribendumque:

Hoc vide, circum supraque, quod complexu continet
Terram; id, quod nostrei cavum cœlum memorant, Graici æthera.

Deminui debet; recreari quom recipit res.
325 Præterea, si nulla fuit genitalis origo
Terrarum et cœli, semperque æterna fuere;
Quur supra bellum Thebanum, et funera Troiæ,
Non alias aliei quoque res cecinere poëtæ?
Quo tot facta virûm totiens cecidere; neque usquam,

Quidquid est hoc, omnia animat, format, *alit*, *auget*, creat;
Sepelit, *recipitque* in sese, *omnia;* omniumque idem est pater:
Indidemque, eâdemque, oriuntur de integro; atque eodem obcidunt.

Addam Nemesianum, ecl. i. 35.

Omniparens Æther, et, rerum caussa, Liquores—.

Ver. 323. *quodquomque:* P. *quocunque;* mallem equidem, *quæquomque*, ut ad *το res* posterius referretur, versibus sic interpunctis:

Nam, *quæquomque* alias ex se res auget, alitque,
Deminui debet, recreari quom recipit, res.

Ver. 324. *Deminui:* Vind. L. M. Π. *Diminui;* vitiose: vide ver. 268. supra.—*quom:* Ω. *quod.*

Ver. 326. *Terrarum:* sic P. V. ed. B. L. M. O. Δ. Π. Σ. Ω. omnes denique præter Vind. qui codex vulgarium editionum lectionem habet, *terraï* dico; sed oculi collatoris irrepente somno caligabant. Idem temerarium facinus editorum notavimus, et correximus, ad i. 722. Non aliter phrasim solet Virgilius exhibere; cujus exemplum sufficiat singulare, ex Æn. iv. 236.

Haud aliter, *terras* inter cœlumque, volabat,
Materno veniens ab avo, Cyllenia proles,
Litus arenosum Libyæ; ventosque secabat.

Ita constituendi sunt optimi versus ac politissimi, et Heynio temeriter, neque ad solitum suum Venerum poëticarum gustum, improbati. Structura illa *volabat litus* elegantissima est Wopkensii cogitatio. Nos hoc schema constructionis latius aperuimus in notis ad ii. 206. et, quum sit res exquisitior et nequaquam levis, paucula subjiciemus. Catullus, lxiv. 7. versibus valde magnificis, et Lucretium, ad i. 87. illustrantibus:

Quom lectei juvenes, Argivæ robora pubis,
Auratam optantes Colchis avortere pellem,
Ausei sunt *vada* salsa citâ *decurrere* puppi.

Addam Oppianum, cyneg. i. 478.

Ῥινεσι δ' αυτε μαλιστα πανεξοχος εστιν Αγασσεως,
Και στιβιη πανκαριστος· ετι και ΓΑΙΑΝ ΙΟΝΤΩΝ
Ιχνιον εὑρεμεναι μεγα δη σοφος—:

ubi nimirum Rittershusii Schneiderique deflendæ sunt inscitia et incogitantia, reponentium κατα γαιαν. Ut redeam, finiamque, Lucanus, i. 521.

——————— superique minaces
Prodigiis *terras* implerunt, *æthera*, *pontum*.

Ver. 327. *Quur:* Π. *Qur;* vulgo, *Cur.*—*supra:* sic Vind. V. ed. O. Δ. Π. Σ. Ω. vulgo, *supera;* ut P. sed, opinor, sine vetustis libris. Consentiunt nobis Aldina et Juntina.—*Thebanum:* Π. *Troianum.*

Ibid. *bellum Thebanum et funera Troiæ.* Sic Horatius, od. i. 8. 14. "sub lacrymosa *Trojæ funera.*" Claudianus etiam, in Eutrop. i. 291.

——————— *Thebas, ac funera Trojæ,*
Tristis Erechthei deplorat scena theatri.

Et Sabinus denique, epist. i. 99.

Nunc primum Pallas versæ post *funera Trojæ*
Visa mihi——.

Ver. 328. *aliei quoque:* Vind. V. ed. Π. Σ. *aliasque;* L. M. *aliquoque.*—*cecinere:* V. ed. *tenuere;* c nimirum cum *t*, et *ci* cum *n*, uti solet *το n* cum simillimis *ti*, permutatis: vide Drakenborchium, ad Liv. vi. 36. 3.

Ibid. *aliei quoque poëtæ:* Homero scilicet, Æschyloque, vetustiores.

330 Æternis famæ monimentis insita, florent?
Verum, ut opinor, habet novitatem summa recensque
Naturâ mundi est; neque pridem exordia cepit.
Quâ re etiam quædam nunc artes expoliuntur;
Nunc etiam augescunt: nunc addita navigiis sunt
335 Multa; modo organicei melicos peperere sonores:

Ver. 329. *totiens:* ita Vind. V. ed. O. Ω. vulgo, *toties.*—*neque:* sic Vind. L. M. Δ. Π. Σ. Ω. vulgo, *nec;* V. ed. *ne.*

Ibid. *Quo tot facta cecidere:* i. e. "in "quod *barathrum*, demersa et obruta pe-"nitus, conciderunt?" Diversa est ejusdem phraseos translatio, ab *alearum jactu* scilicet, nisi fallor, in Virgilio, Æn. ii. 789.

Quo res cumque cadent, unum et commune periclum,
Una salus, ambobus erit——.

Ver. 330. *monimentis:* sic P. Vind. V. ed. Δ. Π. Σ. Ω. vulgo, *monumentis:* adi sis notata nuper, ad ver. 312.

Ibid. *monimentis insita florent.* Pulchra mehercule figura est, ab *arborum cultu insititio* suaviter petita.

Ver. 332. *mundi:* Π. *mondi.*—*mundi est:* hic est ordo verborum in Vind. V. ed. L. M. Π. Σ. Ω. hodierni tamen correctores audaculas manus injecerunt, et sic ad arbitrium scripserunt versum:

Natura *est mundi*——:

exquisitiorem constructionem callere nequeuntes phraseos *recens naturâ*, in sexto nimirum casu, præpositione subintellectâ, quam in parili locutione positam maluit M. Tullius, de nat. deor. iii. 5.—"quos "Homerus, qui *recens ab* illorum *ætate* "fuit, sepultos esse dicit Lacedæmone—." Et valde lætamur ob hunc Lucretii locum ab inscitis artificibus vindicatum, et primigeno nitori restitutum.

Ibid. *mundi summa:* quod noster *immensi summam* vocitavit superius, ad ii. 1094. Similiter Lucanus, ix. 123.

Dic, ubi sit, germane! parens. Stat *summa*, caputque,
Orbis; an occidimus?——

Ver. 333. *artes:* Ω. *partes;* non absurde prorsus, ut videtur; ad illud Virgilianum scilicet, in geo. ii. 483.

——— *naturæ* adcedere *partes*——.

In dictionibus insuper *ars* et *pars* librarii scriptores haud raro peccaverunt: de quâ re consulendus Drakenborchius, ad Liv. i. 15. 4.

Ver. 334. *Nunc etiam augescunt.* Oratio poëtæ justis gradibus assurgit in progressu. Res *expoliuntur*, quæ maturitatem quidem suam attigerint, sed ornatûs exquisitioris indigeant: *augescunt* autem res, quibus ætas adulta et magnitudo vera nondum contigerint.

Ver. 335. *melicos:* Δ. Π. Σ. *melitos;* ut O. a primâ manu. Et Cicero, de opt. gen. orat. init. vocem adhibuit strictiore sensu, pro *lyricos;* sed Ausonius, idyll. iv. 54. ut noster, generaliore:

Et *melicos*, lyricosque, modos——.

Sic Carus, ii. 412. 504. primigeniam dictionem.

Ver. 336. *natura rerum ratioque.* Per hendyaden hæc prolata sunt, vice "hæc "ratio naturæ rerum;" vel "hoc munus "naturalis philosophiæ, sic viâ ac ratione "investigatæ declaratæque."—Porro, Δ. *ac*, pro *hæc;* et mox *hac*, vice *hanc.*

Ver. 337. *primus cum primis:* i. e. "his primis rerum repertoribus ego quo-"que sum repertor annumerandus."

Ver. 338. *sum* deest V. ed. B.—*possim:* Δ. *possem;* Lactantius, iii. 16. *possum.*

Ver. 339. *fuisse:* Π. *fuisset.*—*antehac:* O. Δ. *ante hoc.*—Videtur autem *antehac* pro *ante hæc* dictum; ut *posthac* itidem, pro *post hæc*, μετα ταυτα.—Mox V. ed. Ω. *perisse.*

Denique, natura hæc rerum, ratioque, reperta est
Nuper; et hanc, primus cum primis ipse repertus
Nunc ego sum, in patrias qui possim vortere voces.
Quod, si forte fuisse antehac eadem omnia credis,
340 Sed periisse hominum torrenti secla vapore,
Aut cecidisse urbeis magno vexamine mundi,
Aut ex imbribus adsiduis exisse rapaceis,
Per terras, amneis, ac oppida cooperuisse;
Tanto quique magis, victus, fateare necesse est,

Ver. 340. *torrenti vapore:* i. e. calidissimo vapore; conferas ii. 843. Pacuvius apud Festum, voce *Torrens:*

Flammeo *vapore torrens* terræ fetum exusserit.

Ver. 341. *vexamine.* Hoc nomen habet heic, ut verbum *vexo* plus semel in his libris, fortem vegetumque sensum: unde reprehensio grammaticorum, Gellio memoratorum, ad noctt. Att. ii. 6. (quo te recipias) erat prius Lucretio impingenda, qui viam ingenio Maronis straverat, de levi et imbelli vocabulo non cogitantis, cum diceret,

Dulichias *vexasse* rates.

Vide sis annotata superius, ad i. 276.

Ver. 342. *rapaceis amneis:* revertaris ad i. 18. et meas ibidem notas. Auctor ad Liviam, ver. 387.

*Danubius*que *rapax*—— :

unde lectionem exemplaris Arceriani redonaverim equidem Frontino, stratag. i. 6. 2. " Idem,—dum *flumine* interveniente, non " ita magno, ut transitum prohiberet, mo- " raretur tamen *rapacitate*, alteram legio- " nem in occulto citra flumen collocavit—." Vulgo, *rapiditate;* ex glossatore, extra controversiam. Undenam scilicet rarissima vox librariorum cerebellis incursaverit? Consulas autem Oudendorpium ibidem; cujus sententiæ nolim subscribere.

Ibid. *exisse amneis ac oppida cooperuisse.* Mihi liquidum est hos versus auxilium Virgilio tulisse, ad geo. i. 115.

Præsertim, incertis si mensibus *amnis abundans Exit*, et *obducto late* tenet omnia limo——.

Ver. 343. *ac:* ita P. V. ed. O. Δ. Π. neque aliud nimirum habendum est *το at* codd. L. M. vulgo, *atque;* quod egomet importunis correctoribus reddam, nescientibus sermonis indolem Lucretiani, ab hac particulâ ante vocalem insequentis dictionis, uti vidimus in superioribus, haud abhorrentem.—*cooperuisse:* V. ed. Σ. *coperuisse;* ad pronunciationem vocis utique: Ω. *cohoperuisse.*

Ibid. *oppida cooperuisse.* Arnobius, lib. i. p. 4. im. " Quando *urbes* amplissi- " mæ marinis *cooperæ* sunt *fluctibus?*"

Ver. 344. *quique:* sic L. M. Δ. verissime: cæteri, *quippe;* editio Juntina, *nempe:* unde pro adulterino fetu glossatoris arguitur illud *quippe*, non perspicientis *το quique* pro *quisque* stare: i. e. ex usu bonorum scriptorum, pro *quisquis*, vel *quicunque;* ut vicissim. Glossator antiquus: " *Quique*, ἕκαστος. *Quisque*, " ἕκαστος. *Quisquis*, ἕκαστος." Idem vicissim in Græcis: " Ἕκαστος, singulus, " *quisquis*, unusquisque, *quique*, *quisque*." Et forsitan, quæ hominum erat inscitia, pronominis usus cum personâ secundâ verbi librariis scrupulum objecerit.—*victus:* Π. *victa.*—*fateare:* Vind. *fatear.*

Ibid. *Tanto magis:* ob tua concessa scilicet, de tot hominum et urbium exitialibus vexaminibus.

Ver. 345. *terrarum:* verum enim vero (quod ægre apud ignorantes ingenium eorum, qui Lucretii scripta curaverunt,

345 Exitium quoque terrarum, cœlique, futurum.
Nam, quom res tantis morbis tantisque periclis
Tentarentur, ibei si tristior incubuisset
Caussa, darent late cladem, magnasque ruinas.
Nec ratione aliâ mortales esse videmur
350 Inter nos, nisi quod morbis ægrescimus iidem,
Atque illei, quos a vitâ Natura removit.
Præterea, quæquomque manent æterna, necessum est,
Aut, quia sunt solido cum corpore, respuere ictus,

fidem habiturum est) editores ἐπιτριπτοι nobis de suo dedere *terraï;* libris, omne genus, universis sceleratissimum facinus devoventibus. Nos sincerissimam poëtæ scripturam, gratulabundi lectoribus, studiose restituimus. Inspice nuperrime notata, ad ver. 326. Quid autem? nonne sic legit Ovidius, versibus illis celeberrimis hunc etiam locum exprimens? in amor. i. 15. 24.

Carmina sublimis tunc sunt peritura Lucretii,
Exitio *terras* cum dabit una dies.

Conferas autem Virgilii ecl. vi. 32. sub ver. 417. infra positum.

Ver. 346. *tantis morbis:* i. e. morbosis cœli tempestatibus, vapores mortiferos generantibus; ut ver. 340. Mantuanus vates, geo. iii. 478.

Heic quondam, *morbo cœli*, miseranda coorta est
Tempestas, totoque *auctumni* incanduit *æstu;*
Et *genus omne neci* pecudum dedit, omne ferarum.

Nomen rursus *periclis* respicit *diluvies* illas, et *terræ motus*, in verr. 341. 342.

Ver. 347. *Tentarentur morbis periclisque.* Formula sermonis elegans, sed pervagata: conferas ipsum Lucretium, ad i. 538. 632. ii. 966. vi. 1249. et alibi sæpius: Virg. ecl. i. 50. geo. iii. 441. Horat. sat. i. 1. 80. ii. 3. 163.

Ver. 348. *darent ruinas:* Π. *daret ruinas;* male. Virgilius, Æn. xi. 613. uti noster:

——————— primique *ruinam*
Dant sonitu ingenti:

quam constitutionem loci lectionibus aliorum codicum, nec ipsis tamen elegantiâ carentibus, ob Lucretium equidem prætulerim:

——————— primique *ruinâ*
Dant *sonitum* ingenti——.

Tales autem *ruinas* mundi noster animose fingit prioribus Epicuro philosophis factas, ad i. 741.

Principiis tamen in rerum fecere *ruinas:*

in quæ verba crediderim M. Tullium respexisse, de finn. i. 6. ut qui talionis quasi legem vellet irrogare: " Sed hoc commune vitium; illæ *Epicuri* propriæ " *ruinæ.*"

Ver. 350. *ægrescimus:* sic P. Vind. V. ed. L. M. O. Ω. vulgo, *ægriscimus.*— *iidem* vel *idem:* sic omnes libri veteres, quâ impressi, quâ manu scripti: editores tamen temerarii et audaces, Pii male feriatam conjecturam secuti, magno consensu poëtæ obtruserunt *îsdem;* veram elegantiam loci per isthanc rationem in pessum dantes. Lucretius enim scilicet non affirmat, homines istius ætatis *consimilibus* omnino *morbis* tentari, sed *eodem modo* cum priorum seculorum hominibus ægrescere, et caussis, quæ mortem inferunt, æque infestari. Dictionis autem hic usus exquisitior bene notus est. In exemplum singulare sufficiat Virgilius, geo. i. 71.

Alternis *idem* tonsas cessare novalis,
Et segnem patiere situ durescere campum.

Nos insuper non *îdem* contracte, sed la-

Nec penetrare pati sibi quidquam, quod queat artas
355 Dissociare intus parteis; ut materiaï
Corpora sunt, quorum naturam obstendimus ante:
Aut ideo durare ætatem posse per omnem,
Plagarum quia sunt expertia sic ut inane est,
Quod manet intactum, neque ab ictu fungitur hilum:
360 Aut etiam, quia nulla loci sit copia circum,
Quo quasi res possint discedere, dissoluique;
Sic ut summarum summa est æterna, neque extra
Qui locus est, quo dissiliat: neque corpora sint, quæ
Possint incidere, et validâ dissolvere plagâ.

tius *iidem*, ut passim quoque *hiis*, pro vulgari *his*, solemus scribere: de quâ re te amandatum velim ad Priscianum, pp. 736. 737.

Ver. 351. *quos a vitâ:* V. ed. *quod a-vita:* O. Ω. *quos avita;* junctim, uti passim.

Ver. 352. *necessum:* sic M. solus; sed rariorem formam, et per scribarum manus facilius in vulgatius vocabulum migraturam, accipiendam habui. Reliqui, *necesse.*—Porro, versus hic, et qui sequuntur usque ad ver. 375. jam lecti sunt in iii. 807.—830. levissime variati.

Ver. 354. *artas:* ita accurate V. ed. Ω. quorum prior habet *ætas*, pro diversâ lectione; Π. *artis.* Vulgo, *arctas:* male; ob radicem nempe Græcam, ἀρω, ἀρτιος.

Ver. 355. *Dissociare:* Π. *Dissonare.* —*ut:* Ω. *et.*

Ver. 357. *Aut:* V. ed. B. *Ante;* quod solenne est peccatum librariorum: adi sis Drakenborchium, in Liv. x. 35. 19.

Ver. 359. *intactum:* V. ed. B. *vitandum.*—*fungitur:* P. Vind. V. ed. B. Π. *figitur;* O. Δ. *frangitur*, cum Juntinâ Aldinâque.

Ver. 363. *Qui:* sic V. ed. B. L. M. O. Ω. cæteri, *Quis;* sed rarior dictionis usus non erat, codicibus optimis suffragantibus, Lucretio denegandus. Terentius, Phorm. v. 7. 18.

Nam, *qui* erit rumor populi, inquit, si id feceris?

Et Bentleius reponi jussit *dissiliunt*, et *sunt:* omnino perperam.

Ver. 365. *cum mundi:* Π. *tum mondi.*

Ver. 366. *quoniam:* V. ed. *quom;* O. Π. *quo:* i. e. *quō.* Voces *quoniam admixtum est in rebus inane* desiderantur in Vind. cum *Nec tamen est* subsequentis versûs: oculis librarii scilicet in posterius *est* subito conjectis.

Ver. 367. *autem:* Π. *ante;* ob similia literarum *n* et *u* lineamenta, ac scripturæ compendium: redi sis ad notam in iv. 153.

Ver. 368. *forte:* Δ. *fonte;* pro variâ lectione.—*coorta:* sic soli P. Σ. cæteri omnes, *coperta.* Nempe, hic error in similitudine literarum *p* et *h*, pro rectæ lineæ mensurâ, fundamentum habet; atque ex usitatâ vocis orthographiâ, *cohorta* scilicet, nullo negotio *coperta* vitiosum illud postea natum est.

Ver. 369. *Conruere:* Π. *Cernere;* editores contra libros universos, *Proruere:* temeriter vocem inculcantes ab iii. 824. arcessitam; quasi cujusdam necessitatis legibus poëta constringeretur, quæ in elegantem sermonis varietatem exspatiari acerbissime vetarent. *Conruere* autem, *unâ ruere*, vel *prosternere;* uti vox ista sæpius active solet adhiberi, quod ne pueri quidem nesciunt: confer i. 273.

365 At neque, utei docui, solido cum corpore mundi
Natura est, quoniam admixtum est in rebus inane;
Nec tamen est ut inane; neque autem corpora desunt,
Ex infinito quæ possint forte coorta
Conruere hanc rerum violento turbine summam,
370 Aut aliam quam vis cladem inportare pericli:
Nec porro natura loci, spatiumque profundi,
Deficit, exspargi quo possint mœnia mundi;
Aut aliâ quâ vis possunt vi pulsa perire.
Haud igitur leti præclusa est janua cœlo,
375 Nec soli, terræque, neque altis æquoris undis;

Plautus, Rud. ii. 6. 58. pro *acervatim cumulare* similiter vocem posuit:

Ibi me *conruere* posse aiebas *divitias*.

Ubi legas Scaligerum; qui videtur tamen minus accurate scripsisse Varronis locum, in re rust. i. 50. 1. aliter se habentem in meis saltem exemplaribus. Videas etiam, si modo vacet, Doëring, ad Catull. lxviii. 52.

Ver. 370. *cladem pericli.* Hoc dictum est pro "periclum perniciale;" vel *periclum*, quod *cladem affert.*—Porro, V. ed. dat *Et*, pro *Aut.*

Ver. 372. *exspargi:* P. *expergi;* Vind. dat *exspergi;* quorum prior procul dubio corrupit codices, posterior neglexit.—*possint:* V. ed. *possunt;* per errorem transpositionis: hic nempe scribi volens *possint*, et, in sequente versu, *possunt.*

Ver. 373. *possunt:* sic verissime L. M. O. Ω. reliqui, *possint;* quasi nimirum a *quo* præeunte verbum penderet; quod nullo modo poëta voluit: nam voces *possunt pulsa* respiciunt omnia creata, de quibus in verr. 352. 358. 361. 369.

Ver. 374. *leti janua patet.* Hinc Virgilius, ad Æn. ii. 661.

——— *patet* isti *janua leto:*

ubi Burmannus, quod usitatum est eruditis, similium locorum quidem in Stat. Theb. iii. 67. Val. Flacc. iii. 386. reminiscitur, sed auctoris Lucretii obliviscitur. Addas Silium, Pun. xi. 187.

——— Nullo nos invida tanto
Armavit Natura bono, quam *janua mortis*
Quod *patet*, et vitâ non æquâ exire potestas.

Drakenborchius etiam, Maronem laudans, præteriit Lucretium. Accedat Euripides, Hippol. 56. Homerum secutus:

——— ὥ γαρ οἰδ' ΑΝΩΓΜΕΝΑΣ πυλας
Ἅιδου—.

Ita locus erat accuratius scribendus; cum quo contendas eundem, in Ion. 1585. Cæterum, Heinsiana lectio *vitæ non æqua* et ambigua est, et, me judice, minus elegans.

Ver. 375. *neque:* sic Vind. L. M. O. Δ. Ω. reliqui, *nec.*

Ibid. *terræque.* Lege, *terræve.*

BENTLEIUS.

Nihil opus: et sic alibi frustra vir magnus.

Ver. 376. *janua patet inmani et vasto hiatu.* Lege, *patet inmane.*

BENTLEIUS.

Eleganter, et me plaudente; ita tamen, ut a vulgatis, satis bene se habentibus, decedere non ausim. Virgilius, Æn. x. 726.

Gaudet, *hians inmane;* comasque adrexit——.

Sed patet inmani, et vasto respectat, hiatu.
Quâ re etiam nativa necessum est confiteare
Hæc eadem: nêque enim, mortali corpore quæ sunt,
Ex infinito jam tempore adhuc potuissent
380 Inmensi validas ævi contemnere vireis.

Et sane impendio sublimem januæ Leti nobis imaginem figuravit poëta noster. Orosii tentamen, in hist. iii. 4. lautis lectoribus gratum superveniet: " Repente " siquidem medio urbis terra dissiluit, " *vasto*que prærupte *hiantia sulco* inferna " *patuerunt.*" Vulgo legitur, *hiantia subito;* supervacaneâ loquacitate, cum præcesserit *repente.* Cæterum, hujusce loci sublimitas ab imitatione non deterruit Statii magniloquentiam; in quo conatu se neutiquam traduxit, Theb. viii. 376.

——— Stygiisque emissa tenebris,
Mors fruitur cœlo; bellatoremque volando
Campum operit, nigroque viros invitat *hiatu.*

Locus sane depravatus legitur; sed in corrigendo tempus trahere jam nunc nolim, cum in animo sit συν Θεῷ Statium mox aggredi, et orbi literario longe politiorem dare.—Porro, nostrum in oculis habuit Avienus, Authol. Lat. Burm. iii. 62. 13.

Illic divisas complorat navita puppes;
Hic pastor miti perluit amne pecus.
Illic *immanes Mors* obvia solvit *hiatus;*
Hic gaudet, curvâ falce recisa, Ceres.

Dictionem *divisas* in primo versu valde cruciavit Heinsius: si quid mutandum sit, non dubitem proponere vocem *diffissas,* ut Heinsianis divinationibus probabiliorem: sed vulgata lectio pro *apertas* longe elegantior videtur. Prudentius, peristeph. xiv. 81.

Æterne rector! *divide januas*
Cœli, obseratas terrigenis prius.

Nec meliore cum successu τὸ *miti* versûs secundi Burmanno divexatur: conferas Virg. Æn. ii. 782. viii. 88. Priscianus, perieg. 797.

Sed magis ad fluvium Mæandri; *gurgite miti*
Quem juxta volvens se murmurat unda Caystri.

Denique, non audiendus est Oudendorpius, dum *sævit,* pro venustissimo *solvit,* ex conjecturâ vult arbitrariâ reponere.

Neque ad Lucretium non pertinet alius ejusdem Anthologiæ versiculus, iv. 63. 1.

Mors, quæ perpetuo cunctos absorbet *hiatu*——.

Terentianus Maurus, in Putschio, p. 2411.

Nam neque *Mors* avide nigros *pandebat hiatus,*
Nec vitam forti retinebant stamine Parcæ.

Ore grandi Silius, Pun. ii. 548. elocutus est:

Mors graditur, *vasto pandens* cava *guttura rictu,*
Casuroque inhiat populo——.

Nec minus idem magnifice, ibid. xiii. 560.

Has passim nigrum *pandens Mors* lurida rictum
Itque reditque vias; et portis omnibus errat.

Egregie Seneca rem extulit, in Œdip. 164.

Mors atra avidos oris *hiatus*
Pandit, et omnes explicat alas.

Sic, opinor, rescribendus est. Vulgo, *Mors alta:* vide nos de hoc errore librariorum supra, ver. 246. et iv. 183. Neque in transitu medicam manum Venantio Fortunato, ad iv. 5. 1. non admovebimus cum certissimo successu:

Invida *Mors, rabido* quamvis miniteris *hiatu,*
Non tamen in sanctos jura tenere vales.

Libri, *rapido;* ut passim peccatum est. Posses *avido* reponere; sed illud vero dixerim similius. Idem mox, ibid. 9. 1.

Ultima *Mors avido* graviter properavit *hiatu,*
Pastorem rapiens, qui fuit arma gregis.

Sic legendum; vulgo, *sors:* vide Bentleium, ad Horat. epist. ii. 2. 173. veram Venusino manum rectissime restituentem.

Ibid. *inmani et vasto hiatu.* Arnobius,

Denique, tanto opere inter se quom maxuma mundi
Pugnent membra, pio nequaquam concita bello;
Nonne vides aliquam longi certaminis ollis
Posse dari finem? vel, quom sol et vapor omnis,
385 Omnibus epotis humoribus, exsuperarint;

lib. ii. p. 97.—" semideos, heroas, cum " *inmanibus* corporibus, *atque vastis*—." Adjiciam Maronem, ad Æn. vi. 237.

Spelunca alta fuit, *vasto*que *inmanis hiatu:*

ubi *το alta* forte respondeat etiam *τῳ patet* Cari; aliter de *atra* hic quoque cogitavissem: ut idem, ibid. i. 60.

Sed pater omnipotens *speluncis* abdidit *atris;*

quum præsertim sequentia potestatem dictionis *alta* vel abunde repræsentent: sed nihil ausim in hoc loco sine libris MSS. immutare. Arnobius, lib. ii. p. 65. —" non esse animas longe ab *hiatibus* " *Mortis* et faucibus constitutas."

Ver. 377. *etiam:* Π. *et;* qui, in præcedente versu, dat *spectatur*, pro *respectat.*—*nativa:* Π. *natura;* ut Ω. etiam a primâ manu: *iv* scilicet cum *ur* mutatis. De consimili scribarum peccatu, consulas Drakenborchium, ad Liv. viii. 20. 7.

Ver. 380. *contemnere;* Ω. *contendere.*

Ibid. *Inmensi ævi.* Statius, silv. iv. 1. 11.

——— *immensi* reparator maximus *ævi:*

Janum prædicans. Claudianus, laud. Stil. ii. 426.

Immensi spelunca *ævi*——.

Porro, de elegante phrasi *contemnere vires ævi*, consulas annotata in ii. 448. et Burmannum, ad Claudian. in Rufin. ii. 123.

Ver. 381. *Denique:* Π. *Deinde;* cui *quom* deest.

Ver. 382. *Pugnent:* Π. *Pugnet.*—*pio* desideratur in V. ed.

Ibid. *pio nequaquam bello:* i. e. *impio* plane et parricidali, contra naturam; quum corporis ejusdem membra bellum internecinum gerant. Hinc Mantuanus pendet, ad ecl. i. 71.

Inpius hæc tam culta novalia *miles* habebit?

i. e. " qui *civili bello* vicerit." Hæc sola scilicet Servianarum interpretationum loci mentem pervenit. Res acumen Heynii ludificata est. Non aliter vates summus, ad geo. i. 511.

——— sævit toto *Mars inpius* orbe:

i. e. *civilia bella* sæviunt, *pietatem* omnem corrumpentia. Item, in Æn. vi. 612.

Quique ob adulterium cæsi; quique *arma* secuti
Inpia——:

ubi tandem verum perspexit elegantissimus editor modo memoratus. Denique, ibidem Mantuanus, xii. 31.

Promissam eripui genero; *arma inpia* sumpsi:

" ideo nimirum *impia*, quod contra Æ- " neæ jura sumpserim, jam tenentis locum " *membri* in familiæ meæ *corpore.*" Confer xi. 105.

Ver. 383. *aliquam:* Π. *aliqua.*—*longi:* O. Δ. *longo.*—*certaminis ollis:* V. ed. O. Δ. *certamine solis;* sed *ollis* in margine V. ed. appositum est; Π. Σ. *certamina solis:* et Vind. *olis*, vice *ollis.*

Ibid. Ad hæc illuminanda pertinent, quæ dicit Celsus Epicureus apud Origenem cont. Cels. lib. iv. p. 167.—ὅτι δὴ κατα χρονων μακρων κυκλῳς, και αστρων επανοδῳς τε και συνοδους, εκπυρωσεις και επικλυσεις συμβαινεσι· και, ὅτι μετα τον τελευταιον επι Δευκαλιωνος κατακλυσμον ἡ περιοδος κατα την των ὁλων αμοιβην εκπυρωσιν απαιτει—.

Ver. 384. Rectum erat, " vel cum sol, " ac vapor, humores evicerit; vel cum " humores solem superarint, calorem- " que:" sed subito quodam furore poëti-

Quod facere intendunt, neque adhuc conata patrantur:
Tantum subpeditant amnes, ultroque minantur
Omnia diluviare ex alto gurgite ponti;
Nequidquam: quoniam, verrentes æquora, ventei

co noster de rectâ structuræ viâ turbatus, periodum ordine grammatico non absolvit: partem alteram excipiens argumenti, quatenus eam sane exsecutus est, mox ad ver. 412. cum aliâ longe formulâ sermonis.

Ibid. *sol et vapor humoribus.* Hinc allegoria Mæonidis, ad quam Lambinus alludit, Il. T. 67.

Η τοι μεν γαρ ΕΝ ΑΝΤΑ ΠΟΣΕΙΔΑΩΝΙ ΑΝΑΚΤΙ
Ἱσταο' Απολλων Φοιβος——:

i. e. ενιστατο αντα· *adversabatur Neptuno, ex opposito stans.* Sic ille versiculus legendus est, qui Dawesio crucem fixit. Ibidem scholiastes: Απολλων μεν γαρ εναντιωται Ποσειδωνι· το μερικον ΠΤΡ τῳ παντι ΤΓΡΩ. Et de hac re Heraclides Ponticus, p. 418. ed. Gale: Ὀιδεν, οιμαι, και εν τῃ Θεομαχιᾳ ΠΟΣΕΙΔΑΩΝΙ ἱσταται (Φοιβος) διαμιλλωμενος· αιει γαρ ΑΣΠΕΙΣΤΟΣ εχθρα πυρι και ὑδατι, των δυο στοιχειων εναντιαν προς αλληλα φυσιν αποκεκληρωμενων· κτλ. Ita scriptor suavissimus nitori suo restituendus est. Editi exhibent, Ποσειδαων, (cujus finalem literam prima vocabuli sequentis eliserat) et απιστος.

Ver. 385. *humoribus:* Π. *humoris;* scribendum fortasse volens, sed perperam, quod sequitur:

——— vel, quom sol et vapor omnis,
Omnibus epotis, *humores* exsuperarint.

Librarius nempe non attenderat absolutum usum verbi *exsuperarint,* pro *remanserint, superfuerint;* Lucretio familiarem: videas i. 631. 675. et alibi. Virgilius, geo. ii. 314.

Infelix *superat* foliis oleaster amaris.

Vide Servium. Idem vates, Æn. ii. 759.

——— *exsuperant flammæ:* furit æstus ad auras:

Lucretii forsitan etiamnum memor.

Ver. 386. *Quod facere intendunt:* i. e. "quod ut faciant, *se extendunt;*" vel enixissimo studio se exercent. Sic intelligas Virgilium, Æn. ii. 1.

Conticuere omnes, *intent*ique ora tenebant:

i. e. *se intendentes.* Nos: "And were "directing their faces towards him, on "*the stretch* of attention." Sic ille, et alii, passim: sed interpretes nullo modo rem accurate cognitam habuerunt. Similiter in activâ voce Vegetius absolute, de re milit. i. 6. init. exemplo rariore: "Sed, "qui delectum acturus est, vehementer "*intendat,* ut ex vultu, ex oculis, ex "omni conformatione membrorum, eos "eligat, qui implere valeant officia bel-"latorum." Neque aliter tamen Prudentius, cathem. ii. 57.

Intende nostris sensibus,
Vitamque nostram *despice.*

Sic plures libri, ut videtur; et, opinor, vere: nos videas ad ii. 741. Vulgo, *dispice.* Nimirum, παρακυψον· *capite demisso,* ut propius et *intentius* intuearis: in quâ re elegantissimus est S. Jacobi locus, cap. i. com. 23. lectori consulendus.

Ver. 387. *ultroque:* P. O. Δ. Π. *ultraque;* perperam. Et versus totus deest V. ed.

Ibid. *Tantum subpeditant.* Vel accipe ενεργητικως, "Tantum *humoris* suppedi-"tant:" vel absolute, "Usque adeo suppetunt," αρκουσι. Lambinus, docte et acute. Posterior ratio structuræ et exquisitior est, et magis Lucretiana.

Ibid. *minantur Omnia diluviare.* Hinc extra litis finem ponitur lectio, quam prætulit Bentleii judicium, ad Horatium, od. iv. 14. 28. haud dubie memorem Lucretii:

Sic tauriformis volvitur Aufidus,
Qui regna Dauni præfluit Apuli,
Cum sævit; horrendamque cultis
Diluviem minitatur agris.

390 Deminuunt, radiisque retexens ætherius sol;
Et siccare prius confidunt omnia posse,
Quam liquor incepti possit contingere finem.
Tantum spirantes æquo certamine bellum,

Nugantur, argutantur, Janus et Baxterus. Nec tamen venustatibus suis altera lectio destituitur, *meditatur* dico; quemadmodum quoque Virgilius, geo. i. 462.

——— quid *cogitet* humidus *Auster*
Sol tibi signa dabit———.

Qui velint ibi rescribere *cogat et*, aut aliam interpretationem τȣ *cogitet* comminiscantur, tumidis scloppis pariter exsufflandi sunt, ut a gustu poëtico remotissimi.

Ver. 388. *diluviare ex alto:* Vind. *diluvia recalto;* O. *delimare ex alto;* Π. *dehiviare ex alto.*

Ibid. *alto gurgite ponti.* Verbis usus est Virgilius, ad Æn. vi. 310. in sublimi loco:

——— aut ad terram *gurgite* ab *alto*
Quam multæ glomerantur aves, ubi frigidus *annus*
Trans *pontum* fugat, et terris inmittit apricis.

Nonnulli, "frigidus *amnis:*" sed enim, quin illa sit sincerissima scriptura versûs, ob Homerea ΧΕΙΜΩΝΑ φυγον, et Ηειριαι, *vernæ*, Il. Γ. 4. 7. uti Heynius optime contendit, nullus dubitem. Voces *amnis* et *annus* propter eosdem prorsus elementorum ductus facile commutantur.

Ver. 389. *quoniam:* V. ed. *quom;* Π. *comodo;* i. e. *quomodo.*—*verrentes:* V. ed. *vertentes;* hoc loco minus bene: vide Virg. Æn. i. 43.

Ver. 390. *Deminuunt:* P. V. ed. O. Δ. Π. *Diminuunt:* et *que* desideratur in V. ed.—Redi sis autem ad ver. 267.

Ver. 391. *Et siccare:* Σ. *Exsiccare.* Mox Π. *possint*, pro *possit.*

Ibid. *confidunt.* Eleganter sane, et gustu vere poëtico, quasi de rebus sensum habentibus, atque rationem. Similem venustatem videas ad iv. 246. Nec valde dissentaneum est illud Theocriteum de *vulpe*, idyll. i. 50.

——— το παιδιον ȣ πριν αφησειν
ΦΑΤΙ, πριν η ακρατιστον ετι ξηρωσι καθιξῃ.

Ver. 392. *incepti:* plures libri, *incœpti;* quam litem orthographiæ non meum est dirimere.

Ver. 393. *spirantes bellum.* Quemadmodum Silius Italicus, xvii. 398.

At contra ardenti radiabat Scipio cocco,
Terribilem ostentans clypeum; quo patris, et una
Cælarat patrui, *spirantes prælia*, *diras*
Effigies———.

Ita certo certius emendavimus locum. Vulgo, *dira;* perquam frigide, atque invenuste. Nec frigide minus et invenuste Gronovius, in Senecæ Thyest. 504.

Cum *spirat* ira *sanguinem*, nescit tegi:

præfert alteram lectionem, *sperat.* Jam vero *tegi*, pro *se tegere*, positum est, cum mediæ vocis potestate: quod animadvertendum. Horatius, denique, in od. iv. 13. 19.

Quæ *spirabat amores:*

ubi non desiuit Baxterus nihil agere. Nimirum, has sermonis formulas Romani a Græcis, passim utentibus, excepere. Sit Theocritus exemplo, idyll. xviii. 54.

Εὕδετ' ἐς αλλαλων στερνον, ΦΙΛΟΤΗΤΑ ΠΝΕΟΝΤΕΣ.

Cujus loci veram constructionem, ex interpunctione meâ satis elucescentem, editorum nemo perspexit. "Per vices, alter in alterius pectore, dormiatis; amorem spirantes." Hebes est, qui rem non calleat; contumax, qui refragetur. Porro, versus Lucretii coram stantes sic haud incommode distingui possent:

Tantum spirantes, æquo certamine bellum
Magnis de rebus inter se cernere certant:

ut unâ veniant voces *bellum cernere.* Et *Tantum spirantes*, ut Euripides, Androm.

Magnis de rebus inter se cernere certant;
395 Quom semel interea fuerit superantior ignis,
Et semel, ut fama est, humor regnarit in arvis.
Ignis enim superavit, et ambens multa perussit,

188. οἱ πνιοντες μεγαλα· nec non Virgilius, Æn. vii. 510.

——— raptâ *spirans inmane* securi:

et Statius, silv. v. 3. 11. similiter:

Ibam, *altum spirans*——.

Plura videas in Silv. Crit. sect. ciii. si vacet.

Ver. 394. *certant:* Π. *tentant;* librario κακοφωνιαν consimilium syllabarum, ut putem, non concoquente: quæ Lucretio tamen, uti multis exemplis ostenditur, minime displicuit.

Ibid. *cernere:* pro composito *decernere*, vel dijudicare; per translationem ex *oculis* ductam, quorum ope de rebus sententiam valemus pronunciare, atque animo dubitanti satisfacere. Pari modo Virgilius, Æn. xii. 709.

——— Stupet ipse Latinus,
Ingentis, genitos diversis partibus orbis,
Inter se coiisse viros, et *cernere* ferro.

Ad quem locum Servius, eruditissimæque annotationes Heinsii, cum Nonio Marcello, iv. 69. nobis otium super hoc verbo quam opportune faciunt.

Ver. 395. *interea:* sic scribitur in L. O. Δ. Ω. neque aliter editio Juntina; meo gustui longe venustius et exquisitius. Quasi dixerat: " Quid autem? an ne-" cesse est ut vanas hypotheses solum-" modo jactemus, et de probabiliter *futu-" ris* tantum loquamur? *Interea*, dum " tempus disputationibus conterimus, res " omnino quondam facta est." Reliqua exemplaria dant, *in terrâ*.

Ibid. *superantior.* Etiam in superlativo J. Solinus, cap. 2. p. 11. " Ad hæc, Ita-" lia Pado clara est; quem mons Vesu-" lus, *superantissimus* inter juga Alpi-" um, gremio suo fundit—."

Ver. 396. *regnarit:* V. ed. Π. *regnavit;* justâ temporum ratione non conservatâ. Gassendus ex ingenio, *superarit*. Quid autem nos attinet nauseam lectoribus lepidis movere, recensendo ineptissima somnia hominum, nec rem criticam, nec Veneres poëticas, callentium? Multa hujuscemodi silentio prætermittimus.

Ibid. *humor regnarit.* Ut Mantuanus de *igne*, ad geo. ii. 306.

Per ramos victor, perque alta cacumina, *regnat*.

Claudianus etiam de *magnete*, ad finem:

——— rigido *regnant* in marmore *flammæ*.

Sic alii sæpius: confer Stat. silv. 5. 1. 29. et nos, ii. 957. superius.

Ver. 397. *ambens:* sic purissime quidam Pii codices, Vind. L. M. O. Δ. Σ. cum Juntinâ; P. V. ed. B. *ambiens;* Π. *ambies;* Ω. *ambem;* et *ambiens* in margine, sed a recentiore manu.

Ibid. *Ignis superavit.* Maro, geo. ii. 331.

——— *superat* tener omnibus *humor*.

Ibid. *ambens:* i. e. ambedens. Tertiam personam præsentis temporis, *ambest* nimirum, Festus agnoscit in onomastico; noster Carus, iii. 1007. *exest;* Plautus, et alii, *comest* ac *comesse*, sæpius. De hac autem usitatissimâ translatione, quæ *dentibus* ignem instruit, omnia sunt pervagata, ut nihil supra; atque in aperto jacent.

Ver. 398. *Phaëthonta:* Vind. *Phetontana;* V. ed. O. *phœtonta;* prout fere peccant in nominibus propriis librarii.

Ibid. *rapax vis:* ob omnia arripientes, et haurientes, *flammas* scilicet; ut alii passim similiter. Arnobius, lib. vii. p. 242. —" tura cum carnibus *rapacium* alimen-" ta sunt *ignium*—." Unde summopere miror, hoc epitheton improbatum Heynio in Culicis ver. 102. de *sole:*

Avia quom Phaëthonta rapax vis solis equorum
Æthere raptavit toto, terrasque per omneis.
400 At pater omnipotens, irâ cum percitus acri,
Magnanimum Phaëthonta repenti fulminis ictu

Quâ jacit oceanum *flammas* in utrumque *rapaces:*

qui satis elegans versiculus. Conferas velim Claudianum, de quart. cons. Honor. ver. 64.

Ibid. Caussa ficta incendii. BENTLEIUS. Nimirum, vir egregius insimulat poëtam, quasi nugatoria, nec philosopho sobrio et prudente digna, proferentem: sed *argumentum*, quod vocant, *ad hominem* in Lucretio quoque sine fastu toleremus, rei jejuniori hilarem quandam varietatem conspergere studente, et fastidia nobis defendere.

Ver. 399. *Æthere raptavit toto vis Avia.* In hunc Lucretii locum crediderim Nasonem intendisse oculos, ad met. ii. 205.

Exspatiantur equi; nulloque inhibente, per *oras*
Ignotæ regionis eunt; quâque impetus egit,
Hac, sine lege, ruunt: altoque sub æthere *fixas*
Incursant *stellas*, *rapiunt*que per *avia* currum.

Sic versus rescribendos esse censeo. In primo, libri dant *auras:* sed quot vicibus has dictiones scribæ mutaverint, vidimus sæpiuscule, atque monitum iterare supervacanei laboris est.

Ibid. *terrasque per omneis:* super quas nimirum devio curru vehebatur.

Ver. 400. *cum:* i. e. "percitus *cum* "acri irâ:" sic autem legitur in libris veterrimis et incorruptissimis, Vind. V. ed. B. L. M. cæteri, *tum;* sed formulam, in quâ, ex optimorum scriptorum consuetudine, præpositio sic elegantissime redundet, non ausus sum temere repudiare. Virgilius, ut exemplum proferam, Æn. vi. 361.

*Prensantem*que uncis manibus capita aspera montis
Ferro invasisset——:

at Cicero, pro A. Cæcinâ, sect. 10.— "de se autem hoc prædicat, Antiocho, "Æbutii servo, imperasse, ut *in* Cæci- "nam *advenientem cum ferro invaderet.*" Porro, nonnulla ex multis exemplis phraseos *irâ percitus* convocavit Drakenborchius, ad Liv. vi. 38. 8. Conferas autem Virg. Æn. vi. 407. cum Ovid. art. am. iii. 503. Jam vero versus hosce magnificos aliis non minus magnificis Mantuanus, Lucretio semper inhians, adumbravit; et summorum poëtarum conatus quicquid est hominum venustiorum jucundissime videbit comparatos. Leguntur autem in Æn. vii. 770.

Tum *pater omnipotens*, aliquem *indignatus* ab umbris
Mortalem infernis ad lumina surgere vitæ,
Ipse repertorem medicinæ talis, et artis,
Fulmine Phœbigenam Stygias detrusit *ad* undas.

Ubi illud *Tum* videri potest vulgatæ lectioni, quam emovimus Lucretio, suffragari; sed ob incipientem *At* diversæ sunt locorum rationes. Et editi "*in* undas;" de quâ re vide nos, ad iii. 363. Nec Ovidius, in hoc argumento versatus, nostrum præteriit inobservatum, met. ii. 304.

At pater omnipotens, superos testatus, et ipsum,
Qui dederat currus——;
Intonat: et dextrâ libratum fulmen ab aure
Misit in aurigam; pariterque animâque, *rotis*que,
Expulit——.

Ver. 401. *Phaëthonta:* Vind. *phetonta;* V. ed. *phœtonta.*—*repenti:* Ω. *repente.*

Ibid. *Magnanimum Phaëthonta:* ita dictum scilicet, quia patriorum equorum regimen sibi poscere non dubitaverit. Hinc Ovidius, met. ii. 111. in loco lætissimis verbis florido; quem nefas esset mutilare:

Dumque ea *magnanimus Phaëthon* miratur, opusque
Perspicit, ecce! vigil rutilo patefecit ab ortu
Purpureas Aurora fores, et plena rosarum
Atria——.

Ibid. *repenti fulminis ictu:* i. e. subi-

Deturbavit equis in terram; solque, cadenti
Obvius, æternam subscepit lampada mundi:
Disjectosque redegit equos, junxitque trementeis:
405 Inde suum per iter, recreavit cuncta, gubernans;
Scilicet, ut veteres Graiûm cecinere poëtæ:

taneo ictu, vel *veloci:* de quâ re perlegas mihi dissertata in notis ad i. 1002. Virgilius, Æn. xii. 313.

Quo ruitis? quæve ista *repens* discordia surgit?

i. e. *celeriter oborta*, vel repentina; uti Servius etiam interpretatus est. Antiquæ glossæ: " *Repens*, αιφνιδιος."

Ver. 402. *sol:* Ω. *soli.—cadenti:* P. *cadentis;* nescio quâ constructione.

Ibid. *Deturbavit in terram.* Huc respexit ille vates Mincianus, Æn. x. 555.

Tum caput, orantis nequidquam, et multa parantis
Dicere, *deturbat terræ*——.

" Deturbat terræ: hoc est, *in terram.*" Servius.

Equis autem pro *curru;* ut αφ' ἱππων frequentissimo Homerus. Hinc Maro, Æn. xii. 735.

——— quum prima in prælia junctos
Conscendebat equos——:

et more contrario prorsus in geo. iii. 91.

Martis *equi* bijuges, et magni *currus* Achillis.

" *Currus*, pro *equis.*" Servius. Ergo, minus accurate rem interpretes administraruut, et quasi non probe percipientes, ad Homeri Od. Δ. 708.

Νηων ωκυπορων ετιβαινεμεν· αιθ' ὁλος ΙΠΠΟΙ
Ανδρασι γιγνονται, περωσι δε πυλων εφ' ὑγρην.

Reddendum erat utique, se intelligi saltem volentibus, *currus*, non *equi.* Planior est Oppianus, halieut. i. 190. Mæonidis interpres:

Αμφιτεριστ' καιρονται εὐζυγον ΑΡΜΑ ΘΑΛΑΣΣΗΣ.

Catullus etiam, nuptt. Pel. et Thes. 9.

Ipsa levi fecit volitantem flamine *currum.*

His autem perlectis, obstupesces, ni fallor, annotationibus Heynianis in Tibull. i. 9. 62. quas adeas; cum Servio, rem probe callente, ad Virg. Æn. xii. 287. et Eur. Iph. T. 410.

Ver. 403. *subscepit:* L. Δ. Π. Σ. *succepit;* vulgo, *suscepit:* sed procul dubio verissima est scriptura *subscepit*, ut alibi monuimus. Illud *succepit*, quasi sit antiquior orthographia, et Lucretiano seculo consentanea, nullatenus tolerari potest.

Ibid. *æternam lampada mundi.* Ita Virgilius, Æn. ii. 154.

Vos, *æterni ignes!*——

i. e. *sol* et luna. Idem, ibid. iv. 6.

Postera *Phœbeâ* lustrabat *lampade* terras:

Græcos secutus scilicet. Sic Euripides, Med. 351.

Ει σε 'πισσα ΛΑΜΠΑΣ οψεται ΘΕΟΥ—.

Ver. 404. In Vind. codice syllabæ *-osque re-* erasæ fuerunt.

Ibid. *Disjectos equos:* i. e. " impetu " fulminis disturbatos atque dissipatos." Compares nostrum, ad i. 652. Similiter Fabius Pictor, annal. i. fragmento: " Su- " bito imbribus, *tonitrubus*que, quæ cum " illâ erant *disjectis.*" Virgilius, Æn. i. 43.

Ipsa, Jovis *rapidum jaculata* e nubibus *ignem*,
*Disjecit*que rates, evertitque æquora ventis.

Hinc, quum verba *dejicio* et *disjicio* passim librariis permisceantur, prout Burmannus quoque ad hunc Maronis locum monuit, longe fortius vocabulum, et efficacius, eidem consummatissimo poëtæ certissime redonari debet, ad geo. i. 333.

——— Ille *flagranti*
Aut Atho, aut Rhodopen, aut alta Ceraunia, *telo*
Disjicit——:

i. e. " in omnes partes impetu dissipat

Quod procul a verâ nimis est ratione repulsum.
Ignis enim superare potest, ubi materiaï
Ex infinito sunt corpora plura coorta:
410 Inde cadunt vires, aliquâ ratione revictæ;
Aut pereunt res, exustæ torrentibus auris.

"vehementissimo:" unde omnipotentia dei multo magis declaratur, quam vulgari lectione *Dejicit;* ut non minus ipsius natura fulminis. Si vero te proprietas rei nihil moveat, fidejussorem emendationis meæ longe locupletissimum præstabo, Silium Italicum, vestigia Virgilii nunquam non legentem, atque hoc tempore pressissime, Pun. ix. 538.

Imo, ait, ut noscant gentes, immania quantum
Regna Jovis valeant; cunctisque potentia quantum
Antistet, conjux! superis tua; *disice telo*
Flagranti (nil oramus) Carthaginis arces.

Disice autem est ipsum *Disjice*, ut nos alibi diximus, et Drakenborchius ad locum; quem consulas. Glossæ veteres: "*Disicio*, διαρρίπτω, διασκορπίζω.—*Disji-* "*cio*, διαρρίπτω."

Ibid. *redegit equos trementeis.* Pariter Ovidius, quem adscribere Pius quoque non oblitus est, in met. ii. 398.

Colligit, amentes, et adhuc *terrore paventes*,
Phœbus *equos*——.

Paventes autem, *palpitantes.* Nos alibi.

Ver. 405. *suum:* V. ed. *summi;* Π. *summam.*—*per iter:* V. ed. *pariter.* Et codices non ultra variant; sed, valde fallor, aut error insignis versiculum dehonestat, sic primitus poëtâ scriptum:

Inde suum per iter *remeavit*, cuncta gubernans,

Manilius, i. 174. non intempestivus est:

Non ageret currus, mundi subeuntibus astris,
Phœbus ad occasum, et nunquam *remearet* ad ortum.

Et recte sol *cuncta gubernare* dicitur: qui Orpheo in hymnis, vii. 11. 16. nuncupatur Κοσμοκρατωρ, et κοσμοι δεσποτης. Neque aliter alii poëtæ. Et sane rem, quam volo, sic descripsit Nonnus, Dionys. xxxviii. sub finem, leviter in transcursu nobis emendandus, dum in eodem utique versatur argumento:

Ζευς δε πατηρ Φαεθοντα κατεπρηνιξε κεραυνῳ,
Ὑψοθεν, αυτοκυλιστον ὑπερ ῥοον Ηριδανοιο·
Δησας δ', Ἀρμονιης ΠΑΛΙΝΑΓΡΕΤΟΝ Ἑιλικι δεσμῳ,
Ἱππους ηελιῳ παλιν ωπασεν, αιθεριον δε
Αντολιῃ τορεν ἁρμα· και αρχαιῃ παρα νυσσῃ
Αμφιπολοι Φαεθοντος επετρεχον εντοδες Ὡραι.

Libri, ἁρμονιην παλιναγρετον ἡλικι.

Ver. 406. *Graiûm:* Π. *gratum;* ut Σ. sed a secundâ manu, et V. ed. pro variâ lectione. Versus integer abest Vind.

Ibid. *Graiûm cecinere poëtæ.* Non multo aliter Virgilius, geo. iii. 90.

——— quorum *Graii meminere poëtæ*——.

Ver. 407. *verâ nimis est:* Vind. V. ed. Π. Σ. Ω. *veris animis est;* neque aliter, quantum intelligo, L. M. vulgo, *verâ est animi;* ut P. O. Δ. Nostram constitutionem versûs, aliis editoribus jam datam, calculo suo comprobat Bentleius: conferas i. 880. vi. 767.

Ver. 408. Caussa vera incendii.

BENTLEIUS.

Ver. 410. *revictæ:* P. *revinctæ;* V. ed. *rejunctæ;* O. Δ. *revicta.* Committas autem i. 594. Hoc interea dicit poëta: "Si "forte fortunâ fiat, ut igneæ particulæ "solito copiosiores ex infinito spatio sub-"oriantur, res mundi consueto tenore "procedere nequibunt; nam vel humor "ignem vincet, vel humorem ignis. Non "æquo jam certamine, ut alias, geretur "bellum."

Ver. 411. *torrentibus auris:* quia per *auras* solas, corpus ambientes tangentesque, calor sentitur. Unde Virgilius di-

Humor item quondam cœpit superare coortus,
Ut fama est, hominum multos quando obruit undis.

versam per dictionem prorsus idem voluit efferre, ad Æn. vi. 550.

Quæ rapidus *flammis* ambit *torrentibus* amnis,
Tartareus Phlegethon——.

Venusinus cum Lucretio locutus est, od. iii. 13. 9.

Te *flagrantis* atrox *aura* caniculæ
Nescit tangere——:

nam sic castigandum esse nos evicimus ad Sophoclis Trachin. 685. Distichon elegantissimi epigrammatis apud Vitruvium, viii. 3. admovebimus, ut ex eo mendam fedissimam tollamus, quæ cunctorum eruditorum oculos effugit:

Αλλα συ ΜΗ ΤΙ 'ΠΙ λυτρα βαλης χροα, μη σε
ναι ΑΥΡΗ
Πημανη ΘΕΡΜΗΣ εντος εοντα μεθης.

" Nullâ de caussâ corpus immittas in la-
" vacrum." Vulgo scribitur, μητ' επι per barbaram stribliginem sermonis. Pulchre non minus Anthol. Lat. Burm. vi. 62. 7.

Nec gemmas, modo germine exeuntes,
Seri *frigoris* ustulavit *aura*:

ut Serenus etiam Samonicus, ver. 93.

Sive meri gustus, seu *frigoris* efficit *aura*.

Ver. 412. *cœpit superare*, poëtis, atque etiam solutis metro scriptoribus, usitatus est pleonasmus, pro *superavit;* vide ver. 397. Sic Virgilius, geo. i. 5. *canere incipiam:* ne plura suscitem.

Ver. 413. *hominum:* Π. *hominem.*— *multos:* Vind. L. M. O. Δ. Π. *multas.*— *undis:* Vind. *undas;* Δ. Π. *urbis;* uti solet edi, multo minus eleganter, ad hunc modum:

Ut fama est hominum, *multas* quando obruit *urbeis*.

Ibid. *hominum multos:* i. e. συ πολλυ ανθρωπων, vel universum fere humanum genus; uti Mantuanus, geo. ii. 10.

—— aliæ, *nullis hominum* cogentibus, ipsæ
Sponte suâ veniunt——:

post Græcos scilicet. Homerus, Od. Δ. 138.

Ιδμεν δη, Μενελαε διοτρεφες, οι ΤΙΝΕΣ αιδε
ΑΝΔΡΩΝ ευχετοωνται ικανεμεν ημετερον δω;

Sed in formulâ tritissimâ moras inanes necto. Bentleius, testimonia codicum non habens cognita, maluit *multas urbeis;* immerito: sed merito vanissimum Vossii tentamen ridet, exponentis *multas hominum* per *crimina hominum*, in notis ad Catullum, p. 215. Et, quod Bentleius nos remittat ad ver. 343. supra, hoc plane nihil est: nam, si rivi, vel torrentes, probe dicantur *cooperuisse oppida*, hoc idem satis constat nimis humile futurum esse de diluvio, terras et humanum genus obruente; neque magnitudinem rei verbis exilibus non depressurum.

Ibid. *obruit undis.* Hinc sola recta loci interpungendi via, qui legitur in Virgilii Æn. i. 69. se nobis obtulit, male habiti in universis editis:

Incute vim ventis; *submersas obrue* puppes,
Aut age diversas, et *disice* corpora, ponto:

ut *ponto* non minus referatur ad *obrue submersas*, et *age diversas*, quam ad *disice*. Atque oratio est indignantem atque festinantem vividissime depingens. Certam puto hanc rationem distinctionis. Adeas autem, ac diligenter perpendas, variantes lectiones ad locum, et ibid. ver. 40. Cæterum, cum his versibus Lucretii Manilius non injucunde committetur, eventa eadem præstringens, ad iv. 828.

Et vomit oceanus pontum, sitiensque resorbet,
Nec sese ipse capit: sic quondam merserat urbes,
Humani generis cum solus constitit hæres
Deucalion, scopuloque orbem possedit in uno.
Nec non, cum patrias Phaëthon tentavit habenas,
Arserunt gentes——.

Merserat autem *urbes* ille, ut noster su-

Inde, ubi vis, aliquâ ratione avorsa, recessit,
415 Ex infinito fuerat quæquomque coorta,

perius, ad ver. 343. hujusce libri, *oppida cooperuisse.*

Ver. 414. *Inde:* P. V. ed. *Unde.—ubi* deest Π.

Ver. 416. *Constiterunt:* Vind. Π. Σ. Ω. *Constituerunt.*

Ibid. *Constiterunt imbres:* i. e. " se " ad tranquillum statum represserunt:" confer iv. 462. 463. Ovidius, fast. ii. 455.

Flamina non *constant—:*

i. e. incerta sunt, atque infidelia. Unde discas Virgilii mentem ad Æn. iii. 518. pulchre esse Heynio declaratam:

——— cuncta videt cœlo *constare* sereno:

i. e. in stabili esse ac tranquillo statu, nihil turbidi minitantia. Vide Heynium.

Ver. 417. Si quis velit Græce legere nonnulla huc spectantia, is adeat Plutarchum, de plac. phil. i. 4. cujus Creechius meminit post Lambinum; et Diogenem Laërtium, x. 90. nam prolixiora sunt, quam quæ commode in has chartas transferri possint; et mihi antiquissimum est magnitudinem libri minus necessariis intexendis non adaugere; atque his saltem diebus μεγα βιβλιον jure nomines μεγα κακον. Cæterum, hanc omnem cosmogoniam, quasi totis viribus scilicet de palmâ cum magistro concertans, versibus, qui sequuntur, politissimis, et impendio sublimibus, Mantuanus vates complexus est breviter ac summatim, in ecl. vi. 31. Lucretianis locutionibus multum usus:

Namque canebat, uti, magnum per inane coacta,
Semina terrarumque, animæque, marisque, fuissent,
Et liquidi simul ignis; ut his exordia primis
Omnia, et ipse tener mundi concreverit orbis:
Tum, durare solum, et discludere Nerea ponto,
Cœperit, et rerum paullatim sumere formas:
Jamque novum terræ stupeant lucescere solem,
Altius atque cadant, submotis nubibus, imbres:
Incipiant sylvæ quum primum surgere, quumque
Rara per ignotos errent animalia montis.
Hinc lapides, Pyrrhæ jactos; Saturnia regna—.

Ver. 418. *terram et cœlum:* sic P. Vind. V. ed. B. L. M. Π. Σ. Ω. omnes denique præter Δ. cui *et* deest, atque O. recentiorem; qui cum vulgaribus editis habet *cœlum ac terram*, ad ordinem lectionemque arbitrariam hominum nihil in Lucretio erubescentium.

Ibid. *ponti profunda:* i. e. θαλασσης βενθεα, vel βαθεα· uti scholiastes interpretatus est ad Il. A. 358. Ovidius, halieut. 84.

Nec tamen in medias pelagi te pergere sedes
Admoneam, vastique *maris* tentare *profundum.*

In priore versu *mergere* multo magis esset poëticum; et sic fortasse rescribendum. Suetonius in Tiberio, sect. 40. " sæpta " undique præruptis immensæ altitudinis " rupibus, et *profundo maris.*"

Ver. 419. *Solis lunaï:* sic M. O. Δ. Ω. verissime; Vind. V. ed. L. Π. Σ. *Solis lunæ;* ad solenne in Lucretii librariis peccatum, *æ* nempe, pro *aï:* P. *Solisque et lunæ;* uti plures edidere, ex ipsius Pii, vel alius cujusdam recentioris, audaci nimis correctione.

Quid autem? multo antiquior corruptela, et quæ virorum doctorum penitus aciem effugerit, huic versui inolevit; quam nunc denique culter criticus exsecabit, et sanitatem pristinam restituet. Hoc modo nimirum Lucretii calamus exaravit:

Solis, lunaï, *currus;* ex ordine ponam.

Quæ locutio poëticum ornatum resipit, et cum verbo *Fundarit* demum congruit aptissime. Locus Ovidii valde tempestivus obversatur nobis, in epist. xvi. 109.

Fundatura citas flectuntur robora *naves.*

Atque, ut hic *currus solis* noster, mox similiter *rota solis.* Quot vicibus interea in vocabulis *cursus* et *currus* membranæ vetustæ turbent, nemo sane, qui non plane hospes sit in hoc literarum genere, ignorare potest: sufficiat itaque mihi, lectorem remisisse ad Drakenborchii commentarios in Sil. Ital. xvi. 334. Hic error Juven-

Constiterunt imbres, et flumina vim minuerunt.
Sed, quibus ille modis conjectus materiaï
Fundarit terram, et cœlum, pontique profunda;
Solis, lunaï, cursus; ex ordine ponam.
420 Nam certe neque consilio primordia rerum
Ordine se suo quæque sagaci mente locarunt;
Nec, quos quæque darent motus, pepigere profecto:
Sed, quia multa, modis multis, primordia rerum,
Ex infinito jam tempore percita plagis,

cum deturpat, lust. evang. iv. 690. in versibus venerum poëticarum minime indigentibus:

Jam medium *currus lucis* conscenderat orbem,
Cum subito fugit ex oculis, furvisque tenebris
Induitur, trepidumque diem sol nocte recondit.

Libri, quos habeo, *cursus*. Et imitari in animo habuit Maronem, ad Æn. viii. 97. quem ibidem, v. 738. sic sponte, per divinationem maxime indubitatam, puritate pristinâ renitere dederamus:

Jamque vale! Torquet medios Nox humida *currus*,
Et me sævus *equis* Oriens adflavit anhelis.

Postea intellexi, locum hunc non aliter citari Servio, in commentariis ad Æn. i. 108. Vulgo, *cursus;* sed ægre feret se in controversiam vocari hæc emendatio. Jam vides utrumque versum amicissime consentire; hinc *equis*, inde *currus:* adeas modo dicta sub ver. 402. hujusce libri. Eandem prorsus rem aliter exhibuit poëta maximus, ad Æn. viii. 407.

Inde, ubi prima quies *medio* jam Noctis abactæ
Curriculo expulerat somnum—:

quum *curriculus* nihil sit nisi *currus deminutus*. Nonius Marcellus, iv. 73. "*Curriculus*, ut consuetudo fert, *a curru* "*deminutio* est; *et* dicitur brevissimum "vehiculi *Epirotici* genus." Sic scribendum. Glossæ veteres: "*Curriculus*, "ἁρματιον." Hinc sentisces etiam vim et venustatem verbi *torquet* in Virgilianis versibus. Idem magnus vates, geo. i. 174.

Stivaque, quæ *currus* a tergo *torqueat* imos.

Sed regrediamur tandem in viam.

Ver. 420. Hi versus jam lecti sunt, sed leviter variati, ad i. 1020. et supra, ver. 188. unde nostræ petendæ sunt animadversiones.

Ver. 421. *se suo quæque sagaci:* P. *quæque suo atque sagaci;* et sic Juntina et Aldina, sine libris scriptis, ut opinor: Vind. *se quæque atque sagaci*, ut vulgares editi; dormitante, procul dubio, collatore: V. ed. O. Δ. Σ. Ω. *quæque suo sagaci;* emendati codices Pii, *se nec quæque sagaci;* Π. *quæque suo quamque sagaci:* L. autem, ut posuimus in textu; M. quam proxime, *suoque quæque sagaci.* Atque hic demum ex hac colluvie insanarum profecto depravationum pedem feliciter extricavimus in materiam amœniorem.

Ibid. *Ordine suo quæque.* Euge! euge! εὕρηκαμεν· nobismetipsis gratulamur. Ad amussim præceptoris magni magnus discipulus indubitanter est quadrandus; et multorum criticorum tumultus jam sedabuntur in æternum, temeritas etiam nonnullorum, membranas conculcantium, reprimetur, verissimâ constitutione Maroniani versûs, de codicum testimonio, ad ecl. vii. 54.

Strata jacent passim *suâ quæque* sub arbore poma.

Vides *suâ* sexti casûs validissimo Cari robore suffultum, et se contra cavillatores universos jure optimo tueri quire.—Mox Π. *tetigere*, loco *pepigere*.

425 Ponderibusque suis consuerunt concita ferri,
Omnimodisque coire, atque omnia pertentare,
Quæquomque inter se possent congressa creare;
Propterea fit, utei, magnum volgata per ævom,
Omnigenos cœtus, et motus, experiundo,
430 Tandem conveniant ea, quæ, conventa, repente
Magnarum rerum fiunt exordia sæpe,
Terraï, maris, et cœli, generisque animantum.
Heic neque tum solis rota cerni, lumine largo,

Ver. 423. *multa modis:* sic P. Vind. V. ed. Δ. Π. Σ. Ω. atqui Havercampus edidit *multimodis;* quibus auctoritatibus subnixus, plane nescio, quum taceat vir optimus; nisi ex arbitrio, propter ver. 188. hoc libro. Verum enim vero codices utrobique sunt audiendi, et varietas orationis omnino est poëtæ concedenda; nisi forsitan in alienâ provinciâ regnum obtinemus.

Ver. 428. *fit volgata:* Π. *fuit revoluta.* Et *volgata,* quasi in conspectum et notitiam omnium venientia: i. e. passim volitantia: redeas annotata, in iv. 75.

Ver. 430. *conveniant ea:* os autem impudentissimum quorundam editorum, *ea conveniant;* usu nullo, nisi ut, ex quocunque demum prætextu, librorum MSS. auctoritas susque deque haberetur.—*conventa:* P. *conveniant;* Δ. *conjuncta;* editores ex arbitrio, *ut convenere.* Vide Festum in voce *Conventus;* ad quem Preigerus provocavit. Alia exempla passivæ potestatis lexicis communibus suppeditantur. Ipsam rem sic pulchre Plutarchus extulit, plac. phil. i. 4. Ὁ τοι νυν κοσμος συνεστη, περικεκλασμενῳ σχηματι εσχηματισμενος, τον τροπον τȣτον· των ατομων σωματων, απρονοητον και τυχαιαν εχοντων την κινησιν, συνεχως τε και ταχιστα κινȣμενων εις το αυτο, πολλα σωματα συνηθροισθη, και δια τȣτο ποικιλιαν εχοντα και σχηματων και μεγεθων—.

Ver. 431. *fiunt:* ita scribitur in P. O. Ω. nec de sinceritate scripturæ videas dubitandi locum, quamvis Vind. V. ed. B. L. M. Σ. habeant *fluunt;* Δ. *refluunt,* et Π. *fluvunt.* Si quid lateat exquisitius, eruere equidem non possum: et voces easdem confusas jam cognovimus, ad iv. 740. —Pro *sæpe,* Bentleius cum Fabro maluerunt, *nempe:* sed frustra, et inutiliter.

Ver. 433. *Heic:* Macrobius, Sat. vi. 2. *His;* memoriter, ut putem, citans locum. —*tum:* Π. *tunc;* Σ. *cum.*—*largo:* Macrobius, ibid. *claro.* Sed vulgatum teneo. Non alienus est Virgilius, Æn. vi. 640.

Largior heic campos *æther* et *lumine* vestit
Purpureo—:

de quo loco nos alibi sententiam interposuimus.
Claudianus, de nuptt. Hon. et Mar. 248.

Hæc, *largo* matura *die*—:

sed in primis ipse Lucretius, supra ver. 282. ii. 805. iii. 22. ad quæ loca, brevitati consulentes, remittimus lectorem.

Ibid. *rota solis:* i. e. *currus* solis, ipse sol. Prior Ennius, fragm. p. 125.

Inde patefecit radiis *rota* candida cœlum:

ubi nonnulla exempla Hesselio convecta sunt; qui tamen præteriit Tullium, in Arat. 347. Avienum, Arat. 661. Valerium Flaccum, iii. 559. Statium, silv. v. 1. 17. Prudentium, apoth. 626. et alios.

Ibid. *neque solis rota cerni poterat.* Nec pulchre minus Naso, met. i. 10.

Nullus adhuc mundo præbebat lumina Titan.

Ver. 434. *Altivolans:* ita scribitur in

Altivolans, poterat; nec magni sidera mundi,
435 Nec mare, nec cœlum, nec denique terra, nec aër,
Nec similis nostris rebus res ulla videri:
Sed nova tempestas quædam, molesque, coorta.
Diffugere inde loci partes cœpere, paresque

Macrobii l. c. P. et Vind. si sit æquum credere collatori: sed reliqua omnia exemplaria, *Altevolans;* et an male, non egomet profecto temere decreverim: redeas ad ii. 1152. iv. 441. Nihil novare volui, quum vox, similiter scripta, legatur in Ennio, apud M. Tull. de div. i. 48. et idylliis Ausonii; prout te lexica docebunt. Glossator etiam antiquus: "Ὑψιπετης, *alti-* "*volans:*" quemadmodum vicissim in Latinis. Aliæ dictiones, similiter compositæ, consimilem etiam orthographiam sunt adeptæ; ut *altisonus*, *altitonans*, *altivolus* etiam, Plin. nat. hist. x. 21. ne de multis, quæ supersunt, recensendis satagem.—*nec:* Macrobius *neque;* sed *το neque* raro bis invenitur continuo in Lucretii carminibus.

Ibid. *Altivolans.* Epitheton hoc posuit ob *rotam*, vel *currum*, solis. Virgilius, geo. iii. 107.

——————— illi instant verbere torto,
Et proni dant lora: *volat*, vi fervidus, *axis*.

Ita versus erat interpungendus; nam ordo constructionis hic est: "Axis volat, fer-"vidus vi;" i. e. celeritate cursûs calefactus. Res est liquidissima, sed Heynii acumen lusit; Servio interea, uti jam video, rectam viam præmonstrante.

Ibid. *magni sidera mundi.* Mantuanus ille, ad Æn. ix. 93.

Filius huic contra, torquet qui *sidera mundi:*

ubi vox *torquet*, cujus rationes in hoc usu nemo, quantum intelligam, probe exposuit, vel *currus* respicit, in quibus numina stelligera vehuntur, de quâ re nos nuperrime ad ver. 419. vel *axes* orbium revolubiles. Auctor Ciris, ver. 7.

Altius ad *magni* subtendit *sidera mundi.*

Ver. 435. *nec aër:* sic Macrobius, ubi supra; sic etiam P. V. ed. B. O. Π. Ω. vulgo, *neque aër:* fortasse rectius; quum in his vocibus passim noster, qualem potuit, sectatus est varietatem: redeas ad ii. 38.

Ver. 437. *tempestas molesque:* per hendyadem nempe, pro *moles tempestuosa* seminum discordium, sibi pugnantium tumultuantiumque: confer Ovid. met. i. 9. 18. 19. 20. Ad hæc multum facit pro solito Virgilius, ad Æn. i. 134.

Jam cœlum terramque meo sine numine, Venti!
Miscere, et tantas audetis tollere *moles?*

i. e. *moles tempestatum*, seu procellosi maris. Idem, ibid. v. 790. similiter:

Ipse mihi nuper, Libycis, tu testis, in undis
Quam *molem* subito excierit!

Ver. 438. *inde loci:* Vind. *indue loci;* Ω. *in due loci:* cujus in margine veram lectionem manus posuit recentior. Nimirum, exquisitior formula sermonis imposuit librariis. *Inde loci* valet *postea.* Sic Ennius ter in fragmentis, pp. 34. 83. 187. Veteres glossæ: "*Inde loci*, τοτε, επειτα." Et rursus in Græcis: "Τοτε, *inde loci.* "Επειτα, *inde loci.*" M. Tullius insuper his accedat in Arato, ver. 393. hoc modo, nisi fallimur, castigandus:

Humidus *inde loci* conlucet Aquarius *orbe:*
Exin squamiferei, *certantes* ludere, pisces.

Vulgo, *orbem* et *serpentes;* quarum priorem emendationem jam Grotio defloratam video. Conferas Virg. geo. i. 385. Idem lumen eloquentiæ pari locutus est elegantiâ ibid. ver. 544.

Saxaque cana, salis niveo spumata liquore,
Tristificas *certant* Neptuno reddere voces.

Vel alio modo versus isti, ex Anthol. Lat.

Cum paribus jungi res, et discludere mundum,
440 Membraque dividere, et magnas disponere parteis
Omnigenis e principiis; discordia, quorum
Intervalla, vias, connexus, pondera, plagas,
Concursus, motus, conturbât, prælia miscens,

Burm. v. 40. ubi corruptissimi scribuntur, ita possunt constitui:

Humidus inde loci *conlustrat* Aquarius *urnâ:*
Exin squamiferei *pergunt ecfulgere* pisces.

Componas ibid. 29. 6. Sic *interea loci*, Plaut. Menæch. iii. 1. 1. Truc. i. 1. 11. Hinc emendandus est versus Chrysidis Pacuvianæ, apud Nonium Marcellum, viii. 37.

——————— *Interea loci*,
Fluctei flacciscunt, silescunt ventei, mollitur mare.

Libri dant, *Interea loca.* Adi Terent. Eun. i. 2. 46. cujus Sosipater Charisius meminit, ad p. 180. Similiter *postidea loci*, Plaut. Stich. v. 5. 17. Et *postea loci*, Sallust. Jug. cii. 1. ubi Cortii videas animadversiones: i. e. si solvas, " *Post ea* istius " *loci* eventa." Consulas etiam eundem Cortium, ibid. lxiii. 6.

Ibid. *Diffugere partes cœpere:* i. e. " ex " istâ unitate rerum secerni cœpere in lo- " cum proprium." Eandem rem Manilius sic summatim exposuit, i. 125.

——— permixta chaos rerum primordia quondam
Discrevit partu—.

Ibid. *pares Cum paribus jungi res.* Ita locutus est Venusinus vates, epist. i. 5. 25.

——————— ut coëat *par*,
*Jungatur*que, *pari*—.

Ver. 439. *discludere:* i. e. " unam- " quamque mundi partem, quasi in caulis " suis, et intra sæpta sua, *separatim clau-* " *dere.*" Committas Virg. Æn. xii. 782. Apposite Cicero, Tusc. dispp. i. 10. qui locus, voce transpositâ singulari, se undequaque dilucidum haberet, ac concinnum: " Ejus doctor Plato triplicem finxit ani- " mam: cujus principatum, id est, ratio- " nem, in capite sic, ut in arce, posuit; et " duas partes, *quas parere* voluit, iram et " cupiditatem, locis *disclusit;* iram in " pectore, cupiditatem subter præcordia, " locavit." Avienus, orb. desc. 198.

Thracius angustas *discludit* Bosporus oras:

i. e. *dividit*, ut noster Carus, i. 721. Prudentius quoque adhibuit vocem in Hamart. 648. 903. cum quibusdam aliis.

Ver. 440. *Membra dividere et disponere.* Ovidius hæc videtur contemplatus, met. i. 32.

——— *dispositam*, quisquis fuit ille deorum,
Congeriem *secuit*, sectamque in *membra* redegit.

Unde lectio codicis, quam nobis Burmannus commendat, sed non solito suo cum judicio, *compositam* nempe, multo infirmatur; et sane nullâ de caussâ admitti debet.

Ver. 442. *vias:* Vind. Σ. *via.*—*pondera.* Vind. Π. Σ. *pondere.*

Ver. 443. *conturbât.* Hæc est verissima lectio poëtæ, nobis codice nostro Ω. conservata: μεγαλη χαρις αυτω. Eadem comparuit etiam in margine Veronensis editionis, cui vetusti cujusdam libri MS. varietates erant illitæ, penes Havercampum. Reliqua omnia exemplaria, *turbabat;* quod tempus rei præteritæ minus convenit. Insuper ipsum verbum *conturbare*, vel *unâ omnia turbare*, et fortius est, et convenientius scopo loci, simplice *turbare.* In superioribus, ad i. 71. scilicet, *inritât* vidimus, pro *inritavit;* in iii. 710. *peritât*, pro *peritârat*, vel potius *peritavit;* et in vi. 586. *Disturbât*, pro *disturbavit* positum, mox videbimus. Hinc omnino assentior acutissimo Fabro, ad nostrum i. 71. ita capienti Terentium, in Phorm. v. 7. 50.

Propter dissimileis formas, variasque figuras;
445 Quod non omnia sic poterant conjuncta manere,
Nec motus inter sese dare convenienteis.
Hocc' est a terris altum secernere cœlum,
Et seorsum mare utei secretom, humorque, pateret;
Seorsus item purei, secreteique, ætheris ignes.
450 Quippe et enim primum terraï corpora quæque,

——————— Ex quâ filiam
Suscepit, et eam clam *educât*—.

Unde intelligimus diversam lectionem codicis, Westerhovio memoratam, esse glossatoris cujusdam marginalem notam. Nec me fautorem non habet impensissimum, sic capiens post Probum Maronis versum, ad Æn. iii. 3.

Post, quam res Asiæ Priamique evertere gentem
Inmeritam *visum* superis, *ceciditque* superbum
Ilium, et omnis humo *fumât* Neptunia Troja—:

nam neque faciunt hilum, quæ Burmannus oblocutus est, et probabile videtur hujusce etiam formulæ Lucretianæ specimen aliud relinquere Maroni placuisse, ne non in omnibus magnum esset præceptorem æmulatus. Adi Æn. vii. 363.

Ver. 446. *sese dare:* Vind. Σ. *se sedare.*

Ver. 447. *terris altum:* Π. *terris saltum;* Σ. *terræ saltu;* Macrobius, l. c. *terris magnum;* minus congruenter.

Ibid. *a terris secernere cœlum.* Hæc Ovidius elocutus est, met. i. 22. similiter:

Nam *cœlo terrai*, et terris abscidit undas,
Et liquidum spisso *secrevit* ab aëre cœlum.

Ver. 448. *seorsum:* V. ed. O. Δ. Σ. *sursum;* quæ varietas a colliquefactis densâ pronunciatione vocalium syllabis profluxit, *sorsum* dico; uti sane scriptum est in L. M. sed citra necessitatem, saltem in Lucretio, permulta hoc genus exempla suppeditante: Π. *rursum.—secretom humorque.* Aliter hac occasione saltem non ausus sum rescribere, et αρχαϊσμον orthographiæ abolere; quum manifestissima librorum veterum testimonia has lectiones vociferentur. P. *secretum*, quod Juntinæ curator editionis ex arbitrio in *secreto* mutavit; et ea lectio in aliis exemplaribus ad unum visitur, sed haud dubie vice *secretō*, i. e. *secretom.* Vulgares etiam editi, *humore;* fortasse tamen contra vetustissimarum membranarum fidem, quum liceat in his exquisitioribus de Havercampi diligentiâ suspicionem movere, nimis perfunctorie officio sæpe fungentis. Certe *humorque* reperitur in P. Vind. V. ed. Π. Σ. Ω. cum quâ voce vel illud *secreto* sane posset consistere, sumptum adverbialiter; sed longe infra loci concinnati nobis elegantiam. Nec dissimulare tamen velim, Macrobium vulgaribus editionibus adstipulari: recentioribus autem exemplis non confidendum est; et antiquum hujus scriptoris nullum nosmet saltem possidemus.

Ibid. *mare humorque:* per hendyaden pro *maris humor;* quem simili schemate mox, ad ver. 489. noster poëta nominat

——————— *mare* ———, *camposque natanteis:*

ubi nos; Ovidius, met. i. 22. *undas* generaliter.

Ibid. *pateret:* i. e. " extenderetur in " congeriem conspicabilem, particulis se " colligentibus ex chao, quod eas seorsim " obscuratas tenuerat, ac sepultas." Dictionis autem propositæ vim ac venustatem melius aperiet Ovidius, in met. i. 36.

Tum freta *diffundi*, rapidisque tumescere ventis,
Jussit—.

Ver. 449. *Seorsus purei:* Π. *Seorsum pueri;* Macrobius etiam *Seorsum*, testante

Propterea quod erant gravia, et perplexa, coibant
In medio, atque imas capiebant omnia sedes:
Quæ, quanto magis inter se perplexa coibant,
Tam magis expressere ea, quæ mare, sidera, solem,
455 Lunamque, ecficerent; et magni mœnia mundi.
Omnia enim magis hæc e lævibus atque rotundis
Seminibus, multoque minoribus sunt elementis,

id Gifanio; sed mea Macrobii exempla vulgatis Lucretii conspirant, annorum 1670. Lugd. Bat. 1694. Lond. unde, quæ nuper innuerim de antiquissimis editionibus Macrobii, valde roborantur.

Ibid. Constructionem veram verborum sic evolvendam atque edisserendam esse existimo: "Ignes item, qui facti sunt "puri per separationem suam ab rerum "conturbatarum fæce, seorsim stationem "nacti sunt, et id, quod æthera nuncupa-"mus, contexuerunt." Hæc autem ideo fusius exposui, ut commoditas recti casûs in nominibus *puri secreti*que clarior pateret, nec minus scripturæ nostræ. qualem ubique exhibuimus: nam libri communes, tam impressi, quam scripti, rem in ambiguo linquunt, satis infeliciter et injucunde. Nec optime vicissim non respondent, *secretum mare* et *secreteï ignes*.

Ver. 451. In hanc rem sic pergit Plutarchus, loco, quem citavimus ad ver. 430. continuato; Αθροιζομενων δ' εν τἀυτῳ (των ατομων), τα μεν, ὁσα μειζονα ην και βαρυτατα παντων, ὑπεκαθιζεν· ὁσα δε λεια και ευολισθα, ταυτα και εξεθλιβετο κατα την των σωματων συνοδον, εις τε το μετεωρον ανεφερετο. Quæ Lucretio illustrando maximam operam profecto navant: nec minus, quæ Diodorus Siculus exhibet, in i. 7. lectoribus otiosis omnino consulenda.

Ver. 452. *In medio atque:* sic Vind. L. M. O. Δ. Π. Σ. reliqui, ut edi solet, *In medioque:* sed hunc et sequentem versum, librario omissos, margini codicis Ω. recentior calamus adscripsit. Cæterum, scripturæ, quam nos exhibemus, Bentleii calculus accedit.

Ibid. *In medio imas sedes.* Hæc Manilius respexit, loquens de tellure, ad i. 170.

——————— *medium* totius, et *imum*, est.

Ver. 453. *perplexa coibant.* Plutarchus, ubi supra: Περιπλεκομενα δ' αλληλοις (τα σωματα) κατα την περικλασιν τον ὑρανον εγεννησαν· τησδ' αυτης εχομεναι φυσεως αἱ ατομοι,—προς το μετεωρον εξωθουμεναι, την των αστερων φυσιν απεστελλον.

Ver. 454. *Tam* reddit τῳ *quanto* versûs præcedentis; et ita respondent alibi plus semel hæ dictiones in Lucretio: vide iv. 252. 254.

Ibid. *expressere:* i. e. exprimendo effinxere, formavere; sociatis quodammodo primario sensu et secundario: nam, quoties materies aliqua, propter mollitudinem faciliter cedens, per aliam rem trudatur, vel allidatur ei, similitudinem rei, per quam compulsa, vel cui allisa sit, nancisci solet.

Ver. 455. *mœnia mundi.* Manilius, Epicuream doctrinam præstringens, huc videtur oculos vertisse, ad i. 486.

——————— qui primus *mœnia mundi*
Seminibus struxit minimis—.

Ver. 456. *e:* Macrobius, l. c. *ex;* vere, ut puto: P. *sunt;* V. ed. *et;* Ω. *a.*—*magis* abest Π.

Ver. 458. *rara foramina:* quæ sunt Virgilio *cæca spiramenta*, ad geo. i. 90.

Ver. 459. *primus:* V. ed. *primas.*—*substulit:* ita rectissime scriptum est vocabulum in P. Vind. V. ed. vulgo, *sustulit;* at mendose procul omni dubio. Liber unus similiter conservavit *substulit* ad Virg. geo. ii. 57. neque ambigem, quin multa veritatis vestigia sint se eorum

Quam tellus: ideo per rara foramina terræ,
Partubus erumpens, primus se substulit æther
460 Ignifer, et multos secum levis abstulit igneis:

oculis ingestura, quibus tanti sit disquirere. Nobis persuasissimum est de hujusce orthographiæ in universis scriptoribus, tam vetustis, quam recentibus, proprietate.

Ibid. *Partibus.* Sic omnes omne genus libri. An legendum *Protinus?*
BENTLEIUS.

Ulcus sensisti de solitâ tuâ sagacitate; nam certissime versus in morbo cubat: sed medelam minus salutarem adhibuisti. Ille, Divâ Critice favente, et benignum obstetricium cerebello laboranti non dedignatâ, medicinam præsentissimam enixus est; ille, inquam,

Quo melior multis vir tutemet, optume! rebus.

Nimirum, quivis videat, quam nullo negotio rarius nomen *Partubus* in pervagatissimum *Partibus* erat migraturum; cui in hoc versu nulla opportunitas, et ne minimus quidem sensus, linquitur. Eodem modo fluctuant libri in primo versuum Ennianorum, apud Cic. de div. i. 20. inter *artubus*, et *artibus:* quod erat exspectandum. Sed enim *Partubus erumpens* exquisita est locutio, et in hac re propria et venusta, ut nihil supra. Dicitur autem, ni fallor, ex translatione, ab arborum germinibus petitâ. Virgilius lucem dabit, geo. ii. 75.

Nam, quâ se medio trudunt de cortice gemmæ,
Et tenuis *rumpunt tunicas*, angustus in ipso
Fit nodo *sinus*—.

Confer Pallad. de re rust. iv. 1. 3. Juvenal. ix. 33. Manilius, de *Gigantibus*, i. 418.

——— et *ruptâ matre* creatos,
Discordes vultu, permixtaque corpora, *partus*.

Hinc elegantias Cari plenius percipias, ad i. 157.

——— volucres *erumpere* cœlo:
Armenta, atque aliæ pecudes, genus omne ferarum,
Incerto *partu* culta, ac deserta, tenerent:

quem locum, undequaque sanum, nonnulli infaustissimâ manu vexare non erubuerunt.

Libet his etiam verba subjungere Prisciani, sub fin. lib. viii. "Est autem, quando "differentiæ caussâ ablativus pluralis "quartæ declinationis servat *u:* ut partus "*partubus.*" Denique, spero confidoque, futurum esse, ut digni et æqui horum leporum judices, omnibus perpense consideratis, mihi non succenseant hoc tempore, quod divinationem arbitrariam, præter constantem meam fere consuetudinem, non admittere formidaverim in contextum.

Ibid. *primus se substulit æther.* Eleganter, ut semper, Ovidius, sed infra Lucretii majestatem, sic describit rem, in met. i. 26.

Ignea convexi vis, et sine pondere, cœli
Emicuit, summâque locum sibi legit in arce.

Manilius autem, eadem tractans, nemini cesserit vel efficaciâ vel elegantiâ, i. 149.

Ignis in ætherias volucer se substulit oras;
Summaque complexus stellantis culmina mundi,
Flammarum vallo naturæ mœnia fecit.

His committas, huc multum faciens, politissimum halieuticon fragmentum, jam adhibitum a me, ad i. 4.

Ver. 460. *Ignifer:* i. e. "ipse igneus "multos alios ignes etiam secum abstu-"lit." Hæc autem scriptura est codicum Vind. L. M. O. Δ. Π. Σ. Ω. quorundam Pii, et editionis Juntinæ, priusquam manum audacem correctoris subierit: reliqui, *Signifer;* intempestive prorsus, quoniam de *zodiaco* non agatur nunc jam: progredere ad ver. 499. hujusce libri. Seneca, Hippol. 960.

O magna parens Natura deûm,
Tuque *igniferi* rector *Olympi*—.

Non aliâ longe ratione, ac sæpe videmus,
Aurea quom primum, gemmanteis rore, per herbas
Matutina rubent radiati lumina solis;

Ubi mireris aures maximi Gronovii tanto opere ad illecebras Musarum obsurduisse, ut diceret, " Non pejus foret, *rerum!*" —Hinc autem pervulgata sunt poëtis *stelligerum* et *astriferum* cœlum, cum consimilibus. Idem, Herc. Œt. 1362.

Quæ Lemnos ardens? quæ plaga *igniferi poli;*

i. e. stellis consiti: ut Avienus, Arat. 114.

Scandere *flammigerum* victor permisit *Olympum:*

imitatus Valerium, Argon. i. 4.

——— *flammifero* tandem consedit *Olympo.*

Ver. 462. *gemmanteis rore:* V. ed. *gementis rotæ;* Π. Ω. *geminantes;* paribus literarum ductibus.

Ibid. *Aurea lumina solis.* Ut Ennius, ann. i. apud Ciceron. de div. i. 48.

——— simul *aureus* exoritur *sol:*

et Virgilius, geo. i. 232. iv. 51. similiter; Græcos magistros secuti: sic enim Pindarus magnifice, Pyth. iv. 257.

Αμμες αυ, κεινων φυτευθεν-
-τες, ΣΘΕΝΟΣ ΑΕΛΙΟΥ ΧΡΥΣΕΟΝ
Λευσσομεν———.

Transcurrentes, Corippum emendabimus, iii. 152.

Septima gaudentem *lux aurea* viderat orbem,
Expellens placido brumalia frigora *vento.*

Evulgatur, *verno;* sed vitiosissime, quamvis interpreti docto nullam moram error hic crassissimus injiceret. Nimirum, *placidus ventus* est *Zephyrus*, apud omnes poëtas assiduus comes Veris. Virgilius, Æn. v. 763.

——— *placidi* straverunt æquora *venti.*

Ibid. *gemmanteis rore per herbas:* redi ii. 319. Cæterum, lepores egregii horumce versuum forte an originem dederint operoso cultui, quem Heynius merito dicit Virgilium posuisse in expoliendo disticho, quod legitur Æn. vii. 25. strenue cum magistro contendentem:

Jamque *rubescebat radiis* mare, et æthere ab alto
Aurora in *roseis* fulgebat lutea bigis.

Ver. 463. *radiati solis:* i. e. vel *se radiantis* et emittentis *radios;* (i. e. *virgas lucis;* unde nos, gemello nomine, *Sun* BEAMS dicimus) vel, quum scriptores probissimi tam activâ verbi formâ, quam passivâ, indifferenter usi sint, *radiis instructi.* Sic eloquentissimus omnium mortalium, in Arateis, ver. 457. cujus pervenustos profecto versus, hanc opportunitatem nacti, castigatiores exhibebimus; quum Grotius rem audacter, et infeliciter tamen, administraverit:

Ipse pedes canis obstendit jam posteriores;
Et post ipse trahit claro cum *lumine* puppim.
Insequitur, *labens* per cœli *flumina*, navis:
Hæc medium obstendit *radiato* stipite malum,
Et jam jam toto processit corpore Virgo.

Nempe, per *cœli flumina* jam nunc *labens*, ut olim per Ωκεανον ποταμον labebatur. Nihil dici poterat elegantius, et numeris omnibus venusti sermonis absolutius. Vulgo, *numina;* Grotius, *lumina.* Adi nostras annotationes in iii. 590. *Sol* autem *radiatus*, ob hanc radiorum ex omni parte diffusionem, ampliore superficie nobis apparet: unde non assenserim Davisio, ad Ciceronis Acad. ii. 41. " Solis autem *magnitudo* (ipse enim hic *radiatus* me intueri videtur) admonet, ut " crebro faciam mentionem sui—:" legere volenti *claritudo*, pro *magnitudo*. Suavissime Accius, apud eundem Ciceronem, de div. i. 22. quem unâ vindicabimus operâ, atque emendabimus:

Exin, prostratum terrâ, graviter saucium,
Resupinum, in cœlo contueri maxumum ac

Exhalantque lacus nebulam, fluvieique perennes:
465 Ipsaque et interdum tellus fumare videtur:
Omnia quæ, sursum quom conciliantur in alto,
Corpore concreto, subtexunt nubila cœlum:
Sic igitur tum se levis ac diffusilis æther,

Mirificum facinus: dextrorsum orbem flammeum *Radiati solis* liquier cursu novo.

Libri, *Radiatum:* i. e. *radiatū;* unde facilis erat error. *Liquier* autem, *labier, fluere;* per *mare* cœli scilicet: in quo vocabulo, longe longeque bellissimo, miror Davisium hæsitasse, et eliminare voluisse. Similiter idem tragicus apud Priscianum de metris, p. 1325. Alia autem vocis *radiatus* exempla quærenda sunt apud lexicographos, ne nimietate peccem.

Ver. 464. *fluvieique:* V. ed. *fluviisque;* Π. *fluvii.—perennes:* V. ed. Ω. *perhemnes.*

Ibid. *Exhalant nebulam — tellus fumare.* Hinc sua procul dubio Mantuanus hausit, itidem de *terrâ* loquens, ad geo. ii. 217.

Quæ tenuem *exhalat nebulam, fumosque* volucris.

Ibid. *Exhalant lacus nebulam fluvieique.* Lucani leguntur, huc spectantes, elegantissimi versus, in Phars. vi. 369. ubi Burmanni frugiferæ notæ consulendæ sunt:

Quique nec humentes *nebulas*, nec rore madentem
Aëra, nec tenues ventos, *subspirat* Anauros.

Subspirat autem, *de-sub spirat*, vel ab infra mittit; i. e. *submittit:* nos inspice ad i. 8. et alibi, super istiusmodi compositis. Hinc in primo Mosellæ Ausonianæ versiculo:

Transieram celerem *nebuloso flumine* Navam—:

quis feret Scaligerum corrigentem, *lumine*, utcunque Barthius et Freherus assentiantur; imo, centum Barthii Freherique? Quos tamen minime omnium equidem contemno. Silius, Pun. viii. 382.

Quâ Saturæ *nebulosa palus* restagnat——.

Ammianus Marcellinus, xxii. 10.—"*pontus* et *nebulosus* est, et dulcior æquorum "cæteris—." Vide Valesium.

Ibid. *fluvici perennes:* i. e. suis fontibus indesinenter profluentes; non, subitis imbribus creati, sive χειμαῤῥοι ποταμοι.

Ver. 465. *Ipsaque et:* i. e. "Ipsaque "tellus etiam interdum."—Nos vero sic reposuimus ex conjecturâ; nam in omnibus vetustis exemplaribus scriptum est *Ipsaque ut—videtur;* contra justam linguæ constructionem. Pius primus dedit, haud dubie ex ingenio, *Ipsa quoque;* sed audacius: secuti sunt tamen editores patientissimi tam inscitam correctionem. Cæterum, in voculis *et* atque *ut* confundendis librarios scriptores non raro peccavisse, plus semel in præmissis indicavimus.

Ver. 466. *Omnia quæ sursum:* Π. *Omniaque et rursum.*

Ibid. *conciliantur:* i. e. "in concili-"um, vel cœtum, congregantur:" committas autem velim i. 184. 485. et locos consimiles bene multos. Sic Virgilius, Æn. x. 151.

——————— Mezentius arma
Quæ sibi *conciliet*——:

i. e. colligat, συγκαλῃ. Glossæ veteres quam apposite: "*Conciliat*, συναθροιζει.—"*Concilio*, συναγω."

Ver. 467. *subtexunt nubila:* V. ed. *sub texunt nebula.*

Ibid. *subtexunt nubila.* Sic Arnobius, quem legas, aliam in rem ad iii. 39. vocatum. Nostrum Virgilius imitatus est, ad Æn. iii. 582.

Corpore concreto circumdatus undique, sæpsit;
470 Et, late diffusus in omneis undique parteis,
Omnia sic avido conplexu cætera sæpsit.
Hunc exordia sunt solis, lunæque, sequuta; et
Inter utrasque globei quorum vortuntur in auris;

Et, fessum quoties mutet latus, intremere omnem
Murmure Trinacriam, et *cœlum subtexere fumo:*

ubi *τὸ mutet* sincerissimam esse poëtæ lectionem, et cum Servio intelligendum pro *mutare cupiat*, vel *conetur*, ad liquidissimum perducitur Statii loco, Theb. iii. 595. quem Heynius adscripsit. Hos autem Silius, Pun. iv. 552. secutus est:

Hinc pila, hinc Libycæ certant *subtexere* cornus
Densâ *nube polum*——.

Papinius translationem declarabit, et omnes elegantiâ, me judice, supergressus est, Theb. ii. 527.

Cœperat humenti Phœbum *subtexere pallâ*
Nox, et cæruleam terris infuderat umbram.

Vide Barthium ibid. Lucan. iv. 104. Val. Flacc. v. 414. ubi alia similia aggesta sunt Burmanno.

Ver. 468. *tum:* P. V. ed. B. *cum.*—*diffusilis:* O. Π. *difficilis;* errore recitationis, ut videtur.—Mox Δ. *circumdans*, pro *circumdatus.*

Ibid. *diffusilis æther;* ut statim *diffusus:* i. e. "cujus qualitas est diffusio:" proprie, quum sit *fluidus* liquidusque. At dictionem scitissime transtulit Orosius, hist. i. 2. ad immensâ vastitate camporum æquora:—"Hyrcanorum et Scy-"tharum gentes,—propter *terrarum* in-"fecundam *diffusionem* late oberrantes." Sic etiam Avienus, in orb. desc. 1041.

Commagenorum propter *diffunditur ora:*

et videas eundem, in or. marit. 80.

Ver. 469. *Corpore concreto;* quam phrasin vox Ennii singularis optime declarabit, fragm. p. 187.

Inde locei liquidas, *pilatas*que, ætheris oras
Contemplo——:

i. e. moles concretas, globatim coalitas. Veteres glossæ: "*Pilatus, ὁ σφαιρωμένος.*"

Ibid. *se sæpsit:* i. e. se vallavit, et coërcuit; cum quibus componas omnino velim Manilianos versus, nuper ad ver. 459. allatos. Utilis etiam Virgilius, Æn. i. 439.

Infert se, *sæptus* nebulâ——.

Hinc Ovidius in cosmogoniâ, met. i. 69.

Vix ea limitibus *dissæpserat* omnia certis——.

Ver. 471. *avido conplexu;* "ulnis quasi liquidis universa volens arripere, ac "comprehendere:" conferas ver. 202. ii. 1065. Maro non alienus est, ad Æn. xii. 909. et sane miranda maxime fuisset res, si magistri dictionem, et elegantem et signatam imprimis, omnino intactam reliquisset:

——— nequidquam *avidos* extendere *cursus*
Velle videmur——:

i. e. producere in longum; *longos cursus.*

Ver. 472. *Hunc:* P. V. ed. B. *Nunc;* O. Σ. *Hinc;* ut prisca Pii exemplaria: quæ vocabula haud dubie confusa sunt ad Virg. geo. iii. 290. Codex L. etiam *et* præbet ad finem versûs; quod, licet non omnino necessarium putem, et manu recentioris cujusdam correctoris, ut constructioni magis æquabilem viam sterneret, forsitan appictum, recipiendum duxi. Alias sæpius excidit sic positum vocabulum.

Ibid. *solis lunæque.* Summatim locutus est poëta, in animo habens *sidera* quoque comprehendere, inter *multos* illos *ignes* scilicet, quos æther secum sustulerat, ad ver. 460. Per brevitatem haud dissimilem Mantuanus *solem* et *sidera* est

Quæ neque terra sibi adscivit, nec maxumus æther;
Quod neque tam fuerint gravia, ut depressa sederent,
Nec levia, ut possent per summas labier oras;
Et tamen inter utrasque ita sunt, ut corpora viva
Vorsent, et partes ut mundi totius exstent:

generali nomine complexus, ad Æn. vi. 725.

Lucentemque globum lunæ, *Titaniaque astra.*

Ver. 473. *utrasque:* P. quem editio Juntina secuta est hactenus, *utrosque;* ex audaci nimis insciti emendatoris temeritate. Nimirum, *το utrasque* vel generalius nomen respicit solis et lunæ, *stellas* scilicet, de quâ formulâ nos inspicias ad i. 353. ii. 174. vel, ex consuetudine Lucretii, ad genus posterioris nominis, *lunæ* dico, componitur adjectivum: redi ad annotata in iii. 307. atque agnosces aliorum facinus scelerosum, aliorum vero insulsitatem, et Lucretiani sermonis ignorantiam: editores enim recentiores uno consensu *utrosque* posuerunt. Nullam denique gratiam nos a lepidis hominibus inituros arbitramur, si chartas otiumque disperdamus, et commentarii nostri pergrandescant, deliramentis criticorum per morosam diligentiam recensendis: quorum nonnulli versum delendum esse, ut spurium, edixerunt; alii rursus conjecturis vanis solicitarunt. Ineptiis igitur valere jussis, *ιμων ὁδον βασευμαι,* et ipso cum Lucretio conveniam.—*auris:* P. *auras;* pro quâ voce jubet ille Pius *oras* rescribi: perperam, ut quod maxime.

Ibid. Sic se habet ordo verborum, et constructionis ratio: " Exordia solis lu-
" næque secuta sunt *æthera;*" (i. e. ætheris exordium) " et *ea,*" (i. e. eorum exordia) " quorum globi inter utrasque
" in auris vertuntur, *secuta sunt solem*
" *lunamque:*" in quibus nihil, præter solitum lucidissimis scriptoribus, vel obscuri est, vel duri atque confragosi.

Ibid. *quorum globei:* i. e. *corpora crassiora;* nempe, vapores ignei, fulminis materies, trabes, faces volantes, et columnæ, cum reliquis meteoris stationem suam in mediâ cœli regione retinentibus: confer sis Lucan. vii. 154—157. Ovid. met. i. 24—29. et 52—56. Manil. i. 839. *Globus* profecto proprie significat *rotundatum corpus;* sed sensu transfertur laxiore ad quidlibet condensatum. Seneca, Hippol. 1031.

Inhorruit concussus undarum *globus.*

Et formulâ notissimâ Virgilius, Æn. x. 373.

—— quâ *globus* ille *virûm* densissimus urguet.

Ita glossæ veteres: " *Globus, συσσρφη,*
" *πληθος, αθροισμα.*"

Ibid. *vortuntur:* non circumvolvuntur, sed generalius, *moventur, versantur;* vide nos ad iv. 402. Et eo magis propria est in hoc usu dictio, quod meteora, vi levissimâ ventorum impellente, statim agitentur, et locum mutent.

Ver. 474. *nec:* ita P. L. M. O. Δ. Σ. Ω. et sic adsolet Lucretius: vide superius, ad ver. 435. V. ed. Π. *ut;* vulgo, *neque.*

Ibid. *maxumus æther:* " ut qui tegat
" avido complexu universa;" adeas verr. 201. 471. Mantuanus, Æn. viii. 239.

—— inpulsu quo *maxumus intonat æther.*

Sic fortius ac sublimius in quibusdam exemplaribus. Vulgo, *insonat.* Ovidius, met. vi. 695.

Ut medius nostris concursibus *intonet æther.*

Ubi pariter veteres libri turbant. Committas autem Lucanum, v. 633. et notas Oudendorpii.

Ver. 475. *Quod:* Π. *Quot.*—*neque:* ita P. Vind. V. ed. L. M. O. Δ. Π. Σ. Ω. editi, *nec.*—*fuerunt:* sequor Vind. V. ed. O. Ω. Juntinam et Aldinam; vulgo, *fuerint.*—*ut sederent:* Π. *ac sederet.*

Quod genus, in nobis quædam licet in statione
480 Membra manere, tamen quom sint ea, quæ moveantur.
Hiis igitur rebus retractis, terra repente,
Maxuma quâ nunc se ponti plaga cærula tendit,
Subcidit, et salso subfodit gurgite fossas:

Ibid. Lectori meo non injucunda fortasse fuerit hujusce partis cosmogoniæ descriptio Nasoniana, met. i. 54. quam ideo potissimum adduxerim, ut præclaram emendationem Jacobi a Cruce Lucretii testimonio confirmem:

Imminet his aër; qui, quanto est pondere terræ
Pondus aquæ levius, tanto est onerosior igni.
Illic et nebulas, illic consistere nubes,
Jussit, et humanas motura tonitrua mentes;
Et cum fulminibus, facientes *fulgura*, ventos.

Vulgo, *frigora;* ineptissime: tonitrus, fulmen, et fulgur, passim consociari solent. Confer autem nostrum, vi. 268. 269. 294—300. cum multis locis aliis ejusdem libri. Cæterum, Heinsius *considere* volebat, pro *consistere;* cui Lucretii versus obstat suspicioni. Nec Manilium non admovebo, quum unâ operâ conjecturæ, quam vindicamus, faveat, et Pii refellat divinationem ad ver. 473. Leguntur versus in i. 152.

Proximus in tenues *discedit* spiritus auras,
Aëraque extendit medium per inania mundi:
Ignem flatus alit vicinum, subditus astris:

i. e. " auræ, vel venti, cœlestibus ignibus " propinqui, ignes inferiores, seu fulgura " tonitrusque, nutriunt." Et vulgo scribitur in versu primo *descendit:* nos usitatam librariis permutationem esse factam credimus, adeoque conjecturam collineavimus. Consulas ibidem Bentleium.

Ver. 476. *per summas labier oras:* ut ætheria lumina labuntur. Virgilius, Æn. iii. 515.

Sidera cuncta notat, tacito *labentia cœlo.*

Ver. 477. *utrasque:* sic omnia vetera ad unum exemplaria; editores temerarii de suo *utrosque* infersere, ut modo, pari cum audaciâ, ad ver. 473.

Ibid. *viva:* i. e. " ita ut agitent vege- " ta, mobilia, efficacia, florentia, vera, " corpora; et officiis suis strenue fun- " gentia." Lambinus heic opportunissime admovit nostrum Carum, i. 1033.

——— summâ quoque gens animantum
Floreat, et *vivant labentes ætheris ignes:*

i. e. " lapsu per æthera se vivos esse " probent." Cernis locutiones utriusque loci amicissimo consensu vicissim sibi commodissimam operam navare. Non igitur res exigit, ut ad Bentleianam conjecturam, quæ mihi quoque primo intuitu se commendaverat, hoc tempore confugiamus; " corpora *priva*" scilicet: quam dictionem et alibi viro sagacissimo novimus universi, Musis haud plaudentibus, veterum scriptis inculcatam.

Ver. 478. *Vorsent:* i. e. moveant, agitent, huc illuc pro re natâ sedes mutent; vide nos ad ver. 473. Creechius, qui in suâ interpretatione *volvant* posuit, exquisitiores virtutes dictionis neutiquam assecutus est. Virgilius, ecl. x. 67.

Nec si, quum moriens altâ liber aret in ulmo,
Æthiopum *versemus* oves, sub sidere Cancri:

i. e. *huc et illuc agamus,* vel exerceamus: uti probe Servius; sive, ut cum Græcis loquar, *οιοπολωμεν·* quæ est Heynii expositio longe venustissima omnium, et aptissima. Rideas interea, nasute lector! duumvirorum tentamen miserabile, *servemus.* Sed enim appositum est etiam glossema vetus: " *Verto, μεταβαλλω χωρεν.*"

Ver. 480. *moveantur:* P. *moveant nos.* —*tamen* abest V. ed. In ver. 478. Π] *mondi;* ut solet.

Ver. 481. *retractis:* i. e. in diversam

Inque dies quanto circum magis ætheris æstus,
485 Et radiei solis cogebant undique terram
Verberibus crebris, extrema ad lumina apertam,
In medio ut, propulsa, suo condensa coiret;

partem tractis per adscensum; adeoque disparatis et segregatis invicem.

Ver. 482. *quâ nunc se;* Ω. *quâ se nunc.*

Ibid. *ponti plaga.* Seneca, Hippol. 931.

——— te licet terra, ultimo
Summota mundo, dirimat *oceani plagis:*

uti ΠΟΝΤΟΥ ΠΛΑΚΑ Pindarus, Euripides, et Græcorum alii poëtarum, nec raro sane, dixerunt.

Ibid. *ponti plaga cærula:* sic Latini passim; Græci minus frequenter. Euripides tamen, Iph. T. 7. habet κυανεαν ἁλα· et Aratus, phæn. 46.

Αρκτοι, κυανεῳ πεφυλαγμενοι ωκεανοιο.

Ver. 483. *salso:* V. ed. *falso.*—Et, ex recensione Havercampi, quamvis operæ typographi ad locum plane sint vitiosæ, codd. L. M. videntur exhibere *salsos offudit;* unde hodiernas editiones multas τα *salso suffudit* invasere: quæ profecto et in Δ. Π. comparent; sed perperam.—*gurgite:* Ω. *gutture.*

Ibid. *subfodit fossas:* ita Græci passim loquuntur vel purissimi styli, neque cognatas voces sic connectere non Lucretius solet sæpiuscule; ut modo habuimus, ad verr. 393. 394. *certamine certare:* quæ scribendi ratio primigeniam simplicitatem proxime attingit, et Hebraïcas veteris instrumenti chartas peculiariter distinguit. Sed lectionem, quam admisimus, et mentem poëtæ, Plutarchi locus, etiam Lambino memoratus, unâ eâdemque operâ vindicat illustratque, in plac. phil. i. 4. fin. Ῥευστικως δε διακειμενη, (ἡ ὑγρα φυσις) κατεφερετο προς τους κοιλους τοπους, και δυναμενους χωρησαι τε και στεξαι· η καθ' αὑτο το ὑδωρ ὑποσσαν ΕΚΟΙΛΑΝΕ ΤΟΥΣ 'ΥΠΟΚΕΙΜΕΝΟΥΣ ΤΟΠΟΥΣ. Ut autem noster *fossas* de ponto, sic Prudentius, stylo castigatissimo poëta, cathem. ix. 14.

Terra, cœlum, *fossa ponti,* trina rerum machina:

et eum, ut videtur, imitatus, Sidonius Apollinaris, carm. xv. 39.

——— quid *machina cœli,*
Quid *tellus,* quid *fossa maris,* quid turbidus aër— :

ventos nempe vult per *aër turbidus.* Hinc aptissime loquitur Orosius, hist. i. 2. de *Arabico sinu,* ut "longo angustoque *sul-* "*co,* saxis insulisque creberrimo." Cæterum, quemadmodum mare dicitur in hoc loco sibi *fossam subfodere,* persæpe dicuntur amnes *viam secare,* et similiter: videas nostrum supra, ver. 273.

Ver. 484. *circum:* P. *curvam;* V. ed. *curam.*

Ver. 485. *radiei:* V. ed. L. O. Ω. *radiis;* et in proclivi est cogitare sane, *τος* ex sequente vocabulo attractum adhæsisse, sed magis tamen inclinat animus, ut existimem versum sic scriptum Lucretio fuisse:

Et *radiis soles* cogebant undique terram——.

Conferas ver. 253. hujus libri, et vi. 1100. Non multo aliter Virgilius, geo. i. 66.

——— glebasque jacentis
Pulverulenta coquat maturis *solibus* æstas.

—*cogebant terram:* Π. *tegebant terras.* Nimirum, ex similitudine elementorum *c* et *t,* primum venit *togebant,* deinde *tegebant.*

Ver. 486. *Verberibus:* Π. *Verticibus.*—*lumina:* sic optime Vind. V. ed. O. Δ. Π. Σ. Ω. vulgo, *limina.* Sunt autem *lumina,* per obviam translationem, opinor, ab *humano corpore* derivatam, rimæ, foramina, fenestræ, vel, ut voce Græcâ longe aptissimâ finiamus, γληνεα. Sic

Tam magis expressus salsus de corpore sudor
Augebat mare manando, camposque natanteis:
490 Et tanto magis illa, foras elabsa, volabant
Corpora multa vaporis, et aëris; altaque cœli

quod Oppiano est πολυγληνος σαγηνη, aliis est, et ipsi, πολυωπος, cyneg. i. 157. Hinc obiter Hesychium emendabimus: Γληνη, κορη οφθαλμυ·—η ΟΠΗ. Vulgo, ορη· quæ glossa Ruhnkenium, Kusterum, et alios, multum cruciavit. Eâdem medicinâ sanes Suidam. Gemellam metaphoram ab *humano corpore* Virgilius sumpsit, ad geo. i. 90. cujus locutionis veras rationes nemo videtur perspectas habuisse; et locus integer est φυσικωτατως elaboratus, atque elegantissime Lucretianus:

Seu pluris calor ille vias et *cæca* relaxat
Spiramenta, novas veniat quâ sucus in herbas:

i. e. rimas aperit, ita ut ista *cæca* spiramenta fiant *lumina*, vel lucis penetrabilis capacia. Idem rursus Mantuanus est appositus, ad Æn. vii. 568.

—— specus horrendum, sævi *spiracula* Ditis:

i. e. *ora*, per quæ Dis *spirat:* vide Heinsium. Et *sævi*, propter halitûs utique virosam acerbitatem. Ibid. ille, ver. 48.

——— *sævam*que *exhalat* opaca *mephitim*.

Ad eandem loquendi formam veteres, tam Latini, quam Græci, *fontes* jam siccatos τυφλυς, vel *cæcos*, nominabant; quasi *luminibus*, per quæ societatem cum sole possent inire, destitutos: videas Ovid. met. xv. 272. et notas Heinsii; hæc enim disputatio, ut ut perelegans, et illustrationem desiderans, nos a proposito longius abstraheret, et redeundum est in viam. Adi vero notas ad ver. 1004.

Ibid. *apertam*. Omnes MSS. *partem*. Legendum, *raptim;* ut i. 663. et alibi.

BENTLEIUS.

Infeliciter omnino: nam unice vera est emendatio Turnebi, quam contextus noster repræsentat. Nimirum, post quam litera *a* simili fine præcedentis dictionis sit elisa, *pertam* facile abierit, uti satis liquet, in *partem*.

Ibid. *Verberibus radici:* multo nimirum *percussu telorum* impingentes; vide mox, ver. 1103. supra i. 148. et utrobique nos. Atque, cum hoc Lucretii loco commode Virgilium componas, ad geo. iv. 428. Æn. viii. 243—247. Porro, Plutarchus, l. c. his verbis ipsam rem repræsentavit, nostro navans operam perutilem: Πολλης δε ὑλης ετι περιειλημμενης εν τῃ γῃ, πυκνυμενης τε ταυτης κατα τας απο των πνευματων πληγας, και τας απο των αστρων αυρας, προξεβλιθετο πας ὁ μικρομερης σχηματισμος ταυτης, και την ὑγραν φυσιν εγεννα. Ubi lector animadvertat, id *auras* vocari Plutarcho, (i. e. virtutem emanantem) quod Lucretius *radios* lucis nominaverat: unde multum confirmantur et illustrantur annotata nobis ad iv. 1027. de Horatii versu; et alibi.

Ver. 488. *expressus de corpore sudor*. Adhuc inhæret imaginibus humana respicientibus. Virgilius, Æn. vii. 459.

——— toto proruptus *corpore sudor*.

Ut *sudor maris*, ad ii. 464. ubi notas inspice.

Ver. 489. *manando:* P. *mandando;* et proposuit in notis, *mandendo;* i. e. rodendo: ineptissime. Idem Mantuanus, ibid. iii. 175.

Tum gelidus toto *manabat corpore sudor*.

Ibid. *camposque natanteis;* priore vocabulo figurato, ut est apud Virgilium rursus, geo. iii. 198. posterior:

——— tum segetes altæ, *campique natantes*,
Lenibus horrescunt flabris.

Sed abusus est ille alibi metaphorâ præceptoris. Sic ad Æn. vi. 724.

Densabant procul a terris fulgentia templa:
Sidebant campei, crescebant montibus altis
Adscensus; neque enim poterant subsidere saxa,
495 Nec pariter tantumdem omnes subcumbere partes.

—— cœlum, ac terras, *camposque liquentis:*

post Euripidem sane, Homeri non immemorem, Phœn. 219.

Ἀκαρτίστων ΠΕΔΙΩΝ Σικελίας—.

Ad hanc normam, nullus ambigem de suavissimis Ausonii versibus restituendis, prout nunc scribuntur, sermone nimis tautologo degravatis, in Mosell. 83.

Tu mihi, flumineis habitatrix Naïs in oris,
Squamigeri gregis ede choros; *liquido*que sub *arvo*
Dissere cæruleo fluitantes amne catervas.

Vulgo, *alvo liquido;* sed *liquido arvo* respondet *flumineis oris*, ut *fluitantes catervas* τοῖς *squamigeri gregis.* Nempe, "tu quæ sub liquido arvo es." Idem Maro, Æn. x. 214.

—— *campos salis* ære secabant.

Sed nemini vel poëtarum cesserit elegantiâ M. Tullius, in Arat. 195. de *Argo* nave loquens:

Non aliæ naves ut in alto ponere proras
Ante solent, rostro *Neptunia prata* secantes;
Sed, convorsa retro, cœli *se per* loca portat.

Sic, nobis insciis, prior Grotius verissime rescripserat pro *semper.* At Ciceronis versu confirmatur lectio Virgiliana, *secabant;* cui præferebat Heinsius *ruebant.* Nec Tullianas venustates alibi præteriit indelibatas ille Mantuanus; quum ad Æn. vii. 695. his floribus poëseos paginam suam illuminaverit:

—— *arva* novâ *Neptunia* cæde rubescunt.

Denique, se Plautus addat socium, Trin. iv. 2. 15.

Bonaque omnia item unâ mecum passim *cæruleos* per campos:

et, hos secutus, noster Popius, in lepidulo, Jupiter! molliculoque versu:

And Pikes, the tyrants of *the watʼry plains.*

Ver. 490. *volabant:* Vind. *valebant;* V. ed. *volebant.* In proximo, Vind. *altasque.*

Ver. 492. *Densabant:* editores audacissimi recentiores de suo reposuere *Densebant;* contra libros omnes veteres.

Ibid. *fulgentia cœli templa.* Similiter Venusinus, od. ii. 12. 8.

—— unde periculum
Fulgens contremuit *domus*
Saturni veteris——.

Ovidius etiam, met. ii. 17.

Hæc super imposita est *cœli fulgentis* imago.

Maro contra voluit propriam ac primariam notionem, ad Æn. vii. 210.

—— *stellantis* regia *cœli.*

Denique, non alienus est huic toti loco scriptor exquisitus, Minucius Felix, cap. v. et iis sane, quæ præcesserint, huc haud dubie respiciens, lucem inferet: "Sint "principio omnium semina, naturâ in "se *coëuntia*, densata: quis hic auctor "Deus? Sint fortuitis concursionibus "totius mundi membra coalita, digesta, "formata: quis Deus machinator? Si-"dera licet ignis accenderit, et cœlum "licet sua materia suspenderit; licet ter-"ram fundaverint pondera, et mare licet "*influxerint liquores:* unde hæc reli-"gio—?" Vulgo, *coëunte;* sed vide nostrum, ver. 487. et membranæ, *influxerit e liquore.* Consule Davisium.

Ver. 493. *Sidebant;* pro composito *Subsidebant.* C. Nepos, xii. 4. 2.—"navis, rostro percussa, cœpit *sidere.*" Sic alii non raro. Neque alio modo debet accipi re verâ in Virgilii loco, Æn. vi. 203. vocabulum:

Sic igitur terræ, concreto corpore, pondus
Constitit; atque omnis mundi quasi limus in imum
Confluxit gravis, et subsedit funditus, ut fæx.
Inde mare, inde aër, inde æther ignifer ipse,

Tollunt se celeres; liquidumque per aëra labsæ,
Sedibus optatis geminâ super arbore *sidunt:*

i. e. "*subsidunt*, vel se demittunt, ab al-" tiore cursu in optatas sedes." Pluribus locis eadem explicatio conveniet.

Ibid. Similiter Nasonis musa, met. i. 43.

Jussit et extendi campos, subsidere valles,
Fronde tegi sylvas, lapidosos surgere montes.

Ver. 494. *subsidere:* Vind. *subsidera;* V. ed. *sub sidare;* Δ. Σ. *sub sidera;* Π. *subsydera.*

Ver. 495. *subcumbere:* sic Ω. clare, ad antiquissimam orthographiam: reliqui, ut vulgo, *succumbere.* Non accurate minus unus et alter codex ad Virg. Æn. iv. 19. quod ideo monendum duxi, ut lectores intelligant, quantâ cum industriâ hæ scripturæ vetustiores passim sint libraris obliteratæ, atque ut æquiores se præbeant puras antiquitatis formas subinde restituentibus: quod sane multo sæpius factum esse oportuerat.

Ver. 496. *concreto:* Π. *conjecto;* quod nec malum est, neque ab sermone Lucretiano discrepans.

Ibid. *Sic igitur—;* ut Plutarchus, ubi supra: Κάτειτα, εκ μεν των ὑποκαθιζοντων εγεννηθη ἡ γη· εκ δε των μετεωριζομενων, ἀρανος, πυρ, αηρ. Et huc facit egregie Manilius, i. 159.

Ultima subsedit, glomerato pondere, tellus;
Convenitque vagis limus commixtus arenis,
Paullatim ad summum tenui fugiente liquore.

Quæ sunt ad Cari versus manifestissime adumbrata. Sed rescribendum forsitan:

Paullatim ad summum tenui *surgente* liquore:

quum vox illa *fugio* celeriori potius effectui proprie convenire videatur.

Ver. 498. *fæx.* Non in manu est, quo decernam, quæ sit proba orthographia, *fæx* an *fex;* per simplicem literam libri plures antiqui: utroque modo glossæ veteres. Appositus autem est huic loco Ovidius, ad met. i. 68. cum quo compares mox sequentes Lucretii verr. 501. 502.

Hæc super imposuit liquidum, et gravitate carentem,
Æthera, nec quidquam *terrenæ fæcis* habentem.

Ver. 499. *ignifer æther.* Statius, silv. iii. 1. 81.

Dum me *flammigeri* portabit machina *cœli:*

i. e. astrigeri, stellantis.

Ver. 500. *Corporibus liquidis, omnia pura.* Voces ita comites Mantuanus posuit, geo. iv. 163.

——————— aliæ *purissima mella*
Stipant, et *liquido* distendunt *nectare* cellas.

Et sensus est in nostro: "Mare, aër, et "æther, *quæ constant* liquidis corporibus, "relicta sunt omnia *omni terrenâ fæce* "pura." Qui non satis evolutus est interpretibus.

Ver. 501. *leviora:* V. ed. O. Δ. Π. *levior;* elemento *a* propter simile insequens dilapso.

Ibid. *liquidissimus æther.* Maro, Æn. vii. 65.

——————— *liquidum* trans *æthera* vectæ—.

Ver. 502. Miror sane Lucretium non scripsisse:

——————— aërias super influit *oras:*

sed exemplaria vetusta nihil variant.

Ver. 503. *auras:* sic incorruptissime, P. V. ed. L. M. O. Δ. Ω. vulgo, *auris;* ut e nostris Π. quam lectionem temere et inscite corripuerunt editores, planissimam constructionem haud despicientes, quam-

500 Corporibus liquidis, sunt omnia pura relicta;
Et leviora aliis alia; et liquidissimus æther,
Atque levissimus, aërias super influit auras;
Nec liquidum corpus turbantibus aëris auras
Conmisci: sinit hæc violentis omnia vorti

vis Pius vere dudum exposuerat: " Nec " sinit æther liquidum corpus suum com- " misceri *corporibus*, vel *rebus*, turbanti- " bus auras aëris." Quibus nihil desideres expeditius. Versus omnino deest Σ. Habet etiam Π. *turbantis:* et suspicor editorem Vindobonensem oscitasse loco, qui nobis *auris* reliquerit in exemplari suo: veruntamen de hoc ipse viderit.

Ver. 504. *Conmisci:* sic Vind. L. M. O. Π. Σ. Ω. Euge! optima exemplaria: pulchre! bene! recte! Per vos solos stetit, quod dignissimus civis, diu perditus ac deploratus, denuo tandem restituatur Latio. Nimirum, ut Romani veteres non minus dicebant *promisce* et *promiscus*, quam *promiscue* et *promiscuus;* ita defæcati codices Lucretii solitario suo testimonio satis evincere potuissent in usu fuisse *misco* quoque, *commisco*, et vocabula cognata. Sed feliciter nobis evenit, glossas veteres ex abundanti suffragium conferre: et sane *misco* parenti *μισγω* proximius est vulgari *misceo*. Sic autem illæ: " *Misco*, " *κιρνω*." Et vicissim: " Κιρνω, misceo, " *misco*." Jam vero *το Commisti* in V. ed. Δ. nihil est nisi ipsissima veritas, *c* pro solito in *t* migrante: P. *Committit;* editores ex arbitrio, *Commiscet*. Interea vero, ob assiduitatem illam constantissimam, quâ Lucretio exprimendo se Virgilius assuescit, me persuasum habebam hanc verbi formam in Mantuano probabiliter alicubi latere; nec diffido restitutioni, quam navaturus sum loco georgicôn, ii. 282. hinc egressus, ad hunc modum:

——— nec dum horrida *miscit*
Prælia, sed dubius mediis Mars errat in armis.

Olim contenderam *miscet*, pro vulgari *miscent*, rescribendum esse, ob elegantiorem ac lucidiorem constructionem; et favet imitatio Papiniana, Theb. viii. 383.

Stat, *medius* campis, etiamnum *cuspide siccâ*
Bellipotens——.

Varietatem vero *misit* cod. Mentel. rudera esse dictionis, quam reposui, mihi vero valde simile videtur.—*sinit:* V. ed. Δ. Ω. *sunt;* cum eisdem literarum formis. Hæc commutatio linearum *ini* et *un*, *t* et *c*, in Hieronymum, atque adeo in lexica, vocem importavit hoc sensu ignotam Latio; *unciales* literas, pro *initiales*.—*hæc:* P. *ac;* perperam. *Hæc* nimirum *corpora*, quæ voce *turbantibus* comprehenduntur, et dedocere poterant editores, non aliud agentes, vanitatem arbitrariæ suæ lectionis in versu, qui præcesserit; *auris* dico.— Denique, mox V. ed. repetit *sunt*, pro *sinit*.

Ver. 505. *turbare procellis.* Sicuti Mantuanus maximus, geo. iii. 259. ad hanc normam verissime castigandus:

——— nempe, *obruptis turbata procellis*,
Nocte natat cæcâ serus freta——:

i. e. *se ob* juvenem *rumpentibus*, vel in vultum se frangentibus et illidentibus. Nihil doctius, appositius, aut elegantius, illâ dictione; quam nonnulli codices agnoscunt, et pervetusta georgicôn editio sine mentione loci, vel anni, penes me. Evulgari solet *abruptis:* et certe minime mirum est *το obrumpere* in monimentis veterum parcius comparere, si librarii criticique passim obliteraverint. Sed quænam hæc est eruditorum conjuratio, ut efficacem sane, venustam, atque acceptissimam, vocem configant obelo, quoties in membranis deprehendant? Varro, de re rust. iii. 10. 5.—" (anseres) propter " cupiditatem sæpe in pascendo, si radi- " cem prenderint, quam educere velint e

505 Turbinibus, sinit incertis turbare procellis;
Ipse suos igneis certo fert inpete labens;
(Nam modice fluere atque uno posse æthera nixu
Significat Ponto mare, certo quod fluit æstu)
Unum labundi conservans usque tenorem,

" terrâ, *obrumpunt* collum:" i. e. infringunt. Sic nonnulli scripti: vulgo, *abrumpunt;* i. e. " ita frangunt, ut a corpore " collum disparetur:" quod plane por- " tentosum foret, et contra manifestissimam rei veritatem. Liber singularis vocem conservavit ad Pallad. de re rust. i. 19. 1. ubi tamen vulgatum *abrumpi* rectum esse arbitramur. Sed enim non dubitem, quin otiose quærentibus multi loci obversabuntur, e quibus vocabulum pervagatius vocem *obrumpere* expulerit; sed raro res evenit, cui non æque conveniat *abrumpere*. Se ostendunt interea unus et alter locus, de quibus haud verear meam sententiam cum intelligentibus et æquis lectoribus communicare. Ovidius, met. viii. 764.

Quam solet, ante aras ingens ubi victima taurus
Concidit, *abruptâ* cruor e *cervice* profusus.

Nisi cervix credatur cuitris *abscindi* corpore, quod factum esse non existimo, legendum dixerim *obruptâ*. Idem, amor. ii. 1. 25.

Carmine dissiliunt, *abruptis* faucibus, angues:

i. e. *a trunco separatis;* nisi pro *diffissis* verbum queat stare: quod mihi saltem nondum liquet. Legam igitur *obruptis:* i. e. BURSTEN *jaws*. In Maniliano versu, iv. 641.

Nec tantum ex unâ pontus sibi parte reclusit
Faucibus abruptis orbem——;

certe menda est: et, vel legerim cum libris pluribus, *abreptis;* vel acceperim elegantissimam emendationem Bentleii, quem consulas. Multum fallor, si Seneca non indigeat hujusce medicinæ, ad Hippol. 1266.

——— hoc quid est, formâ carens,
Et turpe, multo vulnere *abruptum* undique?

Non intelligo; reposuerim itaque, *obruptum:* " BROKEN IN UPON (minime om- " nium *Broken off) with many a wound.*" Verum enim doctorum judicium exspectemus, et receptui canamus. Vide porro dicta in notis, ad vi. 586.

Ver. 506. *suos igneis:* V. ed. *suo signis.* —Hos autem *ignes* Virgilius, Æn. ii. 154. *æternos ignes* nominat. Et *certo inpete:* i. e. " æther cum suis sideribus semper " circumvolvitur æquabili rotatu, ac nul- " lis interruptionibus obnoxio."

Ver. 507. *posse:* V. ed. *possit.*—*nixu:* ita O. Ω. vulgo, *nisu;* inspicias annotata ad iv. 904. Et nomen *nixus* pro *partus* nihil aliud esse judicaverim eidem vocabulo, sensum nacto secundarium: ob acerrimas illas colluctationes scilicet, et dolores vehementissime contentos, quibus puerperium efficitur.

Ibid. *modice:* i. e. *συμμετρως·* ad modum præstitutum, mensuramque certam; stabili moderamine: ne pro *lente*, vel *sensim*, fortasse capias.

Ver. 508. *Ponto:* sic eleganter, et defæcate, libri veteres omnes, quâ MSS. quâ typis evulgati: ut sit *mare Ponto* de eâdem constructione, quam nos asseruimus ad ii. 1. *æquora mari* scilicet: adi locum. Virorum autem doctorum super hoc versu temeritatem, et ineptias nugivendorum editorum, quid attinet recensere, vetustis exemplaribus idem testimonium vociferantibus?—Porro, Bentleius ita puncta voluit disponenda:

Nam modice fluere, atque non posse æthera nisu,
Significat, Ponti mare certo quod fluit æstu:

i. e. Nam *id*, quod mare Ponti fluit æstu certo, significat " æthera posse modice " fluere—:" in quibus tamen nihil commodi venit structuræ; sed contra vulga-

510 Motibus astrorum nunc quæ sit caussa, canamus:
Principio, magnus cœli si vortitur orbis,
Ex utrâque polum parte premere aëra, nobis
Dicundum est; extraque tenere, et cludere utrimque:

ris ratio longe facilior est ac speciosior: " Mare Ponti, quod fluit æstu certo, sig- " nificat—" etc. Nihil ergo eatenus mutandum nosmet habuimus.

Ibid. *certo quod fluit æstu.* Seneca, nat. quæstt. iv. 2. " Ob hoc Pontus in infer- " num mare assidue fluit rapidus; non, " ut cætera maria, alternatis ultro citro " æstibus; in unam partem semper pro- " nus, et torrens." Idem alii testati sunt.

Ver. 509. *labundi:* Π. *labenti;* cui libro vox *certo* versûs præeuntis deest.—*conservans:* V. ed. *construansque;* ob similitudinem minuscularum literarum *e* et *t:* Π. *conservas.*

Cæterum, si quis aures suas suavissime delenitas velit, et sensus affici jucundissime, legat moneo relegatque hunc versiculum Lucretii; nobis judicibus, inenarrabili, et incomparabili plane, mollissimorum numerorum majestate profluentem; quodque describat, vividissimis coloribus feliciter, ut nihil supra, depingentem. Achilles ipse, si in vivis commoraretur hodie, melius profecto et efficacius hoc versu, quam lyrâ suâ, καταπραΰνεσθαι poterat; sic subinde furiosos æstus animi paullisper interpellando:

" Unum labundi conservans usque tenorem !"

Nemo posthac Venusini judicium det operam falsitatis coarguere, quum Ammone veracior edixerit, Græcis tragicis obsecutus:

Sunt verba, et voces, quibus hunc lenire dolorem
Possis, et magnam morbi deponere partem.

Ver. 510. *sit:* V. ed. *fit;* abest O.—Mox M. *vortitur*, uti nos passim scribimus in Lucretio: reliqui libri, *vertitur.*

Ver. 512. *polum:* Π. *solum.—parte:* hoc tutius habui in cæsurâ ponere, quum non constet, vel in uno quidem codice *τo parti* comparere: quamvis enim colligere debeamus non aliter exhiberi in Vind. et M. experti novimus, haud temere in omnibus diligentiæ collatorum fidendum esse.

Ibid. *polum premere aëra:* i. e. aëre polum premi; ne structuram verborum quæras.

Ver. 513. *est extraque:* sequor L. M. O. Δ. Π. sed mallet tamen judiciolum meum, electione integrâ remanente:

Dicundum, *ex utraque* tenere——:

quemadmodum P. Juntina, et fere cæteri libri; nam Vind. Ω. et, opinor, B. *est ex utraque;* V. ed. *se ex utraque;* Σ. *Dicendumque est extraque.*—Porro, Pelignus vates rem, sic eleganter ampliatam Lucretio, brevitate venustissimâ complexus est, ad met. i. 12.

Et *circumfuso* pendebat in *aëre* tellus.

Ver. 514. *supra:* sic Vind. V. ed. O. Δ. Ω. Juntina, et Aldina; Σ. *super;* vulgo, *supera;* sed an ex codicibus, multum dubito.—*atque:* Π. *et.—eodem:* Ω. *eadem;* Lucretianissime, nisi *Quo* subsequeretur.

Ibid. *intendere.* De hoc absoluto hujusce dictionis usu, nos panca superius, ad ver. 386. Frequentior est cum pronomine, *se intendere.* Minucius Felix, sect. xxxii. " In solem adeo rursus *intende;* " pariter præsens, ubique interest, et mis- " cetur omnibus:" i. e. se miscet. Ammianus Marcellinus, xxxi. 11.—" vespe- " râque *intendente*, Gothorum vastatorios " cuneos—aggressus est." In quibusdam scriptis, *incendente* et *incedente:* frustra, prout bene contendit J. F. Gronovius, sed exemplis parum appositis infeliciter evincere volebat. Longe doctius et accuratius rem gessit Heinsius, ad Valer. Flacc. vii. 114. quem consulas. Tacitus, ann. xi. 32.

Inde alium supra fluere, atque intendere eodem,
515 Quo volvunda micant externi sidera mundi:
Ast alium subter, contra qui subvehat orbem;
Ut fluvios vorsare rotas, atque haustra, videmus.

"Messalina tamen—ire obviam—haud "segniter *intendit:*"—i. e. *se intendit*, ut eat obviam; vel intendit τὸ ire obviam.

Ver. 515. *micant:* V. ed. *micat.*—*externi:* nempe, extra hæc omnia positi, et ultimi rerum; omnia, sicut operculo, tegentis: quod planum est, et poëtæ scopo congruum. Veteres libri ad unum dant *æterni;* quæ lectio dogmati Lucretiano supra, ver. 92—98. ver. 120. atque adeo Epicuri disciplinæ, manifestissime contradicit. Cogitabam sane, an ferri posset codicum scriptura, ponendo principia materiæ, quibus mundus constat, *æterna* esse, quamvis specialis figura mundi mutetur, et danda sit exitio: sed hoc duriusculum, argutumque nimis, videbatur. Editores alii conjecerunt, *alterni:* hoc autem coactum est; et obscuritatis vitio, quo noster minime tenebatur, insuper laborat. Jam vero, scribas Lucretianos subinde peccavisse in vocabulis *externus* et *æternus* permutandis, superius vidimus, ad iv. 930. Similiter aberraverunt etiam ad Lucan. iii. 311. Liv. iii. 33. 5. ubi perlegas notam Drakenborchii: nec fugias consulere super hac re Burmannum, in Anthol. Lat. ii. 86. 1. et 261. 6.

Ibid. *volvunda:* i. e. volventia, volubilia. Vocem excepit Mantuanus, atque usus est similiter, ad Æn. ix. 7.

Turne, quod optanti divûm promittere nemo
Auderet, *volvenda dies* en! adtulit ultro:

ut Carus mox infra, ver. 1275. *volvunda ætas.* Neque aliter Alcimus Avitus, v. 414.

Maxima nocturnas jam pars exegerat horas,
Et *volvenda dies* instabat sorte propinquâ.

Ibid. *micant:* i. e. quasi *exsiliunt*, ob lucem, quam jaculantur ex se; vibrant, διαττουσιν, celeriter moventur, tremunt: vide i. 1088. et dicta ad ii. 195. Glossæ veteres: "*Mico*, διαστιλβω, ἀπτω." Lege, ΑΤΤΩ· licet eadem sit in Græcis quoque vocibus repetita ibidem cantilena. Culicis auctor nobis est accommodatissimus, ad ver. 21.

Sanguineumque *micant* ardorem luminis orbes:

i. e. vibrant, scintillant, *emittunt.*

Ver. 516. *Ast:* P. V. ed. O. Π. Σ. Ω. *Aut.*—*qui:* P. V. ed. Π. Σ. Ω. *quis;* attractâ vocis sequentis literâ.

Ibid. *contra:* i. e. ab occidentali plagâ in orientalem; ut, die Soli percursâ, nox succedat invicem, dum ad priorem stationem cum sideribus ille redeat.

Ibid. *subvehat:* i. e. vehat subjiciendo se. Sic Virgilius, Æn. vi. 303.

Et ferruginea *subvectat* corpora cymbâ:

i. e. transfretat per cymbam suppositam. Atque ad eundem modum vocem passim interpreteris; nam Barthius, Burmanno laudatus quamvis sit ad Virg. Æn. v. 721. proprietatem ejus, et potestatem, non accurate perceptam habuit, aut declaratam dedit in commentariis Papinianis, Theb. i. 337.

Ver. 517. *fluvios:* V. ed. O. Σ. *fluvius;* Δ. Π. *fluviis;* non invenuste: sed vulgatæ suffragatur etiam Nonius, versum laudans in voce *Haustra*, ad i. 43. qui consulendus.—*atque haustra:* Vind. V. ed. Ω. *atque austra;* O. Δ. *ac plaustra;* Π. Σ. *atque astra.*

Ibid. *fluvios vorsare rotas.* His monitus, emendabo versiculum in Anthol. Lat. Burm. iii. 54. 4.

Has inter *lucebat* aquis *luctantibus* amnis
Spumeus, et querulo versabat rore lapillos.

Codices, *ludebat* et *ludentibus.* Alii aliter tentaverunt: adi locum. Catullus, versibus delicatissimis, et superatis nemini, lxviii. 57.

Est etiam quoque, utei possit cœlum omne manere
In statione, tamen quom lucida signa feruntur:
520 Sive, quod inclusei rapidi sunt ætheris æstus,
Quærentesque viam circumvorsantur, et ignes

Qualis, in aërii *perlucens* vertice montis,
Rivus muscoso prosilit e lapide.

Quem noster Popius, aut sciens, aut nesciens, expressit, Eloïs. 157.

The wand'ring *streams*, that *shine* between *the hills*——.

Ver. 519. *lucida:* Vind. Π. Ω. *lucia*, et Σ. pro diversâ lectione.—*feruntur:* sic L. M. reliqui, *ferantur.*—In versu præcedente, Π. *movere*, vice *manere.*

Ibid. *quom feruntur:* i. e. ὡς, "*dum* "feruntur."

Ver. 520. *rapidi ætheris;* cujus celeritate stellæ versantur: nam orthographia nostra locis hujusmodi præsentissimam navat operam, et a lectoribus errorem interpretis propulsabit, qui conjunxit *rapidi* cum *æstus;* memor fortasse Virgiliani versûs, in ecl. ii. 10.

——— *rapido* fessis messoribus *æstu.*

Sed enim, licet *æstus* violentarum aquarum bene dicantur *rapidi; sol* etiam et *flamma*, qui *celeriter moveantur*, et *hauriant* omnia *devorent*que, eodem epitheto probe exornentur; dubito, an *calor* simplex, nec personaliter exhibitus, hanc appellationem toleret. Subscripserim igitur equidem conjecturæ Clerici, sugillationibus Burmannianis parvi pensis, in quam sane sponte incideram:

——— *rabido* fessis messoribus *æstu.*

Non aliter Ausonius, epist. xxiv. 98.

Egelidæ ut tepeant hyemes, *rabidos*que per *æstus*
Adspirent tenues frigus subtile Aquilones.

Et Manilius, v. 208. non alienus est:

——— latratque Canicula *flammas*,
Et *rabit igne* suo:

ut egomet etiam rescribendum videram, Bentleianæ divinationis nihil conscius. Claudianus, in Eutrop. i. 108.

——— se *rabido* fessam projecerat *æstu.*

Sic liber unus MS. et editio una: editi, *rapido.* Hæ rationes autem, si probe sint subductæ, Juvencum quoque corrigendum postulant, hac mendâ dehouestatum, ad hist. evang. ii. 249.

Sederat heic *rabido* Servator anhelus in *æstu.*

Ver. 522. *cœli:* Π. *cœlum.*—*inmania:* sic recte viri docti reposuere, sed an ex fide scriptorum exemplarium vehementer dubito. Hæc dictio sane, si vertex *i* literæ productior insurgeret, facile migraret in codicis M. scripturam, *sumania* scilicet: P. *sub inania;* V. ed. B. *sub mania;* L. O. Δ. Σ. Ω. *summania;* Π. *si immania.* Profecto, nisi per rationem propositam super importuno introitu literæ *s*, me non expedio. Vulgo legitur, *se immania;* ut est in Vind. se collatori velis credere, membranis sæpiuscule obdormiscenti: Pius tamen haud aliter comparere in codicibus suis veteribus affirmat. Nec tamen hæc scriptura non est insulsissima, nec mentem poëtæ non pessum dat; quæ postulat, ut ignes siderei illo *æstu ætheris*, non *motibus propriis*, circumvolvantur. Quod manifestissimum, vel oculis lippitudine suffuscatis, statim patebit.

Ibid. *inmania templa.* Arnobius, lib. vi. "*Templa* enim hæc quid sunt? Si "humanam infirmitatem roges, nescio "quid *immane;* atque amplum; si deo-"rum potentiam metiaris—." Varro, de ling. Lat. vi. 2. "In cœlo templum dici-"tur; ut in Hecubâ:

"O! *magna templa* cœlitum, commixta stel-
"leis splendideis."

Et Virgilius, vi. 18.

——— pæsultque *inmania templa.*

Passim per cœli volvunt inmania templa;
Sive, aliunde fluens aliquunde extrinsecus, aër
Vorsat agens igneis; sive ipsei serpere possunt,
525 Quo quoiusque cibus vocat, atque invitat, euntes,

Hactenus Lambinus: ac nos videas, ad i. 1013. Tragici autem versum sic esse castigandum puto:

O! magna templa cœlitum, *contexta* stelleis splendideis.

Quemadmodum post alios Nonnus, Dionys. xviii.

Και ζοζον εχλαινωσεν ἑῳ χροϊ σιγαλεη Νυξ,
Ουρανον ΑΣΤΕΡΟΕΝΤΙ διαγραψασα ΧΙΤΩΝΙ.

Adjiciam Claudianum, rapt. Pros. ii. 563.

——————— stat pronuba juxta
Stellantes Nox picta *sinus:*

i. e. stelligeros amictus, sidereum peplum: conferas versus quosdam sub ver. 565. citatos. Accedat etiam Orpheus, Argon. 509. ut locus longe longeque depravatissimus emaculetur:

Αλλ' 'ΟΤ' ΕΣ ωκεανοιο ῥοον ϐαττιζετο Τιταν,
Μηνη δ' αστροχιτων εταγε ΜΑΛΑΚΑΥΓΕΑ
ΜΟΡΦΗΝ—:

vulgo, Αλλ' ὁτε γ', et μελαναυγεα ορφνην· vide Silv. Crit. ii. p. 132. Avienus, Arat. 935.

——————— *Aëre pepli*
Sidera nocturni si suspectare libebit——.

Sic legendum; nisi perelegantem Grotii divinationem malis, *Aurea:* libri, *Aëra.* Non alienus est Martianus Capella, ii. p. 33.

Et jam tunc *roseo* subtexere sidera peplo
Cœperat ambrosium promens Aurora pudorem.

Hic autem libet emaculare Bacchylidis fragmentum apud Apollonii scholiasten, Argon. iii. 467. quod ex parte Ruhnkenius emendavit in notis ad Hom. hymn. Cer. 24. sed ita tamen, ut reliquerit porro emendandum: Ἑκατα δᾳδοφορος, Νυκτος ΜΕΛΑΝΟΚΟΛΠΟΥ θυγατερ: i. e. *nigros sinus indutæ*, vel caliginosam vestem. Libri, μεγαλοκολπυ. Nostrâ divinatione nihil verius. Alexis in Thesprotis testetur, ex Athenæo, xii. 13. in transitu corrigendus:

Ἑρμη, ΦΘΙΤΩΝ προτομαι, και Φιλιττιδυ
Κληϐυχε, Νυκτος ομμα της ΜΕΛΑΜΠΕΠΛΟΥ.

Libri, θεων· magnus Casaubonus, νεκρων. Nosmet pro nostris confidenter depugnemus. Vide, quæ annotaverimus ad Eurip. Ion. 1169. Lucretio denique Germanicus suam navet operam illustrando, in Arat. 451.

Templa sed *ætherii* simul ac possederit *ignis*,
Omnia mixta feret——.

His igitur perpensis, vel in tantis scribarum turbis, ne levissima quidem lectoribus dubitatio de verâ lectione versûs videtur insessura: alioquin in manu nobis est conjectura, quæ nec nasutis displicebit, et magnis auctoribus suffulciri poterat, lectorum judicio committenda:

Passim per cœli volvunt *sublimia* templa.

Ver. 523. *aliunde aliquunde:* i. e. ex *alio quovis* loco; αλλαχοθεν ποθεν. Vulgo scribi solet, *alicunde;* nos autem in hujuscemodi minutiis nobismetipsis constare volumus, nec incertis erroribus fluctuare. Præterea, Cassiodorum audiamus, sic edicentem, in tractatu de *orthographiâ*, p. 2314. "*Aliquunde* per *quun* debet "scribi; divisio enim illius est, *aliquo* et "*unde;* hoc est, *ex aliquo loco.* Sed certe "*n*, non *m*, erit; quia *unde* per *n* scribi-"tur." Et phrasis est magnam super hac re dubitationem indicans.

Ver. 524. *Vorsat agens:* V. ed. *Versata gens.*

Ibid. *Vorsat agens.* Gemellis formis Virgilius post Græcos lætatus est. Sic geo. iii. 412.

Flammea per cœlum pascenteis corpora passim.
Nam quid in hoc mundo sit eorum ponere certum
Difficile est: sed, quid possit fiatque per omne
In variis mundis, variâ ratione creatis,
530 Id doceo; plureisque sequor disponere caussas
Motibus astrorum, quæ possint esse per omne:
E quibus una tamen sit et hæc quoque caussa necesse est,
Quæ vegeat motum signis; sed, quæ sit earum,
Præcipere haud quâquam est pedetentim progredientis.

Sæpe, volutabris pulsos sylvestribus, apros
Latratu *turbabis agens:*

ubi varietatem Medicei codicis, *agros* vice *agens*, merito vilissimi æstimant viri docti. Idem Mantuanus, ad Æn. i. 191.

——————— tum volgus; et omnem
Miscet agens telis nemora inter frondea turbam.

Ibid. *serpere:* i. e. generaliter, ire, moveri; ut passim *repere:* ad Græcorum consuetudinem sic adhibentium ἑρπω, *serpo*, et ῥεπω, *repo*, pro βαδιζειν, κινεισθαι. Cicero in Arateis, ver. 114.

Namque est ales *avis*, lato sub tegmine cœli
Quæ volat, et *serpens* geminis secat aëra pennis.

Hæc sedulo notanda sunt. Et cum priore versu committas nostrum supra, ver. 201. hujusce libri.

Ver. 525. *euntes:* sic optime V. ed. sola; reliqui libri, tam editi, quam scripti, *cuntis*, vel *cunteis;* quod ultro falsissimum esse deprehenderam, quum verborum constructio grammatica ad hunc modum procedat: " Sive ipsi, euntes quo " cibus vocat *eos* pascentes corpora, pos- " sunt serpere."

Ver. 526. *pascenteis corpora.* Ordo est: " Pascenteis *sibi* corpora *sua* flammea;" i. e. alentes, reparantes proprias flammas pabulo illarum flammarum, quæ passim per cœli regiones obversantur. Hoc nonnullos latuit; redeas ad annotata in ii. 995. i. 232. ignaros utique, quid distent *pascere* et *pasci*.

Ver. 527. Hoc dicit Lucretius: " Gene- " rales illas leges, quibus necesse est uni- " versa gubernari, et ex quibus omnium " phænomenôn caussæ dominantes pen- " dent, philosophus exponere valebit, at- " que ad liquidum perducere; sed speci- " ales illæ leges, quæ mundum quemli- " bet singularem respiciunt, non sunt " certis argumentis statim definiendæ." His lucem dabit noster collatus, ad vi. 703—712.

Ver. 529. *mundis:* P. V. ed. L. *mundi.* —*creatis:* sic Ω. solus, cum Juntinâ et Aldinâ, *mundi* quoque sine ullâ varietate exhibentibus: omnia tamen reliqua exemplaria, *creati*, excepto Δ. qui dat *creari*. Sane suspiciones de scripturæ sinceritate his discrepantiis cientur; sed in receptis nihil desideres, sive spectes colorem argumenti, sive philosophiæ Epicureæ rationes. Vide ii. 1055. Plutarchus, plac. phil. ii. 1. Δημοκριτος, και Επικουρος, και ὁ τουτων μαθητης, Μητροδωρος, απειρους κοσμους εν τῳ απειρῳ κατα πασαν περισταση. Hoc etiam a multis aliis accepimus: adi Diog. Laërt. ix. 44. x. 42. Hermiæ irris. gentil. philos. sect. 18. Ammian. Marcell. xv. 1. et ibi Lindenbrogium; Arnob. lib. ii. p. 48. Hilariorem Claudiani materiam, hæc attingentem, non gravabimur adscribere, sic concinentis in Mall. Theod. cons. 79. et Democritum, hujusce scholæ principem, clare innuentis:

Ille ferox, unoque tegi non passus Olympo,
Immensum per inane volat; finemque perosus,
Parturit innumeros angusto pectore mundos.

Ver. 530. *sequor disponere*, pro *pergo*

535 Terraque ut in mediâ mundi regione quiescat,
Evanescere paullatim, et decrescere, pondus
Convenit; atque aliam naturam subter habere,
Ex ineunte ævo conjunctam atque uniter aptam
Partibus aëriis mundi, quibus insita vivit.
540 Propterea, non est oneri, neque deprimit auras;
Ut sua quoique homini nullo sunt pondere membra,
Nec caput est oneri collo, nec denique totum
Corporis in pedibus pondus sentimus inesse.

disponere; quod sedulo animadvertendum: nam longe rarissimæ sermonis formulæ non habeo ad manus pulchre parallelam, quâ lectoribus illustratam dem.—*Disponere* autem, "diligenter et ordinatim exhibere:" confer i. 47. Ita Virgilius, Æn. iii. 237.

Haud secus ac jussi faciunt; tectosque per herbam
Disponunt ensis, et scuta latentia condunt.

Disponunt · i. e. "ordine ponunt separato;" ne confusio fiat, hostibus advolantibus, sed unusquisque statim ensi suo manum imponat. *Condunt* autem, *unâ locant,* clypeum juxta clypeum. His admovendis vero supersedissem, nisi proprietates vocum nonnullis interpretibus minime perceptas esse intellexissem.

Ver. 531. *omne:* V. ed. M. O. Ω. *omnem;* quasi scripsisset Lucretius, *omnē;* perperam.

Ver. 532. Sic loci scopum capias: "Generalibus caussis, per quas universæ res constituuntur regunturque, patefactis et dispositis; necessum est, ut in his includatur etiam ea caussa, quæ motum stellis præbet: quamvis non sit cuilibet in proclivi de numero causarum specialem illam seligere, nec prudentis philosophi quidem designationem ejus confidentem in se suscipere."

Ver. 533. *vegeat:* i. e. vegetet, vel vegetum faciat; vide Juvenc. hist. evang. ii. 357. Auson. idyll. i. 21. Mar. Vict. præfat. ver. 16. in Gen. i. 131. Hæc est autem egregia restitutio Gifanii pro librorum omnium lectione *vigeat;* quæ ex rariore vocabulo *vegeat* statim per librariorum manus exoriretur. Nonius, ii. 876. profert e Pomponio: "Animos Venus "*veget* voluptatibus;" et ex Ennio:

"—— æquora salsa *veges* ingentibus ventis:"

et alia exempla dictionis e Varrone. Locum Vegetii appositum non pigebit admovisse, de re milit. iv. 42. "Elementum pelagi tertia pars mundi est; quod, "præter ventorum flatum, suo quoque "spiramine *motu*que *vegetatur.*"—*motu:* P. *multum;* et in ejus priscis exemplaribus, *motu in.*—*earum:* Π. *eorum.*

Ver. 434. *est:* Vind. V. ed. Δ. Π. *sunt.*—*pedetentim:* Vind. Ω. *peditenti.*—*progredientis:* P. Vind. Ω. *progredientes;* neque alio navigat V. ed. depravatio, *progredi certes;* O. *progredientem:* sed quartum casum respuit constructio.

Ver. 536. *Evanescere:* Ω. *Et vanescere;* etiam bene.

Ver. 537. *subter:* ita Δ. solus; P. O. *semper:* reliqui omnes, *super;* quod nec res, nec versus, ullo modo patitur.

Ver. 538. *uniter aptam:* Π. *inter raptam;* ut rursus in ver. 559.

Ver. 539. *mundi:* Π. *mondi;* uti fere semper.—*vivit:* V. ed. *juvit;* editores de suo multi, *sidit;* audacter magis, quam considerate: cui temerariæ insitioni Bentleius obelum suum merito præfixit.

Ibid. *Partibus aëriis mundi insita.* Diogenes Laërtius, x. 74. de Epicuro: Δηλον

At, quæquomque foris veniunt, inpostaque nobis
545 Pondera sunt, lædunt permulto sæpe minora:
Usque adeo magni refert, quid quæque queat res.
Sic igitur tellus non est aliena repente
Adlata, atque auris aliunde objecta alienis;
Sed pariter primâ concepta ab origine mundi,
550 Certaque pars ejus; quasi nobis membra videntur.
Præterea, grandi tonitru concussa, repente
Terra, supra se quæ sunt, concutit omnia motu;

ᾶν, ὡς—φησι—καὶ ἐν ἀλλοις, τὴν γῆν τῷ ἀερι ἐποχεισθαι.—Mox Σ. *desinit*, pro *deprimit*.

Ver. 540. *Propterea:* nimirum, propter diversam naturam, quam tellus habet subter, pondere suo decrescente paullatim, atque tandem prorsus evanescente.

Ver. 541. *Ut:* Vind. B. Δ. Π. *Et.* Mox O. *neque.*

Ver. 545. *permulto:* Ω. *permultos;* arreptâ principe vocis statim venientis literâ.

Ver. 546. *quid quæque queat res:* i. e. "quæ sint primigeniæ qualitates ejus, et "potestates, quibus sit naturâ prædita." Quod undequaque planum est et rectum. Attende tamen, quæso, scabiosas lectiones, quas Lucretio affricuerint editores, libris omnibus conculcatis; audacissimi hominum, quot sunt, quotque fuerunt, quotque post aliis erunt in annis:

Usque adeo magni refert, *quoi quæ adjaceat* res.

Π. autem *nequeat*, vice *queat*.

Ver. 547. *repente.* In hac voce vertitur, ut indoles loci clare loquitur, argumenti cardo: unde expositio, quam nosmet dedimus, et robur accipit et lucem; atque vanissima somnia editorum sub umbras propelluntur.

Ver. 548. *alienis:* i. e. "ad eam nihil "attinentibus, neque naturali cognatione "primitus sociatis; ita ut amicissime con-"cordent,

"Ex ineunte ævo conjuncta, atque uniter auc-"ta."

Ver. 550. *videntur:* i. e. εἶναι δοκεῖ, uti passim loquuntur Græci: editores temerarii de suo nobis exhibent, *videtur*.

Ibid. *quasi membra.* Sic igitur tellus aëri æquabiliter inequitat, libramine imperturbato, quod eam habeat ad aëra rationem, quæ membri cujuslibet ad corpus sit; non propter concinnam aliquam inter se mutuo collocationem partium. Verissima est itaque, quam dedimus, interpretatio ad ver. 546. et ab omni contextûs parte confirmationem accipit.

Ver. 552. *quæ se:* P. Δ. *se quæ;* ut editi recentiores, contra libros cæteros cum Junt. et Ald. edd. De codice B. non liquet: *se* deest V. ed. cujus vel curatorem, vel codicis scriptorem, versûs insolentes numeri in errorem induxerunt.

Ver. 554. *aëriis:* Vind. *aëri;* V. ed. *accri.*—*revincta:* V. ed. *rei functa.* Cæterum, vehementer placet codicis Ω. scriptura, quum varietati sermonis, cui summopere in omnibus consultum noster ivit, conveniat; et librarius forsitan importunus ad præcedentem ver. 539. exemplar suum composuerit:

Partibus aëriis, *mundo, cœloque, revincta:*

ut τὸ *Partibus* sit appositum connexûs instrumentum. Quo magis propendeam in hanc constitutionem versûs, consimilis facit Virgilianus, hinc, ut arbitror, effigiatus; qui legitur in Æn. iii. 76.

Quam pius *Arquitenens*, oras et litora circum
Errantem, *Gyaro* celsâ, *Myconoque*, *revinxit.*

Quod facere haud ullâ posset ratione, nisi esset
Partibus aëriis mundi, cœloque, revincta:
555 Nam communibus inter se radicibus hærent,
Ex ineunte ævo conjuncta, atque uniter aucta.
Nonne vides etiam, quam magno pondere nobis
Substineat corpus tenuissima vis animaï;
Propterea, quia tam conjuncta, atque uniter apta, est?
560 Denique, jam saltu pernici tollere corpus
Quis potis est, nisi vis animæ, quæ membra gubernat?

Pius utique, pietate motus in Delon matrem, seu natalem terram; ut optime Servius. Viros doctos frigidissimam et otiosam scripturam *prius* exquisitissimæ voci præferentes, satis mirari nequeo: ut Heinsium quoque, infelicissime proponentem, *Gyaro e.* Cæterum, venerandam rubiginem antiquitatis, defæcatis membranis obsecuti, rectissime redonavimus: vide nos infra, ad vi. 525. Arnobius, quo nemo studiosius poëtarum Latinorum phrasim delibavit, lib. i. p. 20. " *Arquitenen-* " *tes*, Diana et *Apollo*—." In sequente versu, Π. *Non*, pro *Nam*.

Ver. 556. *uniter aucta:* i. e. concrescentia; simul atque æqualiter pubescentia et adolescentia. Lector, attendas aliud specimen orationis variatæ, quâ carmina Lucretius condivit, nobis toties prædicatum; et pariter audacissimum facinus editorum, ex arbitrio suum *apta*, de ver. 558. translatum, contextui inculcantium; quod inducendum habui, sincerissimâ lectione tandem repositâ, libris universis morem libenter gerens.

Ver. 559. *quia tam:* V. ed. *quedam.* —*uniter:* Π. *inter.*—*apta:* V. ed. *rapta;* Π. *rupta:* attractâ utrobique vocis præeuntis literâ: redeas autem ad ver. 558.

Ver. 560. *pernici:* Vind. V. ed. B. M. Π. Σ. Ω. *pernice;* sed ægre verum credam, sic extra cæsuram positum.—*tollere:* O. *attollere;* nec sprevissem sane cum *pernice*, nisi videretur medicina, cuidam, metrum suffulcire cupienti, cogitata. Sic Ovidius, met. vii. 847.

——— *corpusque*, meo mihi carius, ulnis
Sontibus *attollo*—.

Ibid. *saltu tollere corpus.* Paullo aliter Mantuanus, ad Æn. xii. 287.

Infrenant alii currus, aut *corpora saltu*
Subjiciunt in equos—:

i. e. *de-sub*, nempe de terrâ, *attollunt.* Hanc autem potestatem vocum sic compositarum præstrinximus ad i. 8. et alibi. Hoc Heynius, ad l. c. Maronis, vocitat *morem Virgilianum*, quasi poëtæ suo peculiarem; minus accurate.

Ver. 561. *Quis:* B. *Qui;* Havercampus, *Quid;* de importunissimâ Fabri emendatione, Preigero perperam probatâ. Res satis nota sit licet, audiamus Priscianum, lib. xiii. p. 960. " *Quis* etiam " communis esse generis putaverunt ve- " tustissimi, sicut apud Græcos ὁς τις. " Terentius, in Eunucho, iv. 4. 11.

" ——————— Hunc oculis suis
" Nostrarum numquam *quisquam* vidit—.

" Nostrarum *quisquam* dixit, pro *quæ-* " *quam.* Plautus, in Vidularia:

" Dic mihi, *sodes*, *quis* ea est, quam vis ducere
" uxorem?"

Sic legendum: libri, " Dic mihi, *si au-* " *des.*" Et Donatus ad locum Terentii posuit, " Antiqua locutio est." Cæterum, pede uno redundante, versus hic legitur in V. ed. L. Σ. Ω.

Jamne vides quantum tenuis natura valere
Possit, ubi est conjuncta gravi cum corpore; ut aër
Conjunctus terris, et nobis est animi vis?
565 Nec nimio solis major rota, nec minor ardor,
Esse potest, nostris quam sensibus esse videtur.

Quis potis est *nobis*, nisi vis animæ, quæ membra gubernat?

In B. manente *nobis*, desideratur *animæ:* quam viam Havercampus iniit. *Vis* e Π. erasa est. Meum judicium est, *το nobis*, ob similitudinem *τυ potis* bis negligenter ingestam esse a librario: et *τυ animæ* interpositio luculentam Cari simplicitatem multum resipit. Manilius, i. 250. similiter locutus est:

Hocc' opus, immensi constructum *corpore* mundi,—
Vis animæ divina *regit*—.

Ver. 563. *cuvi:* V. ed. B. *tam;* quod ex *tum* enatum est, postquam c in *t* migraverat.

Ver. 564. *Conjunctus:* V. ed. Π. Σ. *Conjuncta;* voce jam adhibitâ memoriæ librarii inhærente: O. *Conjunctus et;* quod speciem habet veri pro *Conjunctus est*, quum a compendio *Conjunctust* lectio vulgaris facili suboriri posset.

Ibid. *animi:* Lege, *animæ;* ut ver. 558.

BENTLEIUS.

Sed enim, quum poëta nobis diserte notum fecerit, ad iii. 422 — 426. se utrâlibet dictione solere ad libitum indifferenter uti, non ausim viro summo morem gerere. —Denique, codex Π. interponit *conjuncta* post *est;* unde haud inepte proposuerim constitutum hoc modo versum:

Cum terris, et nobis est *conjuncta* animi vis.

Sed vulgata longe anteponam.

Ver. 565. In viam redit poëta, de quâ, in probationibus argumenti allegandis, dum pergeret, occupatus, digressus est ad ver. 557.—Porro, *De* vice *Nec* in Δ. comparet.

Ibid. *Nec solis major rota.* Plutarchus, plac. phil. ii. 21. Επικυρος παλιν φησιν,—(ειναι τον ἡλιον) τηλικυτον, ἡλικος φαινεται, η μικρω ΜΕΙΖΟΝ, η ΕΛΑΤΤΟΝ. Ita locus scribendus est. Eandem sententiam Diogenes Laërtius, ix. 7. adscribit Heraclito; et his in verbis Epicuro, ad x. 91. Το δε μεγεθος ἡλιυ τε, και των λοιπων αστρων, κατα μεν τοι προς ἡμας, τηλικυτον εστιν, ἡλικον ὁποιον φαινεται. Quæ, ut alia omnia, Meibomius depravata publicavit. Conferas etiam, si vacet lubeatque, Ciceronem, quem Lambinus admovit, in Acad. ii. 26. de finn. i. 6. Interea, ut lætior materies exhilaret, probe constitutum proferam epig. 6. lib. v. Anthol. Lat. Burmanni:

Nox abit, astrifero velamine cincta, *micantis*
Et redigit stellas; exoriturque dies.
Emicat oceano *Phœbi rota* clara relicto:
Inlustrata nitent lumine cuncta suo.

Vulgo, *micanti;* quod redibat ad *το velamine.* Verum enim, quum de *veste* sermo habeatur, non dubito, quin poëta sic elegantius scripserit, ac rectius, primum versum:

Nox abit, *astrigero* velamine cincta—.

Hæ dictiones librariis confundi solent, (vide mox, ad ver. 699.) et multæ similes; ut, exempli gratiâ, ad Claudian, bell. Get. 245. Ita differunt ferme φορειν et φερειν. Ausonius, idyll. vi. 42.

Cum face, et *astrigero diademate*, Luna bicornis.

Ibid. *nimio:* i. e. *multo;* ut noster alibi, et alii; inter quos Apuleius frequentissime: vide Oudendorp. ad met. v. p. 362. Arnobius huc respexit, lib. ii. p. 86. —" orbe sit sol amplior, an pedis unius " latitudine metiatur? Alieno ex lumine, " an propriis luceat fulgoribus luna?"

Ver. 568. *Alliccre:* i. e. " *ad* quemvis

Nam, quibus e spatiis quomque ignes lumina possunt
Adlicere, et calidum membris adflare vaporem;
Nihil ipsa intervalla in sis de corpore librant
570 Flammarum, nihil ad speciem est contractior ignis.
Proinde, calor quoniam solis lumenque profusum

" locum *mittere*, vel jaculari;" ab antiquâ dictione *lacio:* de quâ nos ad iv. 989. Quod obstupescas autem, lector! pro hac antiquitatis dictione, sincerissimâque lectione omnium exemplarium vetustiorum, sive MSS. sive formis typographi impressorum, os editorum durissimum, sine vel necessitate vel usu, commentitium suum *Adjicere* in Lucretium inferscrunt. *Adlicere* igitur generaliter et laxe potest ἐπαγειν, *adducere* in quendam locum, *apportare;* unde pervagatus sensus, blande tractare, demulcere, *fallere:* quod propius tangendo atque tractando fit. Et forte an sit a canibus palpandis locutio trauslata: sed difficile est nunc dierum vocabula desuetarum linguarum per latebras omnes indagare, et inde extrahere veritatem.—*calidum:* V. ed. *calidis;* Π. *calidi.*—*vaporem:* idem Π. *vapores.*

Ibid. *adflare vaporem*, vel *calorem*, quasi *ventum* quendam. Sic noster, iii. 129.

Est igitur *calor*, ac *ventus* vitalis, in ipso
Corpore, qui nobis moribundos deserit artus:

calor enim per medium aëra nos afficit. Hinc pendet Virgilius, Æn. ii. 649.

——— ex quo me divôm pater, atque hominum rex,
Fulminis adflavit ventis:

i. e. aëre, quem vis fulminis calefecerat. Hinc liquidissimum est, mendose scriptum circumferri Nasonis locum, ex Pont. iii. 6. 17. quo decor sermonis violatur:

Fulminis adflatos interdum vivere *telis*
Vidimus.

Mederi possis reponendo, *ventis;* quum *venis*, et *telis*, non valde discrepent; sed accipienda est omnino elegantissima duorum codicum scriptura, quæ poëtæ manum clarissime vociferatur:

Fulminis *adflictos* interdum vivere *telis*
Vidimus:

i. e. " in terram vi fulminis prostratos," uti Burmannus recte interpretatus est. Cæterum, se haud dedit invenustum Prudentius, cath. i. 21.

Ut, quum coruscis *flatibus*
Aurora cœlum sparserit—.

Ac fontem metaphoræ tibi Virgilius aperiet, geo. i. 250. et alibi:

Nosque ubi primus *equis* oriens *adflavit anhelis*—.

Hinc operæ pretium fuerit mirificas et monstrosas interpretationes Oudendorpii, in notis ad Apul. met. iv. p. 256. perlegere. Statius, Theb. iv. 96.

——————— ceu lubricus altâ
Anguis humo verni blanda ad *spiramina solis*
Erigitur, liber senio:

i. e. " ad tepentes auras, vel spiritus, e-
" quorum solis." Nihil magis est indubitatum.

Ver. 569. Me deprehendisse existimo defæcatam hujusce versûs scripturam; quæ sane tali est indole, qualem librarii et hebetes et oscitantes certissime depravarent; ab emendatissimis atque veterrimis exemplaribus non nisi unâ literulâ discrepantem: quod profecto ex recensitis scripturæ varietatibus confestim patebit. *Nihil in sis:* Vind. V. ed. B. L. M. Δ. Π. Σ. *Nihil nisi;* quæ lectio, si subjicias elementum *s*, ipsissima est in contextu posita; edit. Ald. sed, unde habuerit, prorsus nescio, *Nil ipsis ex;* quæ nobis favent: P. O. Ω. *Nilque nisi ex:* quibus insistens, ita possis versiculum concinnare:

Nihil hiis ex, intervallis, de corpore librant:

Perveniunt nostros ad sensus, et loca fulgent;
Forma quoque hinc solis debet filumque videri,
Nihil adeo ut possis plus, aut minus, addere vere.
575 Lunaque, sive notho fertur loca lumine lustrans,

quorum eadem fere est nostris interpretatio. " Spatia in transitu, in suis interval- " lis, nihil detrahunt e corpore flamma- " rum:" quo sensu nullum optes apertum magis, et expeditum, congruumque.— *librant:* P. corrigendum vult, *vibrant;* longe speciosissimam metaphoram, quam proprii palati torpor gustare nequiit, quasi venustioribus invidisset: adeas annotata superius, iii. 1101. *Librare* scilicet proprie significat " de ramo corticem deri- " pere;" adeoque generaliore notione, *separare*, deterere. Non aliunde, uti suspicamur, quam hinc exorsus, ad veram Alcimi Aviti mentem pervenire quiveris, in i. 14.

Jam Pater Omnipotens *librantis* pondere verbi
Undique collectis *discreverat* arida lymphis;
Litoribus pontum constringens, flumina ripis:

pondere verbi scilicet, quod, impetu magno cadens, et τομωτερον ὑπερ πασαν μαχαιραν διστομον, (epist. ad Heb. iv. 12.) omnia valebat separare, ac si foret acies validissimæ cujusdam securis, *decorticantis* arborem. Jam vero tempus poscit denique, lector! ut cognoscas, et in imo pectore recondas, bellissimum versiculum, quem propriis incudibus editores deformaverint; aurum Lucretii, quo nullum solidius, fulgentius, decoctiusque, propriæ rubiginis adulterinâ scabitudine nihil erubescentes infuscare, nec crimen tantæ perfidiæ reveriti:

Illa ipsa intervalla nihil de corpore *libant!!!*

Hoccine est vero, veteres scriptores edere, et curis criticis providere, ne bonæ literæ quid detrimenti capiant?

Ειη μη ποτε μοι τοι-
-ουτον ηθος, Ζευ πατερ!

Sis autem refer ad *spatiis*, in ver. 567.

Ver. 570. *nihil:* P. *nihilo;* prout edi solet, contra libros veteres: nam, quod addicant Vind. B. vereor, ne somnus collatoribus obrepserit. — *contractior ignis:* Vind. V. ed. Π. Σ. *contracti originis.* Nimirum, syllabâ postremâ vocis *contractior* semel divulsâ, dictionem nihili *orignis* in aliqualem saltem non destitutam sensu mox librarius, ut sibi scitulus videretur, iret immutatum: ita constanter error errorem parit.

Ver. 571. Hoc ordine versus hi scribuntur in Vind. V. ed. L. M. Ω. ver. 572. 573. 574. 571. deinde repetitur ver. 572. In Vind. Σ. ver. 571. suo loco deest, et sequitur ver. 574. Hujus autem versûs repetitio fecit, ut librarius O. codicis verr. 571. 573. 574. omnino prætermitteret. Interea, nulla est caussa, de quâ receptam loci constitutionem vel immutare, vel deserere, velimus.—Porro, vice *quoniam*, V. ed. *quom.*

Ver. 572. *et loca fulgent:* i. e. " uno " continuo lucis, per omne intervallum " meatûs, sulco loca media refulgent:" quod appositissimum est poëtæ scopo. Editores igitur excusationem non habent, qui temerariam et inutilem prorsus, libris omnibus vetantibus, imo insulsissimam, divinationem Lambini, *tingunt*, propagaverint; haud aliam ob rem, quam quia Lucretius vellet subinde constructionem orationis per suavem varietatem commendare. Indignum facinus!

Ver. 573. *filum:* sic Δ. et hanc verissimam lectionem extuderat egregia Turnebi sagacitas ex *illum*, lectione librorum Vind. V. ed. B. L. Π. Σ. de M. nihil liquet; Ω. *illinc;* P. *lunæ;* unde magna suboritur suspicio de male fido membranarum ejus testimonio; quam non dubitavimus in Bononianum illum editorem

Sive suo proprio jactat de corpore lucem;
Quidquid id est, nihilo fertur majore figurâ,
Quam nostris oculis, quâ cernimus, esse videtur.
Nam prius omnia, quæ longe semota tuemur

præfantes immurmurare.—Mox Ω. *veris*, pro *vere*.

Ver. 575. *sive:* O. Π. *sine.—notho:* Ω. *noto.*

Ibid. *Luna notho lumine.* Quali fuit in opinione Anaximander, teste Diogene Laërtio, ii. 1. affirmans, *την τε σελην̃ην ψευδοφαη, και απο ἡλιȣ φωτιζεσθαι.* Catullus, xxxiv. 15. ad Dianam:

Tu potens Trivia, et *notho* es
Dicta *lumine Luna.*

Arnobius etiam, lib. ii. p. 57. qui Lucretianas dictiones sedulo venatus est:— " excogitans deinde, quemadmodum *lu-* " *men* accipiat; non—ex sole conspecto, " sed *nothum* aliquid fiat, quod imagi- " nem luminis caligine interpositâ men- " tiatur."

Ibid. *loca lumine lustrans; συν φωτι περιπολȣσα.* Non aliter Virgilius, Æn. iv. 6.

Postera Phœbeâ *lustrabat lampade terras,*
Humentemque Aurora polo dimoverat umbram:

i. e. permeabat, peragrabat, *circumibat;* quarum ultima Serviana vox est, quem damnat Heynius immerito: nec minoribus in tenebris Burmannus errat, in notis ad Virg. Æn. iv. 607. Hinc libet pervagatissimæ locutionis affinitatem indicare, atque veram proprietatem declarare; quum videam eruditis viris rem nullo modo probe perceptam fuisse. Sit igitur exemplo summus idem vates, ibid. ii. 754.

——————— vestigia retro
Observata sequor per noctem, et *lumine lustro:*

i. e. *luce* corporis, *oculo* nempe, *lustro*, vel circumeo. Nihil ergo phrases discrepant, sed geminissimæ sunt gemellæ, sive *hominis* morem respiciant, seu siderum cœlestium: quod nemo vidit; aut saltem, si viderit, exposuit. Mantuanus ille suavissime locutionem variavit, ibid. x. 447.

——— stupet in Turno, corpusque per ingens
Lumina volvit, *obit*que truci procul *omnia visu:*

" oculos quasi præmitteret, qui *continge-* " *rent* illum, et *contrectarent.*" Adeas ad notata in iv. 409. et mireris, quam pauci venustates hasce poëtici sermonis exquisitissimas cum vero saporis intellectu degustaverint. Sed, nam tempus est, unde fleximus, redeundum.

Ibid. *sive notho lumine, Sive suo—:* ut ambigitur Epicuro apud Diog. Laërt. x. 95. qui locus Lucretium multimodis illustrabit: *Ετι τε ενδεχεται την σελην̃ην εξ ἑαυτης εχειν το φως· ενδεχεται δε απο τȣ ἡλιȣ· και γαρ παρ' ἡμιν θεωρειται πολλα μεν εξ ἑαυτων εχοντα, πολλα δε αφ' ἑτερων· και ȣδεν εμποδοσταται των εν τοις μετεωροις φαινομενων, εαν τις τȣ πλεοναχȣ τροπȣ αει μνημην εχῃ.* Confer nostrum, ver. 530.

Ver. 576. *suo:* ita signate, et vere, nobis saltem judicibus, V. ed. nam *sua* est in B. L. M. Π. Σ. reliqui, *suam;* quod vulgarem correctorem attingere videtur, de phrasi *suo proprio* dubitantem; sed immerito et indocte. Livius, iii. 70. 4.— " ancipiti terrore dissipasset hostes, ni *suo* " *proprio* cum prælio equites Volscorum " et Æquorum exceptum aliquamdiu " tenuissent." Neque aliter M. Tullius, Cæsar, alii; prout te lexica vulgaria docebunt: ut Græci, *τῳ ἰδιῳ ἑαυτης σωματι.*

Ibid. *jactat de corpore lucem:* committas iv. 1046. et locos ibi provocatos laudatosque. M. Tullius, Arat. 397.

Et Gemini, clarum *jactantes lucibus ignem.*

Lucibus autem, *oculis;* ut *nitorem* suum *jactabat* puella Venusina de toto *corpore*, et in primis vultu, od. ii. 8. 24.

580 Aëra per multum, specie confusa videntur,
Quam minui filum: quapropter luna necesse est,
Quandoquidem claram speciem certamque figuram
Præbet, ut est oris extremis quomque notata,
Quanta quoque est, quanta, hinc nobis videatur in alto.
585 Postremo, quosquomque vides hinc ætheris igneis,

——— tua ne retardet
Aura maritos.

Sed fallor equidem, aut scripsit Cicero:

——— jactantes *vultibus* ignem.

Pulchre vetus inscriptio apud Gruterum, p. 85.

Νηον μεν σιγαλοεντα Σαραπιδος ὑψιμεδοντος,
Ηδ' αυτον, ΧΡΥΣΟΥ ΠΑΜΦΑΝΟΩΝΤΑ ΒΟΛΑΙΣ—.

Et eo magis emendationi Ciceronianæ confidimus, quod uterque Geminorum duo præportent clara sidera in *facie*. Proprie Virgilius, Æn. viii. 527.

——— æraque fulgent,
Sole lacessita, et *lucem* sub nubila *jactant*.

Ver. 577. *nihilo fertur:* P. Vind. V. ed. Π. Σ. *nihil offertur;* ubi specimen aliud habemus librarii peccantis cum peccante librario conspirantis. Semel avulsâ scilicet τȣ *nihilo* literâ, et *ofertur* facto, non diu defuit, qui duplicaret *f*, atque, in quantum potuit, non propagaret antecessoris errorem modo, sed insuper roboraret.

Ver. 578. *quâ:* Vind. O. Δ. *quam;* Ω. *quia;* perperam. Ordo est, et constructio, "Fertur figurâ nihilo majore, quam "*ea figura*, quâ *eam* cernimus *figurâ*, "videtur esse nostris oculis." Havercampus non tenuit rem; dum ad *oculis* punctum poneret, et Burmannum laudaret ad Valer. Flacc. v. 325. quasi *quâ viâ* deberemus, per ellipsin, intelligere. Nimirum, Lucretius *quam* scripsisset, nisi vox eadem præcesserat, et κακοφωνιαν studeret evitare.

Ver. 579. *semota:* sic omnes omne genus libri; quod editores haud perterrefecit tamen, quin de propriis cerebellis nobis suum *remota*, si diis placet, expromerent. Os hominum! quasi non satis confidentiæ genuinam esse lectionem inde nancisceremur, quod librarii unanimes cum voce longe tritissimâ pepercerint mutare scripturam membranarum.

Ver. 581. *Quam:* P. *Qua;* L. M. *Quæ.* —*minui:* Π. *nimium;* cæteri, *minimum*, præter L. M. codices, qui præbent *minii;* quam proxime nostræ lectioni, quæ debetur acumini Bentleiano, sic super eâ docte ac feliciter disserenti: "Lego, *minui;* "non *minimum*. Ait eorum, quæ de "longinquo contemplamur, prius speciem "et formam confusam incertamque videri, "quam *filum* et magnitudinem deminu-"tam. Epicurus: Ει γαρ το μεγεθος δια "το διαστημα αποβεβληκει, πολλῳ αν μαλ-"λον την χροαν. Χροα, *color*, superficies: "noster, iv. 267. Et Pythagorei χροιαν "εκαλȣν την επιφανειαν τȣ σωματος. Con-"sulas Stob. eclog. i. 19."

Hæc magnus criticus. Concludit igitur a fortiori Lucretius: "Si distinctam *spe-"ciem* non amittit, multo minus *magni-"tudinem* suam amittet, *Luna*." Confer ii. 341. Et Epicuri verba Bentleio posita, legi possunt in Diog. Laërt. x. 91.

Ver. 582. i. e. "non modo figuram "definitam, neque ob intervalla mutatam, "sed speciem quoque, quod majus est, "minime confusam."

Ver. 583. *est oris:* Vind. *ostoris;* V. ed. *esteris.*

Ibid. *ut est notata:* i. e. "secundum "lineamenta corporis in quovis tempore; "adeo ut, si plena sit, plena videatur, "non gibba: ac similiter in formis cæ-"teris."

Quandoquidem, quosquomque in terris cernimus igneis,
Dum tremor est clarus, dum cernitur ardor eorum,
Perparvum quiddam interdum mutare videtur
Alteram utram in partem filum, quo longius absit;
590 Scire licet, perquam pauxillo posse minores
Esse, vel exiguâ majores parte, brevique.

Ibid. *oris extremis.* Virgilius, geo. ii. 171.

——— *extremis* Asiæ jam victor in *oris*—.

Ver. 584. Nihil unquam magis ad liquidum perduxi, quam me sinceras nunc hujusce loci lectiones exhibuisse. Nostris consentiunt, sic positis, exemplaria B. L. M. nisi quod ordine inverso dent vocabula *quanta est;* unde et corrumpitur versûs mensura, et redundat: Vind. V. ed. *quanta sunt;* P. *Quantaque sit nobis tanta hinc;* O. *Quanta quoque sunt hinc nobis;* Δ. *Quantaque sit tanta hinc nobis;* Π. *Quanto quoque quantaque sint hinc nobis;* Σ. *Quantoque quæque sunt hinc nobis;* Ω. *Quantaque sunt tanta hinc nobis*, rasurâ post primam dictionem factâ. Hæ autem dissimilitudines vel sunt depravationes crassissimæ scribarum, vel temerarii criticorum conatus, codicum suorum fidem posthabentes. Sic editio Juntina, prius quam subierat correctorem:

Quanta quoque est, *tanta* hinc nobis videatur in alto:

sed non dubitem, quin aliquis minus eruditus illud *tanta* de suo inculcaverit. Haud aliter Aldina. Terentius, Adelph. iii. 3. 40.

Tu, *quantus*, *quantus*, nihil nisi sapientia es;
Ille somnium.

Committas etiam Horat. sat. i. 3. 88. Bene Donatus, *quantuscunque*. Dicit igitur Lucretius: " Necesse est, ut luna " videatur nobis de terrâ quanta quanta " sit in alto:" i. e. eâ, quali sit re verâ in cœlo, magnitudine. Nimirum, in his formulis prior *tantus* passim subintelligitur.—Denique, Ω. *videantur*. Atque sic tandem ex his sordibus calamum expedivimus, et quibimus lætiora persequi, cum editionum vulgarium scripturas dederimus:

Quanta *hæc cunque fuat*, *tanta* hinc videatur in alto.

Havercampus autem, Preigero obsecutus, Muretum et Lambinum concinnanti, sic edidit:

Quanta quoque *hæc fuvat*, *tanta* hinc videatur in alto.

Alias referre poteram commentitias doctorum lectiones; sed nugas somniantium percensere valde piget, nec sane per otium nobis fas est, nec denique patientiâ lectoris abuti volumus.

Ver. 586. *quosquomque;* Π. *quousque.* —*in terris:* V. ed. *interis.*—*igneis* abest Vind. V. ed. Δ. Π. et *horum* scribitur in O. Ω. Corruptelam sublatere suspicor; et utinam de testimonio præstantissimorum exemplarium L. M. satis liqueret. Interea, perplacet codicis Σ. scriptura:

——— quosquomque in terris cernimus *esse*.

In versu priore, Π. habet *hic*, pro *hinc*.

Ver. 587. *Dum:* O. *Dumque.*—*tremor:* Σ. *cremor.*—*est* desideratur in Vind. V. ed. L. M. Δ. Π. libris; Σ. dat *et*. Nihil extrico probabile saltem, quod vulgatis anteponi debeat.

Ibid. *tremor:* vide supra, ver. 299. et ibidem dicta. *Clarus* autem valet *manifestus;* ut rei *evanidæ* intelligatur hic opponi vox: unde pendet antithesis Sallustiana, Catil. i. 4. " Nam divitiarum et " formæ gloria *fluxa* atque fragilis, virtus " *clara* æternaque habetur:" i. e. non effluit et decedit, sed manet *conspicua*,

Illud item non est mirandum, quâ ratione
Tantulus ille queat tantum sol mittere lumen,
Quod maria, ac terras omneis, cœlumque, rigando
595 Conpleat, et calido perfundat cuncta vapore.

neque *ostendi* cessat. Silius Italicus, i. 357.

Fulminis hæc ritu, summis e mœnibus arcis
Incita, sulcatum *tremulâ* secat aërâ *flammâ*.

Ver. 588. *Perparvum:* Vind. V. ed. *Per parum.*—*videtur:* nempe, *filum;* vulgo, *videntur:* et sic sane codd. Vind. M. si fas sit collatoribus credere; sed alibi Judæum Apellam quærant: apud nosmet fidem abnuere statutum est. V. ed. partes literæ *d* discrevit, *violetur* exhibens: redeas ad iv. 595. Cæterum, ut nihil prætermissum sit, Creechius et Havercampus ad absolutum verbi *mutare* usum, pro *mutari*, vel *se mutare*, inscitissime quidem offenderunt; quasi vel sit tritius aliud hoc schemate, aut magis alii, quam nostro Lucretio, in deliciis. Celsus, lib. ii. præfatione:—" cum recentio-" res quoque medici, quamvis in curatio-" nibus *mutarint*, tamen hæc illum opti-" me præsagisse fateantur." Consulas proporro Gellium, xvii. 12. hujusce dictionis exempla consimilia proferentem. Sed enim pudet, tædetque, trivialibus inhærere.

Ver. 589. *Alteram utram:* sic, ad archaïcam scripturæ castitatem, Vind. V. ed. B. L. M. Ω. vulgo, *Alterutram;* secundum orthographiam recentiorum, quam editores, novarum rerum cupidi, temere arripuerunt: O. *Altera utram.* Et an Priscianus, lib. v. p. 667. vi. p. 693. sit statim auscultandus, multum dubito; sed grammaticum lector consulat. Saltem vocabula in Lucretio, exemplaribus emendatissimis reclamantibus, non erant violenter constringenda. Cicero, epist. ad famm. vi. 3.—" video—hoc qui-" dem certe, cum sit necesse *alterum utrum* " vincere, qualis futura sit, vel hæc, vel " *illa*, victoria." Hinc recte constituam Plauti locum, quem pravissima distinctio graviter corrupit, ac dedit pessum. Exstat autem in Stich. i. 2. 61.

Haud male istuc. Age tu, *altera utra* sit conditio pensior?
Virginemne, an viduam habere?

Fedissime autem hæc solent hoc modo evulgari:

——— Age tu altera; utra sit conditio pensior——?

—*quo longius absit:* i. e. " si filum" (poëtice positum pro corpore ipso) " lon-" gius longiusque pedetentim amoveatur, " perquam pauxillo minus et minus fieri " videbitur:" toti poëtæ scopo quam commodissime. Sed editores tamen scelerosi sic ad arbitrium nobis Lucretium recoxere:

Alterutram in partem filum, *quom* longius *absint.*

Sane τὸ *quom*, vel *cum*, in Vind. exstare perhibetur: sed vapulet oscitans collator. Pius etiam interpungit post *partem*, ut *filum* redeat ad *absit:* unde vel sensui poëtæ, vel constructionis elegantiæ, nullus fructus accrescere videtur. Tædet profecto negotiosarum minutiarum, quas nobismetipsis non minus peperit, ac lectoribus nostris, Lucretianorum curatorum vel inscitia, vel socordia, vel temeritas.

Ver. 590. Ordo versuum in codicibus turbatur, hoc modo se habentium: ver. 589. 592. 593. 594. 595. 590. 591. et deinde ver. 584. repetitur in P. V. ed. O. Ω.

Ver. 594. *rigando:* ἀρδευσει· scaturigines lucis undique dispergendo: redeas ad ii. 147. iv. 203.

Ver. 595. *perfundat sol vapore:* ut speciose perquam Ausonius, Mosell. 222.

Hos Hyperionio quum *sol perfuderit æstu*——.

Huc referas Diogenis Laërtii ΔΙΕΡΗΝ

Nam licet hinc mundi patefactum totius unum
Largifluum funtem scatere, atque erumpere lumen;
Ex omni mundo quâ, sic elementa vapore
Undique conveniunt, et sic conjectus eorum

ΦΛΟΓΑ· quam locutionem videas in notis ad i. 731. Cæterum, hinc etiam Tacitum, ann. xv. 44. non intempestive videor aggressurus: "Erant tamen, qui crederent, "veterem illam formam salubritati magis "conduxisse; quoniam angustiæ itine-"rum, et altitudo tectorum, non perinde "*solis vapore perfunderentur*" Vulgo, *perrumperentur;* vocabulo rei minus accommodato: et poëticas phrases ille scriptor studiosissime sectatus est.—V. ed. *multi* pro *mundi*.

Ver. 596. *mundi totius unum funtem:* ita ut omnis rerum universarum calor non habeat aperturam, quâ possit effluere, præter unum solis spiraculum.

Ibid. *patefactum funtem.* Maro, geo. ii. 175.

——— sanctos ausus *recludere fontis*.

Ver. 597. *scatere:* V. ed. Π. *statere;* O. *stare.*—*lumen:* P. Π. *flumen;* minus bene.

Ibid. *Largifluum:* "adeo ut copiosis-"simum erumpat flumen, quamvis e "parvo *capite:*" conferas verr. 271. 282. hujusce libri. Vetus poëta, apud Ciceron. de orat. iii. 39.

Grando, mixta imbri *largifluo*, subita, præcipitans, cadit.

Et Juvencus vocem usurpavit, i. 103.

Largifluis humiles opibus ditavit egentes.

Ibid. *funtem scatere:* αναβλυζειν. Verbum est maxime proprium in hac re. M. Tullius, ex antiquo carmine, Tusc. dispp. i. 28.

Funteis scatere, herbis prata convestirier:

ubi consulas Davisium. Vetus inscriptio apud Gruterum, p. 178. "Imp. Diocle-"tianus—excavato saxo quæsitam *aquam* "jugi profluvio, ex tofo hic *scatentem*, "invenit—." Sic alii.

Ibid. *erumpere lumen:* i. e. activo sensu, *effundere*, emittere, eructare, lucem; ut απο κοινου sit το *funtem* repetitum, ne sine caussâ constructio turbetur. Tibullus, iv. 1. 86.

Fontibus ut dulces *erumpat* terra liquores.

Ubi ex omnibus, quæ congessit trivialia Broukhusius, nihil rei convenit, præter hoc exemplum Ciceronis, Arat. 176. ita scribendum:

Nec, toto spirans *rabidam* de corpore flammam,
Æstiferos validis *erumpit* flatibus *igneis*.

Libri, *rabido*. Redi notas in ver. 580. Virgilius, pulchre et apposite, geo. iv. 569. ad quem locum nihil equidem demutatum velim:

Et *caput*, unde altus primum *se erumpit* Enipeus.

Nec minus ad rem, ibid. iii. 428.

——— dum *amnes* ulli *rumpuntur fontibus*—:

i. e. *se rumpunt*, de mediæ vocis potestate. Quid autem? dum in hoc sumus, recte constituamus Gratiani versus, cyneg. 432. ad quos Burmannus provocavit:

Est in Trinacriâ specus ingens rupe, cavique
Introrsum reditus: circum atræ mœnia sylvæ
Alta *fremunt*, *ruptique* ambustis faucibus *Amnes:*

i. e. "atræ sylvæ, et Amnes, se faucibus "ambustis rumpentes, fremunt circa la-"tera declivia et sublimia, quæ vallant "specus." Vulgo, *premunt:* et de harum dictionum confusione me videas ad Virg. geo. iii. 85. cum var. lectt. ad Lucan. x. 321. ac Liv. vii. 6. 10. Claudianus, emendationi meæ suffragaturus, coram veniat, in Mall. Theod. cons. 237.

Torrentes immane *fremant*, lassisque minentur
Pontibus—:

600 Confluit, ex uno capite hicc' ut profluat ardor.
Nonne vides etiam, quam late parvus aquaï
Prata riget funs interdum, campisque redundet?
Est etiam quoque, utei non magno solis ab igni
Aëra percipiat calidis fervoribus ardor;

cum sublimi loco Maronis, Æn. xii. 701.

Quantus Athos, aut quantus Eryx, aut ipse, coruscis
Quum *fremit ilicibus*, quantus, gaudetque nivali
Vertice se adtollens, pater *Apenninus*, ad auras.

Coruscis autem, nutantibus, se commoventibus: in hoc enim loco vox nullam complectitur notionem *lucis*, ut neque in Æn. i. 164. uti perperam opinabatur Heynius: me videas ad Lucretium supra, ii. 320. et nuper, ad ver. 587. de *tremore* lucis vibrantis, sive *coruscantis*.

Ver. 598. *quâ:* i. e. ᾗ, δι' ἧς· *quâ viâ, per quam viam:* et redit vocula ad verbum *profluat*. Veram loci constructionem non tenentes, editores omnia pravis distinctionibus obscuravere, nec veriti sunt etiam audacissime corrumpere, rescribendo *quo*, contra omnium librorum veterum discrtissimam auctoritatem.—*vapore:* i. e. elementa *cum* vapore, vel prædita vapore; ad eandem figuram sermonis, quâ dicunt "vir multis virtuti-"bus, nullâ fide;" atque consimilia: quemadmodum Virgilius, geo. ii. 262.

——————— Optuma putri
Arva solo——.

Grex tamen ille temerarius editorum ex arbitrio reposuerunt *vaporis;* universis exemplaribus vetustis, quâ MSS. quâ impressis, tanto facinori occlamitantibus.—Cæterum, pro *sic*, O. et Δ. *sint*.

Ver. 600. *hicc' ut:* Π. *hinc*, omisso *ut*.—Atque demiramur editores, qui τέλειαν στιγμὴν ad finem versûs haud posuerint: quasi deberent hæc in sequentia continuari, sensu non impleto; aut sine his, quæ veniant, deficerent.

Ibid. *ex uno capite profluat:* confer sis ver. 271. Virgilius, geo. iv. 25.

——— seu stabit iners, seu *profluet*, humor——.

Ver. 602. *riget:* Π. *rigent.*—*campis:* P. V. ed. B. *campos;* docte, et forsan vere, non obstante loco in vi. 712. quum sic passim sermonem Lucretius lepide variaverit. *Redundet* autem tum pro *redundare faciat;* ut modo, ver. 597. *erumpere*, pro *faciat erumpere*. Papinius etiam eandem dictionem adhibuit active, in silv. iv. 3. 71.

Pontis Cæsarei reclinis arcu,
Raucis *talia* faucibus *redundat:*

quæ maxime faciunt ad nostrum, quum sit hoc tantummodo poëticum schema sermonis conversi, pro *talibus fauces redundat;* in numeros minus apte suos cadente. Sed pluribus et emendatioribus libris præstat obtemperare.—Cæterum, hanc arvorum irrigationem deductis fontium scaturiginibus, cum omni facilitate verborum, et ornatu suavium numerorum, vividissime Virgilius descripsit, in geo. i. 106—111.

Ver. 603. *igni:* Π. *igne;* cui libro ver. 604. deest. Et de *etiam quoque*, vide iii. 293. Sane *etiam* nihil est nisi *et jam*.

Ver. 604. *percipiat:* hæc lectio vulgarium editionum comparet in Δ. Σ. atque est haud dubie sincerissima: vero quam proxime L. *percipitat;* P. *præripiat;* reliqui, *præcipitat:* quæ vox si sensui conveniret, ratio structuræ mutandam saltem flagitaret in *præcipitet*. Igitur longe molliorem viam inivimus, dictionem maxime Lucretianam accipientes. Heinsius in adversariis ejus, p. 310. scribit, *percieat;* et similiter ad iii. 29. iv. 733. prorsus ἀπροσδιονυσως et infeliciter: neque dignas sane putavissem, quas lectoribus recenserem, hujusmodi leves con-

605 Opportunus ita est si forte et idoneus aër,
Ut queat adcendi, parvis ardoribus ictus:
Quod genus, interdum segetes stipulamque videmus
Adcidere ex unâ scintillâ incendia passim.
Forsitan et roseâ sol alte lampade lucens

jecturas, nisi claritate tanti nominis oculos præstringerer.—Porro, mallem, multo mallem, in hoc etiam versu, *validis*, loco τȣ *calidis;* sed codicibus non ausim insultare: redeas annotata in i. 301.

Ibid. *Aëra percipiat ardor.* Si rem interius attendas, alterum habemus specimen doctioris schematis, poëtis dilectissimi, pro vulgari *Aër percipiat ardorem;* (redeas nuper dicta ad ver. 602.) cujus exemplum nobis Mantuanus dedit, Æn. vii. 356.

Nec dum *animus* toto *percepit* pectore *flammam:*

pro Lucretianâ formulâ conversionis,

Nec dum *animum* toto *percepit* pectore *flamma.*

Ver. 606. *parvis ardoribus:* quos contra recte staret τȣ "*validis fervoribus*" in ver. 604. ad suspicionem nostram; ut Senecæ, Hippol. 969. *magnus fervor.*—Et *parvis*, quasi ex *multis* particulis minutis ardores constarent; ut *parvis humoribus*, vi. 1175. Similiter Gen. xlvii. 9. vulg. vers. "*Dies* peregrinationis meæ—"*parvi* et mali."

Ibid. *ardoribus ictus:* nempe, *telis* eorum; conferas autem i. 148. iii. 306.

Ver. 607. In hunc locum Mantuanus oculos forsitan intenderit, ad geo. iii. 99.

Ut quondam *in stipulis magnus* sine viribus *ignis*
In cassum *furit*——.

Ver. 608. *Adcidere:* sic vetustissimi codices et castissimi, L. M. undequaque recte. Nimirum voces *incendia passim* sunt ὑφ' ἓν accipiendæ. Dicit igitur Lucretius, "Latissima incendia accidere, "vel *attingere*, stipulam, ex scintillâ "unâ." Quibus nihil planius, et poëtice magis exquisitum, aut magis Lucretianum denique: conferas iv. 216. Virgilius, ad geo. ii. 303. his lucem injiciet:

Nam sæpe incautis pastoribus *excidit ignis*——:

et potissimum ad Æn. ii. 304. cujus loci Lambinus quoque prior recordatus est:

In *segetem* veluti quum *flamma*, furentibus austris,
Incidit——.

Ergo non necessum habeam cum editorum turbâ ad Florentinæ lectionem confugere, *Accipere* scilicet: cujus vocabuli ratio minus docta est, poëtica minus, et vulgarem dicendi morem resipit. P. Ω. habent *Accendi;* reliqui omnes, *Accendere;* ut L. etiam pro variâ lectione. Profecto, vox exquisitior in hoc usu nostra, *Adcidere*, cito migravit de solito librariis scriptoribus in *Adcedere;* deinde, in *Adcēdere*, seu *Adcendere.*

Ibid. *ex unâ scintillâ incendia passim.* S. Jacobus, epist. iii. 5. apposite: Ἰδȣ, ὀλιγον πυρ ἡλικην ὑλην αναπτει. Videas plura, huc spectantia, in nostræ Silv. Crit. sect. clvi.

Ver. 609. Sic magis placet hujusce versûs constitutio, ut legitur in Δ. codice, et editione Juntæ Florentinâ:

Forsitan et *roseus* sol *altâ* lampade lucens——.

Quibus favet etiam, quod *roseas* sit in O. atque *altâ* quoque in Σ. Virgilius, Æn. xi. 913.

Ni *roseus* fessos jam gurgite tinguat Ibero
Phœbus equos——.

Sed enim me tantum non habeo persuasissimum, a Lucretio scriptum esse, quod loci scopo longe fuerit commodius:

Forsitan et roseâ sol *late* lampade lucens——.

610 Possideat multum cæcis fervoribus ignem
Circum se; nullo qui sic fulgore notatus,
Æstifer, in tantum radiorum exaugeat ictum.
Nec ratio solis simplex ac recta patescit,
Quo pacto, æstivis e partibus, Ægocerotis

Scribas passim peccavisse dictionibus *latus* et *altus* commiscendis, notum est, et in confessis. Sic noster Popius:

So, when *the sun's broad beam* has tir'd the sight.

Conjecturis autem adstruendis non prorsus necessariis immorari nolim; nec contra consensum membranarum hac occasione quid novandum putem. Confer tamen P. Paulin. epist. iii. 220.

Ibid. *sol lampade.* Silius, Pun. vii. 143.

Sic, ut aquæ splendor, radiatus *lampade solis*,
Dissultat per tecta—:

ut ille alibi similiter, cum aliis.

Ver. 610. *cæcis:* i. e. obscuris, quos non oculi contingunt; vel, ut ipse Carus confestim explicuit, qui sunt fulgoribus destituti, et in effectibus solum sentiuntur.

Ver. 611. *se:* Π. Σ. *qui.—fulgore:* V. ed. *fulgure.*

Ver. 612. Prius hunc locum sinceritati suæ restitueram conjecturis, quam noverim codicem antiquissimum mihi suffragari in omnibus præter simplicem literulam; quum reposuerim *sic* arbitrarium pro *sit* librorum in versu præcedente, ne prorsus labasceret constructio: literas autem *c* ac *t* passim commutari centies animadvertimus in hujusce operis decursu, et est ignotum nemini. Verum enim, si magis libeat, reponere possis, loci salvis rationibus, *si* pro *sit;* quæ voces sæpiuscule in membranis sunt commixtæ. Jam vero librorum dissimilitudines ad examen revocentur. — *Æstifer in tantum:* M. *Æstifer vi tantum;* quod ipsissima est scriptura nostra, si probam dictionem, et qualem non respuent Camœnæ, concinnes ex lineamentis literarum: confer var. lectt. superius, ad ver. 359. P. *Æstiferum ut tantum;* atque sic vulgares editi: Vind. Π. *Æstiferum utantur;* V. ed. B. Σ. Ω. *Æstiferi utantur;* L. *Æstifer vitantur;* O. *Æstiferi notantur;* Δ. *Æstiferum utantur;* quæ sunt obviæ depravationes lectionum, quas nosmet exhibuimus. Bentleius τo *Æstifer* probavit.— *exaugeat:* V. ed. B. *exaudiat;* quod fortasse nimis ardens vocabulum videri possit, et audacius, quam locus facile admittat; sed minime displicuisset, nisi merum esse lapsum scribarum consensus librorum emendatissimorum coargueret. Novimus illud Virgilianum, geo. i. 514.

Fertur equis auriga, neque *audit currus* habenas.

Denique, Vind. *actum,* et Σ. *ictus,* pro *ictum;* pulchrius, et quod, alio quolibet addicente libro, statim accepissem.

Ibid. *radiorum ictum.* Horatius, od. ii. 15. 10.

Tum, spissa ramis, laurea *fervidos*
Excludet *ictus*——:

ubi veteres enarratores misere falluntur, de *fulminis* ictibus cogitantes.

Ver. 613. *ac:* ita P. V. ed. vox abest Vind. Δ. Π. vulgo, *nec;* O. Ω. *aut:* quod maxime probamus. Juntina, *et;* etiam bene. Neque aliter Virgilius, geo. i. 120.

Nec tamen———— nihil inprobus anser,
Strymoniæque grues, *et* amaris intuba fibris,
Obficiunt; *aut* umbra nocet——.

—*recta:* Δ. *rectaque;* vulgares editi, *certa;* libris omnibus repugnantibus, nisi quod collator sic retulerit de codice Vindobonensi: sed per somnium ex eburneâ, ni fallor, portâ.

Ibid. *patescit:* " ut *porta* scilicet, per

615 Brumaleis adeat flexus; atque, inde revortens,
Canceris ut vortat metas ad solstitialeis:
Lunaque mensibus id spatium videatur obire,
Annua sol in quo consumit tempora cursu:
Non, inquam, simplex hiis rebus reddita caussa est.

"quam rectâ possis ingredi, ad salutan-
"dam, atque amplectendam, in fano suo
"delitescentem, Veritatem." Haud dissimiliter Mantuanus, de secretis sacrisque Musarum saltibus irrumpendis, ad geo. ii. 175.

——— tibi res antiquæ laudis, et artis,
Ingredior; sanctos ausus recludere fontis—.

Ver. 614. *Ægocerotis:* O. Δ. *egloceronti;* Π. autem, *egloceruntis.*—Et puritatem Græci nominis Lucanus etiam conservavit, Phars. ix. 537. x. 213. cum Senecâ, Thyest. 864. sic castigando:

Pigram referens hyemem, gelidus
Cadet *Ægoceros; frangesque* tuam,
Quisquis es, urnam——.

Vulgo, *franget;* et pueriliter, nec apposite. Qui diagramma cœlestis sphæræ volet inspicere, veritatem emendationis meæ nolens volens agnoscet.

Ibid. *partibus:* i. e. Zodiaci sectionibus; ut Mantuanus, geo. i. 231.

——— certis dimensum *partibus* orbem——.

Ver. 615. *flexus:* V. ed. habet *fluxus.*

Ibid. Pulchri versus Maniliani, quibus non ignobilis poëta circulos cœlestes descripserit, Lucretii loco tempestivam operam navabunt. Leguntur autem in i. 566.

Alter, ad extremi decurrens sidera Cancri,
In quo consummat Phœbus lucemque, moramque,
Tardaque per longos circumfert lumina *flexus,*
Æstivi medio nomen sibi sumit ab æstu;
Temporis et titulo potitur: *metam*que volantis
Solis, et extremos designat fervidus actus:

i. e. "*metam,* quam se sol *circumagit.*" Nimirum, Bentleianam emendationem *axes,* vice *actus,* minus probo: in cæteris optime rem administravit vir sagacissimus.

Ver. 616. *Canceris ut vortat:* P. *Cancri iter uti vertat,* odiosissime; V. ed. *Canteris ut vertas:* bona Pii exemplaria vulgatis conspiravere.—*metas* abest Δ. Editiones nonnullæ ponunt *se* post *metas;* audacter, et inscite: cui testis sit Silius Italicus, i. 693.

——— si perstet, surdus, in armis,
Pactorum, *vertant inde ad* Carthaginis arces:

cum ipsissimis verbis Cari. Sed enim de hoc genere verborum, absolute positorum, sæpius jam diximus. Vide ad iv. 138. et similem venustatem in varietatibus lectionum ad ver. 517. superius. Confitendum est interea, voces *revortens* et *vortat* sic minus eleganter contexi tamen, atque auribus lautorum hominum compurgatis insuavius accidere. Forte an posuerit Lucretius:

——— atque, inde revortens,
Canceris ut *veniat* metas ad solstitiales.

Certe, Lucretii maximus sectator, miratorque, non aliter locutus est, ad Æn. x. 472.

——— Et jam sua Turnum
Fata vocant, *metas*que dati *pervenit ad* ævi.

De permutatis autem dictionibus *venio* ac *verto,* consule sis Drakenborchium, ad Liv. iv. 6. 1. et v. 49. 5.

Ibid. *Canceris;* a recto *Cancer* neutrius generis: vide Priscian. lib. vi. p. 697. Arnobius, de *morbo,* lib. i. p. 30.—"con-
"tumaciam *canceris* sævi—:" quem locum et Havercampus indicaverat. Celsus autem, in masculino quoque genere, de med. iv. 16. "Valensque est etiam ad-
"versus *cancerem* intestinorum—." Qui

620 Nam fieri, vel cum primis, id posse videtur,
Democriti quod sancta viri sententia ponit:
Quanto quæque magis sint terram sidera propter,
Tanto posse minus cum cœli turbine ferri:

vero hujusce declinationis formam de *signo cœlesti* adhibuerit, si nostrum excipias, nullibi reperio.

Ibid. *metas sol.* Non alienus est huic loco Papinius, in Achill. i. 455.

——————— ibi ingens
Juratur bellum, donec *sol annuus* omnes
Conficeret metas——:

i. e. "*dum* conficeret zodiacum." Sin aliter accipias illud *donec*, ratio temporum minime constabit in hoc loco.

Ver. 617. *mensibus id:* P. V. ed. *mensibus ad;* alii codices Pii, *mensis ut id.*

Ibid. *mensibus.* Hæc locutio, pro *singulis mensibus*, paucos erat, opinor, vel e doctioribus remoratura; sed docendus es, lector! esse eam longe rarissimam, et cui paucas invenies parallelas. Nimirum, quoties nomen sit ita nude positum, sine adjuncto quolibet, in numero multitudinis, *duo* tantum solet plerumque significare; ut apud Hebræos veteres, et ad Græci dualis instar. Polyænus, strateg. ii. 4. 1. Πελοπιδας επολιορκει ΑΚΡΟΠΟΛΕΙΣ, απεχουσας αλληλων εκατον εικοσι σταδια: i. e. *duas* arces. Ita, ni fallor, capiendus est Achilles Tatius, i. 8.—και γαρ εις την προθεσμιαν των γαμων χρονος εστιν ΗΜΕΡΩΝ· πολλα δ' αν γενοιτο και εν ΝΥΚΤΙ ΜΙΑ—. Hinc unâ operâ recte constituendus est Julius Capitolinus, in Pertinace imp. cap. 15. et maximi Casauboni dubitationes eximendæ: "*Stellæ* "etiam juxta solem per diem visæ sunt "clarissimæ ante *dies* quam obiret:" i. e. *binæ stellæ* significabant eum post *binos dies* moriturum. Nihil certius, aut appositius. Codex regius, *diem;* quasi *una* tantum stella fuerit: perperam, et inopportune. Addam Virgilium, geo. i. 235.

Quam circum *extremæ* dextrâ, lævâque, trahuntur:

i. e. *duæ* extremæ. Sed nos tempus monet, ut remissam telam repetamus, te remittentes tamen ad Pindari simile exemplum, in Nem. i. 60. simile apud Pausan. Att. cap. 33. p. 82. quod fraudi fuit Sylburgio, et Corinth. cap. 34. fin.

Ibid. *id spatium obire.* Multi dixissent *id spatii;* et forte Virgilius, quantum judicare liceat ex loco, mirâ numerorum magnificentiâ commendato, in Æn. vi. 802.

Nec vero Alcides *tantum telluris obivit*——.

Ver. 618. *consumit tempora.* Idem Virgilius pulcherrime, ecl. x. 43.

——— heic ipso tecum *consumerer* ævo:

i. e. "tibi dies omnes meos insumerem:" —"eadem hora et amori finem poneret, "et vitæ:"—uti rectissimè Burmannus Heyniusque contra Servii mentem explicant. Nec Persius sane venustate Maroni cesserit, sat. v. 41. imitatus tamen eum ad ecl. ix. 52.

Tecum etenim longos memini *consumere soles.*

Addatur Manilius, i. 530. tempestive:

Nec cadere in terram pendentia *sidera* cœlo,
Sed dimensa suis *consumere tempora* signis.

Cæterum, V. ed. habet *tempore*, pro *tempora.*

Ver. 619. *Non inquam:* P. V. ed. *Nonnunquam.*—*hiis:* P. *hic.*—*est:* Vind. *sunt.*

Ver. 620. *vel* abest Π.—*posse:* O. *forte.*—Et veterum philosophorum opiniones de conversionibus solis videas, si libeat vacetque, apud Plutarchum, de plac. phil. ii. 23. et D. Laërtium, x. 93. quos longum esset singillatim exscriptos dare.

Ver. 621. *sancta:* quasi scilicet ille *deus* fuerit, et alter Epicurus; sacrarum doctrinarum mysta: conferas dicta ad iii.

Evanescere enim rapidas illius, et acreis
625 Inminui subter, vireis; ideoque relinqui
Paullatim solem cum posterioribus signis,
Inferior multum quod sit, quam fervida signa:

15. cum i. 731. 1014. Porro, versus hic jam venit nobis supra, ad iii. 372.

Ver. 622. *sint:* V. ed. L. O. Δ. Π. Σ. Ω. *in;* elisâ scilicet utrobique literâ primoribus ambientium vocabulorum.

Ver. 623. *cum cœli turbine:* "quod "impetu scilicet velocissimo circum ro- "tatur, ad similitudinem volitantis tur- "binis:" conferas Virg. Æn. vii. 378. Manilius, iii. 388. de *gyrante cœlo:*

——————— laterumque meatus,
Turbinis in morem, rectâ *vertigine* currit.

Hac philosophorum sententiâ Silius usus est non illepide, ad Pun. v. 632.

——————— nam *turbine* motæ
Ablatis *terræ* inciderat——.

Ab hac insuper *celeri* rotatione cœli Virgilius pendet, ad Æn. ii. 8.

——————— et jam *nox* humida *cœlo*
Præcipitat, suadentque cadentia sidera somnos:

i. e. "de cœlo præceps fertur in ocea- "num." In Heynii enarratione, si voces converteris, et *oriente* ponas pro *occidente*, vicissimque *occidentem* pro *orientem*, omnia se rectissime habebunt. Sidera suis horis eundem cursum tenent utique, quem suis sol: *ab oriente* scilicet *in occidentem.* Idem vates, ibid. ver. 250.

Vertitur interea cœlum, et *ruit* oceano nox:

i. e. "impetu magno provolat, oceano "spreto, nox; circumacta mundani tur- "binis vertigine."

Ver. 624. *acreis*, vel *acris:* Δ. Π. *atris.*

Ibid. *Evanescere:* i. e. *sensim*, magis ac magis, *vanescere.* Signatum est, et efficax, et speciosum, vocabulum in primis. Cum solertiâ haud minus felici Venusinus, od. i. 1. 5.

——————— metaque fervidis
Evitata rotis——.

Quæ sunt exquisitissima. Nempe, "vi- "tata, sed vix vitata tamen, et tantum "non præstricta; sic spatium sibi lucri- "faciens per callidissimam peritiam auri- "gationis." Rem rite assecutus est commentator Cruquianus. Nescio cujus emendatio conjecturalis intolerabiliter odiosa est, ita scribendum proponentis:

Si vitata rotis——.

Lucretianam vocem, quo melius effectum, *pedetentim* consummatum, dignis coloribus depingeret, Virgilius excepit, ad Æn. iv. 278.

Et procul in tenuem ex oculis *evanuit* auram.

Hanc esse verissimam potestatem hujusce vocis, et quarundam consimilium, usu deprehendes; et hinc valebis non paucis locis veterum et efficacem et indubitatam medicinam admovere. Sed enim, dum in hoc sum, unum atque alterum specimen talium emendationum exhibebo. Lucanus primus adsit, Phars. iii. 7.

——— dum patrios portus, dum litora, numquam
Ad visus reditura suos, tectumque cacumen
Nubibus, et dubios cernit *vanescere* montes.

Exspectaveram in hoc loco φυσικωτατον poëtam omnes ingenii vires contendentem, certissime scripturum esse, ad veritatem rei, *evanescere:* neque aliter comparet scilicet in uno codice et editione unâ; Musis tamen indignantibus. Nimirum, mihi est in clarissime compertis, Annæum dedisse primitus:

——— et dubios *videt evanescere* montes.

Haud aliter Rutilius, itin. i. 433. certo certius, castigandus est:

Sic dubitanda solet gracili *evanescere* cornu
Defessisque oculis *Luna* reperta latet.

Et magis hoc lunam; quanto demissior ejus
Cursus abest procul a cœlo, terrisque propinquat,
630 Tanto posse minus cum signis tendere cursum.
Flaccidiore etiam quanto jam turbine fertur,
Inferior quam sol, tanto magis omnia signa
Hanc adipiscuntur circum, præterque feruntur.
Propterea fit, ut hæc ad signum quodque revorti

Libri, *vanescere:* vide Burmannum. Sed revertar in viam, cum monuero, permultos esse locos, quâ in ligatis scriptis, quâ solutis, ubi finalis *e* dictionis præcedentis elisit primam literam *τȣ evanescere*, quod proinde vulgaris lectio *vanescere* infeliciter ejecit; et emendavero Nasonem, ad amor. iii. 7. 31. ubi miror hoc Heinsium effugisse:

Carmine læsa, Ceres steriles *vanescit* in herbas.

" *Sterilem herbam* libri meliores," dicit vir sagacissimus. Et quid mirum? cum procul dubio posuerit Ovidius:

——— sterilem *evanescit* in herbam.

Ver. 626. *signis:* P. Vind. V. ed. B. O. Σ. Ω. *ignis;* ita ut referatur ad sequentia, factâ distinctione post *posterioribus.* Perperam; cum manifestum sit, quid *s* literam eliserit.

Ver. 276. *Inferior multum:* πολλον κατωτερος. Ita legitur in P. Vind. V. ed. B. O. Δ. Σ. Ω. vulgati, *multo:* quod si re verâ sit in vetustissimis exemplaribus L. M. nihil aliud esse credam, quam facile peccatum *τȣ multō* vel *multom*, mutati cum simplice *multo;* ut sæpe alias.

Ver. 628. *hoc:* i. e. *ob* hoc, propter hanc caussam; ut noster centies, et alii. Ordo est, ac sensus: " Et magis (a fortiori nempe) hac de caussâ lunam tanto " minus posse tendere cum signis, quan- " to—" etc. quibus quid clarius, mollius, aut expeditius, desiderari potest? Editores nihilo minus, nimium faciles, ne gravius aliquid in eos dicam, insititium illud Lambinianum *et* post *lunam* propagare non expaverunt.

Ver. 629. *Cursus abest*—. Fallor egomet vehementer, aut hæc variavit noster, et olim scripsit:

——— quanto demissior ejus
Currus abest procul a cœlo, terrisque propinquat:

vide nos ad ii. 147. de hoc peccato librariorum.

Ver. 630. *tendere cursum.* Pariter Virgilius, ad Æn. v. 834.

——— ad hunc alii *cursum contendere* jussi:

i. e. *junctim tendere;* de pluribus.

Ver. 631. *Flaccidiore:* Vind. V. ed. B. Δ. Π. Σ. Ω. *Flaccidior;* *τῳ e* dictione, quæ subsequitur, expresso. *Flaccidiore* autem valet molliore, *laxiore*, languidiore. Arnobius, lib. ii. p. 79.—" (Plato) homi- " nis fabricam indignam esse rebatur " Deo; nec rei *flaccidæ* fictionem mag- " nitudini ejus et eminentiæ convenire."

Ver. 633. *Hanc:* Π. *hac.—feruntur:* V. ed. *ferantur.*—Porro, voces *signa circum* ὑφ' ἓν accipiendæ sunt, pro *signa cingentia;* quod in re pari nuper ediximus faciendum ad ver. 608. nam editores vulgo ὑποστιζȣσι post *adipiscuntur;* perperam: quod Bentleius quoque perspexerat.

Ver. 635. *videatur:* Δ. *videantur.—quia:* V. ed. *qua.*—In versu præcedente, Π. *id*, pro *ad.*

Ibid. *Mobilius:* i. e. *velocius*, aptius ad movendum. Virgilius, geo. iii. 165.

Dum faciles animi juvenum, dum *mobilis* ætas:

i. e. *velox*, abusive; quia majores mutationes scilicet, vel majoris celeritatis effectus, illa ætas habeat. Vel etiam, quod supra dixerat juventutis fugam maturari, in ver. 66.

635 Mobilius videatur, ad hanc quia signa revisunt.
Fit quoque, ut e mundi transvorsis partibus aër,
Alternis, certo fluere alter tempore possit,
Qui queat æstivis lunam detrudere signis
Brumaleis usque ad flexus, gelidumque rigorem:
640 Et qui rejiciat gelidis ab frigoris umbris
Æstiferas usque in parteis, et fervida signa.

Optuma quæque dies miseris mortalibus ævi
Prima fugit:

i. e. viget majore mobilitate.

Ibid. *ad hanc revisunt:* redeas ad ii. 359. 360.

Ver. 636. *e mundi:* Ω. *emundi;* Π. *eundi.*

Ver. 637. *Alternis:* Δ. *Alterius;* quam permutationem, ob similem literarum circumcæsuram, in superioribus factam vidimus: de quibus index criticus consulendus est.

Ibid. *alter aër;* qui alternet cursus signorum scilicet, ea remittendo ab australibus partibus, post quam prior aër illuc a borealibus dejecerit.

Ver. 638. *lunam:* vulgo, *solem;* sed has voces, hic et in ver. 642. sedes invicem commutavisse, vidit sagacissime Bentleius; et extra cavillationem omnem ac dubitationem jacet hæc viri summi restitutio. Nemo, tenore loci diligentius perpenso, refragabitur. Plura videas ad ver. 642. si plura desideres, ex abundanti dicta.

Ibid. *queat aër detrudere.* Sic censuit etiam Anaximenes, teste Plutarcho, plac. phil. ii. 23. Αναξιμενης, ὑπο πεπυκνωμενου αερος και αντιτυπου εξωθεισθαι τα αστρα: quod Epicurus nuncupavit compressiore phrasi αερος αντεξωσιν, apud Diog. Laërt. x. 93.

Ibid. *æstivis lunam detrudere signis.* Consimilem figuram versûs Mantuanus forsitan hinc effinxit, ad Æn. vi. 584.

——— superisque Jovem *detrudere* regnis.

Ver. 639. *rigorem:* V. ed. *rigore;* pro *rigorē.*

Ibid. *gelidum rigorem:* i. e. rigidam brumæ glaciem. Manilius de *brumâ*, ii. 419.

Hinc *rigor*, et *glacies*, nivibusque albentia rura.

Martianus Capella, lib. i. p. 9. ed. Lugd. —" plena undosæ Hyemis, atque *algidi* " *rigoris*, nec non etiam pruinarum." Neque aliter alii.

Ver. 640. *gelidis:* Ω. *gelidus.*—*ab:* sic P. ad Lucretii morem; neque aliud vult *το ad* in V. ed. Vulgo, *a.* Atque, ob molliorem literarum in proferendo commixtionem, non dubitem, quin Virgilius sic scripserit, ad ecl. vii. 6. quum codd. MSS. collatores has minutias haud tanti fecerint plerumque, ut recensione dignas existimarent:

——— dum teneras defendo *ab* frigore myrtos—.

Pro *umbris*, Ω. *unbris;* unde V. ed. *imbris.*

Ibid. *frigoris:* i. e. *brumæ;* ut Maro, ecl. ii. 22.

Lac mihi non *æstate* novum, non *frigore*, defit.

Nimis autem sunt arguti, cum distinctione suâ subtili, post *æstate*, Heinsius et Burmannus; quos Heynius prudentissime neglexit.

Ibid. *umbris.* Hoc dicit ob majorem *noctium* brumalium longitudinem. Similiter Mantuanus, de continuis Scythiæ *noctibus* per hyemem, in geo. iii. 362. locutus est:

Tum sol pallentis haud umquam discutit *umbras;*
Nec quum, invectus equis, altum petit æthera, nec quum
Præcipitem Oceani rubro lavit æquore currum:

i. e. " sol, qui cæteris gentibus de solito

Et ratione pari solem stellasque putandum est,
Quæ volvunt magnos in magnis orbibus annos,
Aëribus posse, alternis, e partibus ire.
645 Nonne vides etiam divorsis nubila ventis
Divorsas ire in parteis, inferna supernis?

" surgit occiditque, illis nunquam sur-
" git; nullâ die semestris nox excipitur."
Nam *Scythicas gentes*, ultra quas nihil antiquis certe notum, pro *maxime borealibus* auctor posuit; et versus tertius solummodo inservit, ad poëtarum solennem consuetudinem, ornamento lætiori, ac sensui quadrando: ut etiam *lac æstate novum* scilicet in versu jam superius admoto; quod immerito scrupulum summis criticis injecit. Nimirum, Servius sensum scriptoris non assecutus est; et vereor, ut alius quivis probe intellexerit, quantum equidem valeam discernere. Consulas autem sequentes verr. 376. 379. Maronis, atque honoratum grammaticum ibidem fluctuantem.

Ver. 642. *solem—volvunt magnos annos:* universi libri, *lunam;* sed longe mendosissime: et huic crisi, confirmationis cujusquam si indigeat, præter manifestissimum loci scopum, qui nostram lectionem haud repudiandis conviciis efflagitat, imitatio Virgiliana suffragatur, ad Æn. iii. 284.

Interea, *magnum* SOL *circumvolvitur annum.*

Nec non juvabit Seneca, in Thyest. 847.

Hic, qui, sacris pervius astris,
Secat obliquo tramite zonas,
Flectens *longos Signifer annos,*
Lapsa videbit sidera *labens.*

Sic reseribendum *dico.* Vulgatur *labens;* quod cum *lapsa* in eodem versiculo quis vel venustulus feret patienter? Confer nostrum Carum, ii. penult. et iv. 1256. De hac permutatione diximus alibi, et insuper Drakenborchium consulas, ad Liv. xxxix. 9. 1.

Ver. 643. *Quæ volvunt magnos in magnis orbibus annos.* Annum solarem vel verbis magnificentioribus Mæonides descripsit, ad Il. B. 134. quem non gravabimur apponere:

Εννεα δη βεβασασι ΔΙΟΣ ΜΕΓΑΛΟΥ ΕΝΙΑΥΤΟΙ.

Διος δε μεγαλυ ενιαυτοι, αντι τυ ἡλιυ· μετρον γαρ κινησεως ἡλιακης ὁ χρονος εστιν.

Eustathius.

Ibid. *volvunt in magnis orbibus annos.* Hinc *orbis* solis, vel anni mensura, poëtis usurpatur pro ipso *anno;* ut Ovidio, fast. i. 1.

Tempora cum caussis, Latium digesta per *orbem:*

quæ sincerissima est istius versûs scriptura; et *το annum* plurium librorum merum haberi debet interpretamentum vocabuli doctioris: vide Virg. Æn. i. 269. et Burmannum utrobique consulas. Locus autem Maronis nobis perquam tempestivus superveniet:

Triginta *magnos volvendis* mensibus *orbis*
Imperio explebit——:

i. e. " regno potietur triginta *plenos* an-
" nos, per circuitum duodecim mensium,
" nihilo deficientium, exactos." Ita, ni fallor, declaranda est vis locutionis *volvendis mensibus;* quæ supervacanea videri poterat.

Ver. 644. *Aëribus:* P. *Aëreis;* V. ed. Ω. *Acribus;* O. Δ. *Aëris.—e:* Δ. Π. *a;* ut in editis vulgaribus.

Ibid. *e partibus:* nempe, e diversis alternatim cœli plagis; e borealibus ad australes, ac vicissim.

Ver. 646. *inferna supernis;* nimirum, inferna *diversa* supernis: ad gemellum schema regiminis isti ad iii. 1051. in divinis versibus:

——————— quorum unus Homerus,
Sceptra potitus, *eâdem aliis* sopitus quiete est.

Ver. 647. *illa:* V. ed. Π. *ille.—que-*

Quî minus illa queant per magnos ætheris orbeis
Æstibus, inter se divorsis, sidera ferri?
At nox obruit ingenti caligine terras,
650 Aut, ubi de longo cursu sol ultima cœli
Inpulit, atque suos ecflavit languidus igneis,

ant: Π. *queat:* cui cod. versus, proxime sequens, deest.

Ver. 649. *At nox:* V. ed. *Ac vox.*—Et hæc dicta sunt ex Epicuri sententiâ, quam a Diogene Laërtio, x. 92. sic accepimus: Ανατολας και δυσεις ἡλιȣ, και σιλȣνης, και των λοιπων αστρων, και κατα αναψιν ΓΙΝΕΣΘΑΙ δυνασθαι, και κατα σȣσεσιν, τοιαυτης ȣσης περισπασεως καθ' ἑτερȣς τινας τοπȣς, ὡστι τα προειρημενα αποτελεισθαι—. Sic locus est concinnandus, quem Gassendus et Meibomius misere vexaverunt, et corruperunt. Videas Anecdota Græca Villoisoni.

Ibid. *obruit caligine terras:* i. e. "ruit "ob, vel *in*, terras ingenti *cum* caligine;" nam fuerit tyronibus frugiferum non alere νȣν αδοκιμον, sed ubique veras orationis structuras diligenter investigasse: hinc enim solide proficitur.

Ver. 650. *Aut:* V. ed. *Ac;* volens *At*, quod comparet in Π. Σ. ut *Ast* in O. Σ. —*sol ultima:* sic luculentissime Vind. O. Ω. nec, nisi unâ literulâ, discrepat corruptela exemplarium V. ed. L. M. Σ. *solvet ima* scilicet; Δ. *solvet intima;* Π. *solve ima;* P. *sol extima;* ut vulgaribus in editis conspicitur. Sic *ultima mundi*, *ultima rerum*, et similia, in pervagatis sunt locutionibus. Confer sis autem i. penult.

Ibid. *Inpulit:* i. e. vel rotarum atque ungularum equinarum, vel radiorum, verberibus. Ad posteriorem notionem Claudiani locus facit, rapt. Pros. ii. 1.

Impulit Ionios præmisso *lumine* fluctus,
Non dum pura, *dies*——:

cum Virgilio, ut videtur, ad geo. iv. 51.

——— ubi *pulsam* hyemem sol aureus egit
Sub terras, cœlumque æstivâ *luce* reclusit—:

nam τα æstivâ *luce* απο κοινȣ ad *pulsam* referenda esse facile crediderim. Sed alteri opere maximo interpretationi favet sequentium verborum color in Lucretio; nec minus favet Catullus quoque, lxiii. 41. de *sole:*

*Pepulit*que noctis umbras vegetis *sonipedibus.*

His igitur acquiescendum puto, ac nihil ultra disquirendum. Est autem oratione elegantissime et potentissime figuratâ locus.

Ibid. *ecflavit languidus igneis:* i. e. "*equi* defessi suos ignes consumpserunt, "nec habent quos spirent amplius." Non venuste minus hanc imaginem Mantuanus exornavit, ad Æn. xii. 114.

——— alto se gurgite tollunt
Solis equi, *lucem*que elatis naribus *efflant.*

Ver. 652. *Concussos itere:* i. e. "lon-"gæ ac difficilis viæ succussionibus defa-"tigatos." Sermonem scilicet ab agente ad actionem, ab *equis* ad *ignes*, more poëtico venuste transtulit. Virgilius, Æn. viii. 3. hinc forte dictionem coloravit:

Utque acris *concussit equos*, utque *inpulit* arma—.

Ibid. *itere.* Sic solebant antiquissimi: vide Sosip. Charis. lib. i. pp. 63. 106. ex Julio Hygino, Pacuvioque, exempla proferentem. Nonius etiam Marcellus, viii. 13. suscitetur, ita castigandus et interpungendus: "*Iteris* positum pro itineris. Et "quidem recte ab eo, quod est iter, *ite-*"*ris* facit: *itiner*, itineris." Tum subjungit locos, vocem exhibentes, Novii, Accii, et Varronis: quos, apud ipsum quærendos, prætermitto. Juvencus, hist. evang. i. 245.

Ecce! *iteris* medio, stellam præcurrere cernunt,
Sulcantem flammis auras——.

Var. lectt. habent, *viæ;* haud dubie ex

Concussos itere, et labefactos aëre multo;
Aut, quia sub terras cursum convortere cogit
Vis eadem, supra quæ terras pertulit, orbem.

importuno quodam correctore. Idem mox ibid. ver. 291. ita scribendus:

Illum, per vicos *urbes*que, per abdita tecta
Perque *iteris* stratas, per notos perque propinquos,
Quærebat genetrix:

i. e. " per vicos, urbes, rusticorum casas " agris abditas, atque publica itinera." Vulgo, *urbis:* et eadem est hic etiam varietas in libris, ac superius. Rursus denique ibid. iv. 770.

Ecce! *iteris* medio clarus se ostendit Iesus——.

Et abeat in malam rem cum suo *viæ*, tertium inculcato, nescio quis odiosissimus ardelionum: quasi scilicet venerandam melioris ævi rubiginem hi scriptores non studiosissime suis carminibus inducerent. Sed genus istud scioli manus sacrilegas reliquiis omnibus antiquitatis altioris injicere temeriter solebant.

Ibid. *labefactos aëre multo:* " per iter " longissimum scilicet pulsibus aëris, " propter cursûs celeritatem, violentius " impingentibus, et corpora everberanti- " bus:" conferas iv. 936. vi. 1026.

Ver. 653. *convortere:* sic M. reliqui, pro more, ad recentiorum orthographiam, *convertere.*

Ibid. Hæc etiam est ex rationibus Epicuri; in cujus verbis apud Diogenem Laërtium, x. 92. monstrum restat jam nunc nobis debellandum: Κατ' εμφανειαν τε ὑπερ γης, και παλιν ΕΠΙΠΡΟΣΘΗΣΙΝ *(obscurationem)*, το προειρημενον δυναιτ' αν συντελεισθαι· ὡδεν γαρ των φαινομενων αντιμαρτυρει. In libris est, επιπροςθετησιν. Plutarchum in eâdem voce librarii corruperunt, de consol. ad Apoll. p. 121. B. tom. vi. p. 461. Reiskii: Ταυτα δε παντα ΕΠΙΠΡΟΣΘΗΣΙΣ γινεται, και τα ἑαυτων αμφιασματα και τα των κρινομενων. Vulgo, επιπροςθεσις. Reiskius infeliciter tentabat. Eandem medicinam præstantissimo scriptori sponte feceram, ad i. p. 160. E. rescribendo επιπροςθυντα pro επιπροσθεν οντα, prius quam intellexissem in var. lectt. ita exhiberi. Valde miror Reiskium, multæ lectionis criticum, hæsitavisse in vocabulo, quum alibi Plutarchus usus sit plus semel, alibi Diogenes Laërtius, Euclides in opticis aliquoties, Cleomedes in meteoris, Parthenius in eroticis, cap. 17. interpete non intellectus; Arrianus in tacticis, p. 78. si modo caste scribatur ad hunc modum: Τα κρανη δε ταυτα, ὑ καθα περ τα εις μαχην πεποιημενα, προ της κεφαλης και των παρειων προβεβλητται μονον, αλλα ισα παντη τοις προσωποις ποιειται των ἱππεων, ανεῳγοτα κατα τυς οφθαλμυς, ὁσον μη ΕΠΙΠΡΟΣΘΕΙΝ τῳ ὁραν γιγνομενα, ΚΑΙ σκεπην ὁμοιως παρεχειν τῃ οψει. Libri, επιπροσθειν, omisso και. His addas Heracliden Ponticum, Strabonem, Polybium, Clementem Alexandrinum, aliosque.

Ver. 654. *supra:* sic Vind. V. ed. O. Δ. Ω. reliqui, ut edi solet, *supera;* sed an omnes de codicum fide, vehementer dubito: et editores voces inversas exhibent, *terras quæ;* libris nullis huic importunæ temeritati suffragantibus, sat scio; utcunque super membranis B. L. M. altum sit silentium collatorum.

Ibid. *terras.* Forte, *terræ.* BENTLEIUS. Sic alii, quos Lambinus memorat. Cui tandem bono? Virgilius haud aliter de *sole*, in geo. i. 442.

Conditus in nubem, medioque refugerit *orbe*—.

Unde idem vates sic fortassis leviter castigandus restat, ad Æn. viii. 97.

Sol medium cœli conscenderat igneus *orbe:*

vulgo, *orbem.* Ibid. iv. 184.

Nocte volat *cœli medio*, terræque——.

Non confidenter de hac conjecturâ pronunciem, neque verbum addam amplius, ut ut arbitrer veræ similem, cum monucro nihil obstare ibid. iii. 512.

655 Tempore item certo roseam Matuta per oras
Ætheris Auroram defert, et lumina pandit;
Aut, quia sol idem sub terras ille, revortens,

Nec dum orbem medium Nox, Horis acta, subibat:

i. e. medium cursûs ejus circularis.—Porro, vates ille sic utramque Lucretii hypothesin in geo. i. 247. exposuit:

Illic, ut perhibent, aut intempesta silet nox
Semper, et obtentâ densantur nocte tenebræ;
Aut redit a nobis Aurora, diemque reducit:
Nosque ubi primus equis oriens adflavit anhelis,
Illis sera rubens accendit lumina Vesper.

Ver. 655. *roseam Matuta:* sic P. Δ. soli; Vind. O. Σ. *rosea matura*, et Δ. sane *rosea;* V. ed. Π. *rose amatura;* L. M. Ω. *roseam matura:* de B. nihil liquet. Nec profecto prorsus contemnendam existimo lectionem *matura*, ut de *Nocte* intelligatur, ver. 649. quæ, eodem sermonis schemate, ad maturitatem suam perducta, dici potest *Auroram deferre*, quo illud Horatianum, od. i. 3. 16. de *Noto* usurpatur:

Quo non arbiter Adriæ
Major tollere, seu *ponere* vult, *freta:*

et alia nonnulla in poëtis. Verum enim vero, quamvis me codicum venerabilium consensus semper nonnihil labefaciat, recepta lectio, ut est elegantissima procul dubio, casta præterea undequaque videtur, et rectissimâ proprietate. Attendas autem velim, quam suo ordine procedant omnia, et concinne quadrent. *Matuta* nimirum, quæ est Leucothoë dea, sive Albunea, *Auroram* præcedit, atque ancillari quodam ministerio deducit: i. e. *alba lux* gradatim pedetentimque *roseæ*, vel rubræ, *luci* locum dat. Quo quid verius et appositius? Inspicias modo, quæ dixerim in Silv. Crit. sect. ccix. Lucretium potenter illustrantia; ut ea vicissim non mediocriter illustrantur et roborantur. Adeas etiam Nonium Marcellum, in i. 337. ac nihil ultra desiderabis.

Ibid. *roseam Auroram.* Callimachus, impendio venustus in lavac. Pall. 27.

Ω κωραι, το δ' ΕΡΕΥΘΟΣ ανεδραμε ΠΡΩΙΟΝ, οιαν
Η 'ΡΟΔΟΝ, η σιδας κοκκος, εχει χροϊαν:

i. e. *ille*, vel talis, *rubor;* δεικτικως, et eleganter: nam articulus perperam visus est Ernesto supervacaneus, eorum nimis argutas subtilitates defendenti, qui πρωϊον ad ῥοδον perquam intempestive retulerunt.

Ibid. *per oras Ætheris;* sicut olim *Phaëton* in Ovidio, met. ii. 202.

Exspatiantur equi; nulloque inhibente, *per oras*
Ignotæ regionis eunt; quâque impetus egit,
Hac, sine lege, ruunt; altoque sub *æthere* fixis
Incursant stellis——.

Sic, opinor, emendandus est: libri, *per auras;* parum apposite. Manilius, ii. 792.

Alter ab adversâ respondens *ætheris orâ*——.

Ver. 655. *Matuta Auroram defert.* Pulchre variavit Homeream formulam, in Il. A. 477.

——— ΗΡΙΓΕΝΕΙΑ φανη ροδοδακτυλος ΗΩΣ.

Ver. 656. *defert et:* Vind. *deferre;* V. ed. *deferte*, i. e. *defert ē;* L. *deffert et;* M. O. Ω. *differt et*, i. e. dispergit; ut et Pii quidam codd. nec male suo loco, sed hic imagine multo minus elegante, atque etiam superfluâ, ob sequentem dictionem *pandit.*

Ibid. *Aurora defert;* obsequiosum scilicet per officium deducit. Tempestive Naso, de *Hercule*, flumen Evenum perrumpente, ad met. ix. 117.

Nec dubitat, nec, quâ sit clementissimus amnis,
Quærit; et *obsequio deferri* spernit *aquarum.*

Quæ, ut omnia istius fecundi pectoris, sunt exquisitissimæ profecto venustatis.

Ibid. *lumina pandit;* ob *divergentes* in quamlibet partem radios: vide me ad i. 145. Sic etiam Valerii Flacci lepos, vii. 548.

Anticipat cœlum, radiis adcendere tentans;
Aut, quia conveniunt ignes, et semina multa
660 Confluere ardoris consuerunt tempore certo,
Quæ faciunt solis nova semper lumina gigni.
Quod genus, Idæis fama est e montibus altis
Disparsos igneis orienti lumine cerni;
Inde coire globum quasi in unum, et confacere orbem.

Vos mihi nunc primum in glebas invertite, tauri!
Æquora: nunc totas *aperite*, et volvite, *flammas*.

Ad quem locum Heinsiana emendatio omnium est longe longeque infelicissima. Si quid mutandum foret, mallem versum ἀσυνδέτως decurrere, hoc modo:

——— nunc totas aperite, *evolvite*, flammas.

i. e. *explicate;* committas Carum nostrum, ad ii. 881. De his autem docti viderint: aliud agendum nobis est. Nimirum, tenor orationis figuratæ, quo versus Lucretiani perducuntur, per vocabula *defert*, *oras ætheris*, et *pandit*, cum frequentissimâ dictionum, quas innuo, permutatione, me cogunt credere nostrum sic initio scripsisse:

Tempore item certo roseam Matuta *per oras*
Ætheris Auroram *defert*, et LIMINA *panait*.

Quid opportunius, et elegantius, aut ex omni parte convenientius? Nempe, "post-" quam Matuta sit Auroræ ancillata us-" que ad extremitates ætheris, lucidis " *digitis*, ut *ingrediatur* mundum inferi-" orem, ei *portarum valvas aperit*, atque " intromittit obsequiose." Plaudent, opinor, utrâque, quicquid est lectorum lepidiorum. Sed in re familiari satis ac manifestâ, satis duxero singularem locum ex Ovidio suscitasse, met. ii. 112.

——— ecce! vigil rutilo *patefecit* ab ortu
Purpureas *Aurora fores*, et plena *rosarum*
Atria———.

Ver. 657. *ille:* Π. *inde;* minime ineleganter, et aliquantulum dubito an non etiam melius.—Cæterum, hanc sententiam Avienus contemplatus est in or. marit. 646. ita legendus et complendus:

Scis nam fuisse ejusmodi sententiam
Epicureorum, non *ab* occasu premi,
Nullos subire gurgites, nunquam occuli,
Sed obire mundum, obliqua cœli currere,
Animare terras, alere lucis pabulo
Convexa cuncta, et in vicem regionibus
Certis negari, candidam Phœbi facem.

Ver. 658. *Anticipat tentans:* i. e. "luci " splendidiori præludit, quasi prævium " faciens experimentum sui." Pulcherrima est locutio. Virgilius, geo. iii. 232.

Et *tentat* sese, atque irasci in cornua discit,
Arboris obnixus trunco; ventosque lacessit
Ictibus, et sparsâ *pugnam proludit* arenâ.

Vulgo, *ad pugnam;* sed præpositio non comparet in nonnullis exemplaribus ad Æn. xii. 106. et recte omitti fere certum est ex Rutilii imitatione, itin. i. 257. et Avieni loco, perieg. 1366. quem ad Rutilium Burmannus posuit. Exquisitior scilicet dicendi ratio librariis displicuit. Neque nostris obstant suspicionibus, imo favent potius, si attentius inspiciatur res, quamvis docti aliter senserint, ea loca, in quibus casus tertius verbum comitetur, quum et hic supplendus sit. "Taurus uti-" que hanc *pugnam* proludit majori *pugnæ*."—Porro. mox Π. *sydera*, pro *semina*.

Ver. 659. *conveniunt ignes et semina ardoris:* per hendyaden, "ignea et ar-" dentia semina;" ut in loco Minucii Felicis, sect. v. quem Lambinus admovit, et ad quem Davisius recordatus est Lucretii: "Sic, *congregatis ignium seminibus*, " soles alios atque alios semper splen-" dere." Porro, Servius, ad Virg. geo. i.

665 Nec tamen illud in hiis rebus mirabile debet
Esse, quod hæc ignis tam certo tempore possint
Semina confluere, et solis reparare nitorem.
Multa videmus enim, certo quæ tempore fiunt
Omnibus in rebus; florescunt tempore certo
670 Arbusta, et certo dimittunt tempore florem:
Nec minus in certo denteis cadere inperat ætas

247. hæc respiciens:—" Epicurei dicunt, " non ire solem per alterum hemisphæ- " rium; sed semper his ab ortu colligi " scintillas, et fieri orbem solis."

Ver. 661. *solis nova semper lumina:* adeo ut oriens sol non alius sit atque idem occidenti, sed de novo prorsus confluentibus flammæ seminibus constitutus; sole, qui præcesserat, labefacto penitus consumptoque: ad hypothesin nimirum superiorem, in ver. 650—653.

Ver. 662. *Idæis:* V. ed. *Idacis;* Π. *Idiacis.—e;* O. *a;* Π. *in;* abest Δ.

Ibid. Hanc rem Diodorus Siculus, Lambino laudatus, retulit de hoc monte, in bibl. xvii. 7. Historici verba insigniter luxata et depravata, susque deque habita temerariis distinctionibus, nos concinnabimus atque corrigemus: Ιδιον δε τι και παραδοξον συμβαινει γινεσθαι περι τυτο το ορος, κατα την τυ κυνος επιτολην, εφ' ακρας της κορυφης, δια την νηνεμιαν τυ περιεχοντος αερος· ὑπερπιπτη ΓΑΡ γινεσθαι την ακραν της των ανεμων πνοης, ὁρασθαι δε τον ἡλιον, ετι της νυκτος ὑσης, ανατελλοντα· τας ακτινας ὑκ εν κυκλοτερει σχηματι ΤΕΘΡΑΜΜΕΝΟΝ, (*non condensatum*, vel coagulatum, *radios in speciem circularem:* vulgo, τετραμμενον. Docti rem tenebunt; et nos non lente festinamus) αλλα την φλογα κατα πολλας τοπυς εχοντα διεσπαρμενην, ὡςτε δοκειν πυρα πλειω θιγγανειν τυ της γης ὁριζοντος· μετ' ολιγον δε συναγεται ταυτα προς ἑν μεγεθος, ἑως αν γενηται τριπλεθρον διαστημα· και ποτε, ηδη της ἡμερας επιλαβυσης, το φαινομενον τυ ἡλιυ μεγεθος πληρωθεν την της ἡμερας διαθεσιν κατασκευαζει. Pomponium Melam, hinc expressum, uti Wesselingius aliique monuerunt, libet apponere, quum ad illustrandum Lucretium pulchre pertineat, i. 18. " Ipse mons (Ida)—ori- " entem solem, aliter, quam in aliis ter- " ris solet adspici, ostentat. Namque ex " summo vertice ejus speculantibus, pene " a mediâ nocte, spargi ignes passimque " micare," (i. e. *vibrare*, scintillare; vide nos, ad ii. 195.) " et, ut lux appropin- " quat, ita coire, ac se conjungere, vi- " dentur, donec, magis magisque collecti, " pauciores subinde, et una ad postre- " mum flamma, ardeant: ea, cum diu " clara, et incendio similis, effulsit, co- " git se ac rotundat, et fit ingens globus. " Diu is quoque grandis, et terris an- " nexus, apparet; deinde, paullatim de- " crescens, et quanto decrescit, eo clari- " or, fugat novissime noctem; et cum " die, jam sol factus, attollitur." Vide Vossianas observationes: nos tantummodo punctis, accuratius dispositis, sententiarum seriem connexam conati sumus clariorem exhibere. Conferas Priscian. perieg. 527. Eurip. Troad. 1068. Ion. 88. cum annotationibus meis ibidem; Plin. nat. hist. ii. 8. ed. Harduin. Nam fabula orta est ob altitudinem montis, mature radios solis accipientem, nondum supra horizonta visi.

Ver. 664. *confacere:* V. ed. *conficte;* Δ. *conficier.*

Ver. 666. *possint:* Vind. V. ed. Σ. *possit;* Π. *posset.*

Ver. 669. In V. ed. desunt omnes voces inter *florescunt* hujusce versûs et *tempore* venientis; oculo librarii repente in sequentem lineam dejecto. Porro, noster in argumento consimili versatur ad i. 175—181.

Tempore, et inpubem molli pubescere veste,
Et pariter mollem malis demittere barbam.
Fulmina postremo, nix, imbres, nubila, ventei,

Ver. 671. *in certo:* P. Ω. *incerto.*—Et, quæ sequuntur *minus* usque ad *incertis* in ver. 675. desunt membranis Δ.

Ibid. *denteis cadere:* nempe, intra septem annos post partum, teste Solone; cujus versus apponam, quum probabile sit ad illos nostrum respexisse:

Παις μεν, ανηβος ων, ετι νηπιος, ἑρκος οδοντων
Φυσας, εκβαλλει πρωτον εν ἑπτ' ετεσι·
Τυς δ' ἑτερυς ὁτε δη τελεσει θεος ἑπτ' ενιαυτυς,
Ἡβης εκφαινει σηματα γινομενης·
Τῃ τριτατῃ δε γενειον αεξομενων ετι γυιων
Λαχνυται, χροης ανθος αμειβομενης.

Exstant autem apud Clem. Alex. strom. vi. 16. et Phil. Jud. de opif. mund. p. 25. ed. Mangæi.

Ibid. *inperat ætas.* Lambinus pulchre contulit ipsum poëtam, ad i. 176. cujus loci lectio, nobis reposita atque vindicata, hinc etiam valide corroboratur:

Viteis *Auctumno* fundi suadente *videmus.*

Macrobius autem videtur oculos intendisse in priorem phrasin Lucretii, *inperat ætas*, ad somn. Scip. i. 6. " Post annos " septem, dentes, qui primi emerserant, " aliis, aptioribus ad cibum solidum, nas- " centibus cedunt.—Post annos autem " bis septem, ipsâ *ætatis necessitate* pu- " bescit.—Post ter septenos annos, flore " genas vestit juventa—." Quid impulerit Jos. Scaligerum ad solicitandum vanis conjecturis locum, divinare nequeo.

Ver. 672. *inpubem pubescere.* Exquisitâ sane elegantiâ sermo est, et curiosissimâ felicitate. " Ille ανδροπαις, qui *ple-* " *nam pubertatem* nondum attigerit, *ap-* " *propinquantis* tamen *pubertatis* indicia " præ se fert, *amictu lanuginoso* proser- " pente, mentumque et genas induente; " *barbæ capillaceæ* præcursore." Si pensites singillatim locutiones, mecum, laute lector! senties et agnosces in hisce ornamentis elaborandis incomparabilem Lucretii solertiam.

Ibid. *molli pubescere veste.* Huc pertinent unus et alter locus Virgilii, quos priores non neglexere. Primus legitur in Æn. viii. 160. ita scribendus ad nostrum infra, ver. 886.

Tum mihi prima genas *vestibat* flore *juventas.*

Quæ adumbrata sunt ex versu Solonis supra posito, et hinc per optimum interpretem explicando; nam nemo omnium in hunc usque diem vel minimâ ex parte intellexit:

Λαχνυται, χροης ανθος αμειβομενης.

languinosus fit, CUTE *genarum flore primulo barbæ* SE VESTIENTE. Nihil certius hac interpretatione. Phavorinus: Αμειβομαι, το ΠΕΡΙΒΕΒΛΗΜΑΙ και ΑΜΠΕΧΟΜΑΙ. Idem Maro, ibid. ver. 659.

Aurea cæsaries ollis, atque aurea *vestis:*

quam vocem de *barbâ* veteres magistri rectissime capiunt: vide Nonium Marcellum, i. 220. Demiror Heynium; quem certissimus linguæ Latinæ, si quis alius, auctor, Lucretium meum dico, dedocere poterat errorem suum: sed ecquis Lucretium curavit? Festus: " *Vesticeps* puer, " qui jam *vestitus* est *pubertate;* e con- " tra *investis*, qui nec dum *pubertate ves-* " *titus* est." Hac significatione vox *investis* gaudet in Apuleii met. v. sub fin. et Apol. non longe a fine. Vocem *vesticeps* vero Gellius usurpavit, in v. 19. hoc, ut videtur, sensu; et Ausonius, idyll. iv. 73.

Idem, *vesticipes* motu jam puberis ævi,
Ad mores, artesque bonas, fandique vigorem,
Produxi——:

i. e. barbæ fruticationem præmittentes. Tertullianus, de anim. sect. 56. " Ecce! " obiit, verbi gratiâ, infans, sub uberum " fontibus; puta nunc, *puer investis;* pu-

675 Non nimis incertis fiunt in partibus anni.
Namque, ubi sic fuerunt caussarum exordia prima,
Atque ita res mundi cecidere ab origine primâ,

" ta, *vesticeps;* qui tamen octoginta annos " victurus fuisset—." Vides dictionem esse in hoc usu acceptissimam, et pene propriam. Pulchrum distichon admovebo, ex Anthol. Lat. Burm. iv. 974.

Non potui parvus puerilem inplere juventam,
Nec *vestire* meam *flore* novo faciem.

Addas ibid. epig. cxix. 3.

Ora puer dubiæ signans lanugine *vestis.*

Ibi consulas Burmannum. Alia sunt ad manum, sed prægravari lectores meos nolim vel collatis elegantiis: ideoque desino.

Ver. 673. *demittere:* P. Vind. V. ed. Δ. Σ. Ω. *dimittere;* inscitissime, et sensu menti poëtæ plane contrario. Virgilius, ecl. viii. 34.

Hirsutumque supercilium, *promissa*que *barba:*

i. e. *demissa;* ut Servius. Idem, Æn. iii. 593.

——— Dira illuvies, *inmissa*que *barba.*

Quum vero duo libri dent *dimissa,* forte an Mantuanus præceptorem suum hactenus etiam sit secutus, et olim posuerit:

——— Dira illuvies, *demissa*que *barba.*

Sed enim pene oblitus eram lectores hortari, ut animum advertant artificium hujusce loci consummatissimum: suavissimam scilicet duarum dictionum repetitionem, cum omnigenâ poëticarum pausarum varietate; qualem frustra fortassis alibi quæsiveris:

——— quod hæc ignis tam *certo tempore* possint
Semina confluere, et solis reparare nitorem.
Multa videmus enim, *certo* quæ *tempore* fiunt
Omnibus in rebus; florescunt *tempore certo*
Arbusta, et *certo* dimittunt *tempore* florem:
Nec minus in *certo* denteis cadere inperat ætas
e mpore, et inpubem molli pubescere veste—.

Ver. 674. *Fulmina:* V. ed. Π. Ω. *Flumina.*

Ver. 675. *Non nimis incertis:* i. e. " non valde sunt incerta temporibus, nec " tamen æque certa, ac res positæ supe- " rius:"—" non semper eveniunt eodem " prorsus tempore, nec admodum diverso " tamen." *Nix* enim, et *imbres,* extra ordinem, aliquoties *æstate* fiunt; et *fulmina* rursus per *hyemem.* Si quid mutandum foret, minore cum literarum variatione poteras rescribere:

Non *minus hi* certis fiunt in partibus anni.

Sed anne hoc *verum* fuisset? Et profecto haud potuerit noster mentem suam pulchrius atque distinctius declarare: Pius tamen habet cum O. *Non minus incertis;* insulsissime. Faber scribendum dicit, *Non minus hæc certis;* æque male, et inscite. Sed nugis quid prodest immorari, obliteratione solâ dignis? Magnas insuper turbas cient Lambinus et Faber de sequentium duorum versuum sinceritate; sed importunas, intempestivas, temerarias. Distichon est argumento summopere concinens, simplex, dilucidum, et undequaque Lucretianum.

Ver. 676. *fuerunt:* P. Π. *fuerint;* O. *fuerant.*

Ver. 677. *ita:* Π. Σ. *uti;* ut hodierni editores: pessime.

Ibid. *mundi ab origine primâ.* Epicurus: κατα την εξ αρχης εν τη γενεσει τυ κοσμυ αναγκην.

BENTLEIUS.

Optime virorum! non leve mihi negotium facessisti, sic scriptoribus apponendis sine speciali locorum notatione. Verba autem citata Epicuri leguntur apud Diog. Laërt. x. 92. fin. Addam Virgilium, geo. ii. 33. versus exquisitissimos profundentem:

Non alios *primâ* crescentis *origine mundi*
Inluxisse dies, aliumve habuisse tenorem,
Crediderim—.

Consequiæ quodque est jam rerum ex ordine certo.
Crescere itemque dies licet, et tabescere nocteis,
680 Et minui luces, quom sumant augmina noctes;
Aut, quia sol idem, sub terras atque superne,
Inparibus currens amfractibus, ætheris oras
Partit, et in parteis non æquas dividit orbem;

Ver. 678. Impense lætor, et mihi valde placeo, ob verissime restitutam loci sane lubrici scripturam: cui ne lividuli quidem, opinor, si nolint esse famæ propriæ profligatores, audebunt obgannire. Versus in editionibus publico usu tritis sic solet exhiberi:

Consequa natura est jam rerum ex ordine certo.

Nec male forsitan, quamvis de Latinitate vocis *consequa* parum liqueat; nam alia sunt hujuscemodi in Lucretio, propter literarum vetustarum vastissimum naufragium, nobis ἅπαξ λεγομενα. Sic scriptus est etiam in Florentinâ, Juntinâ, codicibusque castigatis Pii; nec minus in O. Ω. Sed nostrum *Consequiæ* comparet in L. M. et vetusto codice Gronovii. Ac nullus dubito, quin Apuleii dictio prorsus una sit atque eadem, a recto *Consequia*, licet *Consequium* arriserit immerito, et sine caussâ, tam lexicographis, quam editoribus; met. v. p. 364. ed. Oudend. p. 103. ed. Pricæi: " At Psyche, statim resur " gentis ejus crure dextro manibus amba- " bus arrepto, sublimis evectionis *appendix* " miseranda, et per nubilas plagas penduli " comitatûs extrema *consequia*, tandem " fessa delabitur solo." Idem, ibid. x. p. 712. vel p. 224.—" posthabitis decoris " prædarum carpentis; quæ, partim con- " tecta, partim revelata, frustra novissimis " trahebantur *consequiis*.—" Jam vero Vind. *Conseque;* V. ed. *Consequæ;* veræ lectioni quam proxime: P. Δ. *Consequitur;* B. Π. *Consequere;* Σ. *Consequetur.* —*quodque est:* sic P. sed Vind. V. ed. B. L. M. Δ. Π. Σ. *quoque*, sine *est;* at schema compendiarium ē nullo negotio elidi poterat consimili elemento, quod vocem præcedentem claudit: atque aliter, ut ut hæc se res habeat, metrum claudicat; et talis tibicen vel conviciis efflagitatur. Porro, *quoque* et *quodque* facile confundi potuisse nemo non videt; ac sane *quo* et *quod* sæpenumero commutata sunt. Nimirum, quamvis hoc vix tanti sit, ut cum lectoribus communicari debeat, ante reposueram *quodque* ex conjecturâ, atque necessitate versûs impellente, quam noverim in ullo libro comparuisse. Res autem in tuto navigat; et, adeo, quæ supersunt, exsequamur, cum interpretationem, ad seriem verborum, dederimus: " *Quodque* (i. e. " eventum unum quodque) *est consequiæ*, " vel consequentiæ, *ex ordine certo re-* " *rum.*" Exspectavisses forsan *consequia* in unitatis numero; sed haud aliter veteres passim in permultis dictionibus, ut pene pudeat huic inhærere: vide quæ dederim ad Sophoclis Philoct. 35. Nec supra non quædam diximus, in iv. 591. ad hanc formam sermonis pertinentia. Aderit tamen Ovidius, met. xv. 163.

Cognovi *clypeum*, lævæ *gestamina* nostræ.

Alterum placuit Maroni, ad Æn. iii. 286.

Ære cavo *clypeum*, magni *gestamen* Abantis.

Videas insuper Eurip. Androm. 1274. et Barnesium; cum ejusdem Heraclid. 19. quem locum Reiskius male solicitabat.

Ver. 679. *licet:* abest V. ed.—*tabescere:* Δ. *crebescere.*—Cæterum, caussæ inæqualium dierum, quas noster ponit, rationibus Epicuri, quas Diogenes Laërtius exhibuit, ad x. 98. lectoribus adeundus, haud videntur ex omni parte consentire.

Ibid. *tabescere nocteis:* i. e. quasi li-

Et, quod ab alterutrâ detraxit parte, reponit
685 Ejus in advorsâ tanto plus parte, relatus;
Donec ad id signum cœli pervenit, ubi anni
Nodus nocturnas exæquat lucibus umbras:
(Nam medio cursu flatûs Aquilonis, et Austri,
Distinet æquato cœlum discrimine metas,

quescere; i. e. pedetentim deminui. Ita Plautus etiam, Stich. v. 1. ult.

——————— quasi senex, *tabescit dies.*

Conferas nostrum, ii. penult. et mireris, neminem, quantum equidem sciam, sequentium poëtarum in hanc elegantissimam vocem involasse. Adeas porro Sallustium, Jugurth. xiv. 25. et ibidem Cortium Lucretii nostri non immemorem.

Ver. 680. *quom sumant:* L. *consumant;* Π. *cum sumunt.*—*augmina:* Δ. *agmina.* —*noctes:* Π. *noctis.*—Totus versus a V. ed. *exsulat;* et P. sic voces transmutatas exhibet:

——————— cum *noctes* augmina *sumant.*

Ibid. *luces*, in numero multitudinis; ut mox *lucibus*, ver. 687. Nonius, xii. 39. "*Luces* numero plurali sunt quod *dies.*" Deinde, exemplum ex Varrone subjungit. Manilius, iii. 551.

Mensibus aut *luces*, aut omnes *lucibus* horas.

Sic ille alibi, cum Horatio, Ovidio, ac multis aliis optimorum.

Ibid. *sumant augmina noctes.* His et superioribus locus exstat appositus in Anthol. Lat. Burm. v. 43. 5.

Omnia tempus agit: cum tempore cuncta trahuntur.
Alternant elementa vices, et tempora mutant.
Accipiunt augmenta dies, noctisque vicissim
Tempora; sed florens retinet sua tempora messis.

Ita scribendum in ver. 3. Libri *noctes.*

Ver. 682. *currens amfractibus sol.* M. Tullius, somn. Scip. sect. 2.—"cum ætas "tua septenos octies *solis amfractus*, re-"ditusque, converterit—:" i. e. *circumflexiones* solis; nam *frangere* sæpe valet *flectere* tantummodo: de quo nos ad Silv. Crit. iii. p. 141. Glossæ vetustæ: "*Am-*"*fractus*, περιοδος:" et redeas ad i. 719. —Cæterum, ut Lucretius verbum *currere* ad *solem* traxit, ita Virgilius ad *stellam*, in Æn. ii. 694.

——————— et, de cœlo labsa, per umbras
Stella, facem ducens *magnâ* cum luce, *cucurrit.*

Sic scribi malim; vulgo, *multâ.* Nec me codex unus movisset, cæteris consentientibus; sed video Probam Falconiam in centone versuum Virgilianorum de nov. Test. ver. 20. non aliter legisse: quam videas. Statius, Achill. ii. 412.

Si sparsus *magno* remearem *sanguine*—.

Ver. 683. *Partit:* sic solebant vetustissimi pro recentiorum formâ *Partior;* adi Nonium Marcellum, ad vii. 33. 64. exempla de Lucilio, Plauto, Afranio, Accio, et Ennio, colligentem. Glossarium vetus: "*Partio*, διαμεριζω." Vide sis etiam Priscianum, lib. viii. p. 799. Valerium Probum, p. 1483. qui Ciceronem allegat.

Ver. 684. *detraxit:* Π. *detractus;* quæ variatio referri debet, nisi fallimur, ad compendiariam scripturam *detractust;* i. e. *detractum est:* et ea neutiquam mala fuisset lectio.

Ver. 685. *tanto plus:* i. e. "æquæ por-"tioni tantum hinc addit sol, quantum "illinc detraxerat." Speravisses, opinor, *tantumdem* vice *tanto plus:* sed vocula *plus* respicit definitam quandam mensuram scilicet, quam in ver. 683. *æquam partem* poëta vocitaverat.

Ver. 686. *Donec:* Lambini temeritas, contra libros universos, invexit *Donicum;* quam vocem per sequentes multas editiones vecordia propagavit. Sic passim

690 Propter signiferi posituram totius orbis,
Annua sol in quo contundit tempora serpens,
Obliquo terras, et cœlum, lumine lustrans;
Ut ratio declarat eorum, qui loca cœli
Omnia, dispositis signis ornata, notarunt)
695 Aut, quia crassior est certis in partibus aër,
Sub terris ideo tremulum jubar hæsitat igni,

boni viri nobis Lucretium propinavere nativis dictionibus emedullatum. Tacent profecto collatores de exemplari B. quod incuriose nimis eventilatum est.

Ver. 687. *Nodus:* P. *Almis;* V. ed. B. *Malus;* quæ quid sibi velint, non intelligo; nisi fortasse *Limes*, ex glossemate.—*exæquat:* P. *exæquant;* M. *et æquat.*

Ibid. *Nodus.* Egregiam profecto navabit operam nostro Lucretio locus Manilii, qui suas Veneres hinc partim delibavit, iii. 614.

Sed tamen in primis memori sunt mente notanda,
Partibus adversis quæ surgunt condita signa,
Divisumque tenent æquo discrimine cœlum;
Quæ tropica appellant, quod in illis quatuor anni
Tempora vertuntur signis, *nodos*que resolvunt.

Ibid. *nocturnas exæquat lucibus umbras.* Non multo aliter rerum disertissimus, Arat. ver. 353.

In quo auctumnali atque iterum sol lumine verno
Exæquat spatium *lucis* cum tempore *noctis.*

Ver. 688. Constructio est: " Nam cœ-
" lum ad æquales distantias, in medio
" Aquilonis et Austri, metas separatim
" tenet, vel seorsim habet."

Ver. 689. *Distinet:* M. O. Δ. Π. *Destinet;* uti passim, nec minus in *Detinet*, hanc vocem librarii scriptores mutavere.

Ibid. *Distinet æquato discrimine.* Quum valde sit vero simile, Virgilium se ad hos versus convertisse, ope levissimæ castigationis, locum in Æn. v. 154. perturbatissimâ constructione, et quam nemo quivit expeditam dare, probe poteris, a Lucretio exorsus, hoc pacto constituere:

Effugit ante alios, primisque elabitur undis,
Turbam inter fremitumque, Gyas; quem deinde Cloanthus
Consequitur; melior remis, sed pondere pinus
Tarda: *tenens* post hos *æquo discrimine* Pristis,
Centaurusque, *locum*, tendunt superare: priorem,
Et nunc Pristis habet, nunc victam præterit ingens
Centaurus; nunc unâ—.

Vulgo, *tenet;* plenâ distinctione appictâ. Sed verbum sic nude positum lautis judicibus ægre commendabitur: et quænam illa demum est barbaries, *locum priorem superare?* Rem perpendant docti, adhibito in concilium Lucretio; ac sententiam potenter deliberatam ferant. Jam vero in nostris nihil salebrosi est; et illud *Cloanthus* pro ipsâ *pinu*, vel *nave*, poëticum leporem in primis resipit. Haud aliter ipse Virgilius, ecl. vii. 16.

Et *certamen* erat, *Corydon* cum Thyrside, magnum:

ubi Servii notam velim perlegas, et idem schema videas in Ovid. met. viii. 303.

Ver. 690. *signiferi totius orbis:* i. e. " totius circuli sphærici, quem signa com-
" plent;" vel zodiaci. Possis profecto voces *totius orbis* ad *metas* amandare; sed illam viam egomet malim ingredi. Cicero, de divin. ii. 42.—" *signifero* in *orbe*,
" qui Græce ζωδιακος dicitur;"—et de nat. deor. ii. 20.—" ea (stella) cursum anno
" conficit, et latitudinem lustrans *signi-*
" *feri orbis*, et longitudinem." Vitruvius etiam habet, in vi. 1. *signiferum circulum;*

Nec penetrare potest facile, atque emergere ad ortus;
Propterea, noctes hiberno tempore longæ
Cessant, dum veniat radiatum insigne diei:
700 Aut etiam, quia sic alternis partibus anni
Tardius, et citius, consuerunt confluere ignes;
Quei faciunt solem certâ desurgere parte.
Luna potest, solis radiis percussa, nitere;

sed multo sæpius per se scribitur *signifer*, sine substantivo.

Ver. 691. *in quo:* V. ed. *iniquo.*—*contundit:* Vind. L. M. Ω. *contudit;* omissione virgulæ in *contūdit.* Vel fortassis antiquissimis tam *tudo*, quam *tundo*, fuerit in usu; atque in tempore præsenti, non præterito, debeat accipi, quod Priscianus protulit, exemplum, in lib. x. p. 891.

——————— virosque valenteis
Contudit crudelis hyems.

Sane me multum movet castigatissimorum codicum unanime testimonium; sed alia non habeo, quibus suspiciones meas firmem.—V. ed. autem *contunditur.*

Ibid. *contundit:* i. e. conterit, *consumit*, supra, ver. 618. ut recte Lambinus exposuit: conferas etiam iv. 955. Et videtur vox innuere *pertinacem* quandam in longo ac repetito cursu *evincendo diligentiam*, qualis insumitur ἀκαμαντι ἡελιῳ· sicut Homerus, in Il. Σ. 239. eum nominavit. Claudianus, de *phœnice*, ver. 12. multum signatis verbis:

——————— stellas qui vividus æquat
Durando, membrisque *terit* redeuntibus ævum.

Ibid. *Annua sol contundit tempora, lumine lustrans.* Oratione consimili M. Tullius usus est, in Arat. 398.

Hæc *sol* æterno convestit *lumine lustrans,*
Annua conficiens vortentia *tempora* cursu.

Ibid. *serpens:* ob *tardiorem* motum respectu lunæ; vide ver. 617.

Ver. 692. *Obliquo lumine.* Rem eleganter transtulit a *semitâ* ad *solem.* Zodiacum Virgilius more minus poëtico definivit, ad geo. i. 239.

——————— Via secta per ambas,
Obliquus quâ se signorum verteret ordo.

Ibid. *terras lumine lustrans:* redeas ad ver. 575. hoc libro. Virgilius, Æn. iv. 607.

Sol, qui *terrarum flammis* opera omnia *lustras:*

i. e. circuis, obis, peragras, circumferris; adeoque, per consequentiam, *illustras.* Arnobius, lib. ii. p. 50.—" in insulis et " provinciis omnibus, quas *sol* oriens at- " que occidens *lustrat.*"

Ver. 695. *crassior aër.* Juvenalis, x. 50.

Vervecum in patriâ, *crasso*que sub *aëre* nasci.

Ver. 696. *igni:* sic P. V. ed. longe elegantius: reliqui, *ignes;* ut communes editi.

Ibid. *tremulum jubar:* nempe, vibrationibus et *quassationibus* hi tremores excitantur. Auctor Culicis, ver. 42. de *sole:*

Candidaque aurato *quatiebat lumina* curru:

ut alii loquuntur, et nos alibi diximus. Adscribamus autem Avienum, Arat. 128. quem sic corrigendum esse prior vidit Grotius:

——— immerso cum jam Titanius orbe
Imbuerit *tremulo* Tartesia terga rubore.

Terga maris scilicet, vel νωτα θαλασσης. Oppianus etiam haud alienus est, in cyneg. iv. 143.

——————— θοαις ακατοισι φεροντες
Λαμπομενας δαιδας· οἱ δε τρεμεσιν ιδοντες

Inque dies majus lumen convortere nobis
705 Ad speciem, quantum solis secedit ab orbe,
Donec eum contra pleno bene lumine fulsit,
Atque oriens obitus ejus super edita vidit:
Inde minutatim retro quasi condere lumen
Debet item, quanto propius jam solis ad ignem
710 Labitur ex aliâ signorum parte per orbem:

Ελλοτις, ηδε μενησιν ΕΛΙΣΣΟΜΕΝΗΝ ΑΜΑΡΥΓΗΝ.

Ver. 697. *atque:* Δ. *utque;* Π. *nec.—emergere:* Vind. Π. *mergere;* V. ed. *emerge;* nempe pro *emergē:* Σ. *in jungere.*

Ver. 699. *veniat:* Π. Σ. *venit;* elegantius, si metrica necessitas pateretur. Sidonius Apollinaris, epist. iv. 18.

*Dum*que *venit* Christus, populos qui suscitat omnes,
Perpetuo durent culmina Perpetui.

Ibid. *radiatum insigne diei:* i. e. "sig-"num, vel ornamentum, diei, radiis in-"structum:" *diadema* scilicet. Virgilius, Æn. ii. 392.

——————— clypeique *insigne* decorum:

i. e. "*ornamentum* decorum; non enim "sunt duo epitheta, quod apud Latinos "vitiosum est." Servius ad locum. Accommodus est Apuleius, met. iii. init. locutionibus curiosissime contextis, ut adsolet, efflorescens: "Commodum punican-"tibus *phaleris*, Aurora, roseum *quatiens* "lacertum, cœlum inequitabat—." Idem Maro, Æn. v. 310.

Primus equum, *phaleris insignem*, victor habeto.

Sed nihil æque facit ad Lucretii locum, atque ep. iii. lib. v. Anthol. Lat. Burmanni, qui consulendus est ibidem:

Roscida puniceo Pallantias exit amictu,
Astrigerum inficiens luce rubente polum.
Sol *insigne* caput *radiorum* ardente *coronâ*
Promit, ab æquoreis Tethyos ortus aquis.

Sic malim, cum nonnullis codicibus, quam *Astriferum*, quod est in editis: redi dicta in ver. 565. superius: et conferas velim Ovid. met. ii. 124. epist. iv. 159.

Ver. 700. *etiam quia:* Ω. *quia etiam.* Et Σ. *sit.*

Ver. 702. *faciunt:* P. V. ed. B. *faciant.—desurgere:* sic P. V. ed. B. Δ. Π. Σ. Ω. vulgo separatim, *de surgere.*—Deinde, in libris omnibus præter B. L. M. Δ. venit ver. 713.

Ver. 703. *percussa:* P. Vind. V. ed. L. O. Δ. Π. Σ. *perculsa;* omnino vitiosissime: perlegas modo, quæ notaverimus ad i. 13. et centum locis poëtarum res extra controversiæ metas ponitur.

Ibid. Pariter Epicurus, apud Diogenem Laërtium, x. 94. sic scribendum; nam Meibomius partim emendavit, et partim de novo corrupit, locum: Κενωσεις τε σελληνης και παλιν πληρωσεις, (*quod attinet exinanitiones et impletiones lunæ*) και κατα στροφην τυ σωματος τυτο δυναιτ' αν γινεσθαι, και κατα σχηματισμυς αερος ὁμοιως· ετι τε και κατα προςθετησεις, και κατα πανταις τροπυς.

Ver. 704. *majus:* ita P. solus; reliqui veteres impressi et omnes scripti, *magis;* quem errorem ex soni similitudine natum puto. O. et Δ. addunt *et*, versûs suffulciendi gratiâ; perperam. Hanc autem scribarum aberrationem esse frequentissimam, lectorem satis doctum dabit Drakenborchii nota, ad Liv. xxvi. 41. 16.

Ver. 705. *orbe:* V. ed. *ore;* etiam bene, sed receptam malim in hoc loco dictionem. Jam vero de commutatione vocum *orbe* et *ore*, videas var. lectt. et viros doctos ad Ovid. met. xv. 274. in Ib. 74. Sil. Ital. iii. 654. et alibi sæpe.

Ver. 706. *Donec:* ita P. Vind. V. ed.

Ut faciunt, lunam quei fingunt esse pilaï
Consimilem, cursûsque viam sub sole tenere:
Propterea fit, utei videantur dicere verum.
Est etiam quâ re proprio cum lumine possit
715 Volvier, et varias splendoris reddere formas.
Corpus enim licet esse aliud, quod fertur, et unâ
Labitur, omnimodis obcursans obficiensque;

O. Δ. Π. Σ. Ω. et, opinor, omnes alii scripti, quamvis de B. L. M. collatores taceant. Vulgari solet *Donicum.*—*eum:* P. V. ed. Ω. *cum.*

Ibid. *pleno bene;* i. e. *valde* pleno, sive plenissimo: perlegas quæ dederim in Silv. Crit. sectt. lviii. ccvi. de hac potestate vocis *bene*, et similium formularum in linguis aliis. Homerus etiam vocabitur ad partes, in Il. Γ. 72.

Κτημαθ' ἑλων ΕΥ ΠΑΝΤΑ, γυναικα τε, οικαδ' αγεσθω.

Hinc maximæ sunt habendæ gratiæ codici Juvenalis optimæ notæ, qui in Academiæ Cantabrigiensis bibliothecâ publicâ asservatur, quod nobis verissimam exhibeat, atque longe elegantissimam, scripturam, ad sat. iii. 100.

Natio comœda est. Rides? *meliore* cachinno
Concutitur—.

Vulgo, *majore;* ex glossemate procul dubio. Similiter ad Ovidii met. xiii. 102. vulgarior vox exquisitiorem eliminavit:

Dividite; et *melior* pars sit Diomedis in illis.

Sic unus liber, verissime. Editi, *major.* Recte rem administrarunt Heinsius ac Burmannus ad ejusdem epist. xvii. 68. Hic editor ad Lucan. i. 400. receptam lectionem forsan bene tuetur, sed vim dictionis *melior* parum tenet. Consule Drakenborchium, ad Sil. It. iv. 824. cum var. lectt. ad Claud. sext. cons. Honor. 294. Similiter recte sunt accipiendæ non paucæ voces Græcæ, cum ευ compositæ; ut ευῤοος, non *pulchre fluens*, sed *violenter* et *rapide;* ευανεμος, *ventosus*, "*validis* ventis agitatus;" et consimiles: quod multos doctorum latuit. Videas annotationes meas ad Sophoc. Philoct. 491.

Ver. 709. *Debet item:* Pii codices prisci, *Debeat it.*—*quanto:* O. *quando;* etiam bene.—*propius:* V. ed. *proprius.*—*jam:* V. ed. O. Δ. Π. Σ. Ω. *tam;* et accepissem sane, si ita positum fuisset, ut respondere posset τῳ *quanto:* sic enim sæpe noster; vide verr. 453. 454.

Ver. 710. *Labitur:* Vind. V. ed. *Inlabitur.*—Et in P. verr. 714. 715. hunc versum sequuntur.

Ver. 712. *tenere:* M. *imere;* et in margine, *meare:* frustra, ut puto, vel ipso Virgilii loco devictus, statim ponendo.

Ibid. *cursûs viam tenere.* Hæc scilicet ille Mantuanus imitatus est; et, hinc exorsus, egomet primus omnium, χαρις μεγαλη Lucretio! periodum longe perplexissimam, et quæ summos in re criticâ viros discruciatos habuerit et illusos, recte constituere valebo. Legitur in Æn. iii. 684.

Contra jussa monent Heleni, Scyllam atque Charybdim,
Inter utramque, *viam*, leti discrimine parvo,
Ni *teneant cursûs;* certum est dare lintea retro:

i. e. "ne teneant viam cursûs inter "utramque, Scyllam utique, et Cha-"rybdim." Quæ perspicua sunt, et constructione verborum satis expeditâ. De hac autem posturâ præpositionis, si ad hoc hæsites, videas notata ad iv. 96. 1018.

Ver. 714. *quâ re:* sic omnia, omne genus, exemplaria vetusta. De suo reposuerunt editores *quoque uti*, impudentissimi vivorum bipedum implumium.

Nec potis est cerni, quia cassum lumine fertur.
Vorsarique potest, globus ut, si forte, pilaï,
720 Dimidiâ ex parte candenti lumine tinctus;
Vorsandoque globum varianteis edere formas.
Denique, eam partem, quæquomque est ignibus aucta,
Ad speciem vortit nobis, oculosque patenteis:

Ibid. Haud aliter Epicurus, apud Diogenem Laërtium, x. 94. Ετι τε ενδεχεται την σελληνην εξ ἑαυτης εχειν το φως· ενδεχεται δε, απο τυ ἡλιυ.

Ver. 714. *splendoris:* V. ed. *splendore;* forte an pro *splendorē*. Versus, hoc pacto constitutus, magis placeret:

Volvier, et *variis splendorem* reddere *formis*.

Sed codicibus melioribus obtemperem.

Ver. 717. *obficiens:* i. e. *intercedens*, se interponens. Cicero, de nat. deor. ii. 19.—" ipsa enim umbra terræ, soli *offi-* " *ciens*, noctem efficit." Adi ad dicta in ver. 887.

Ver. 719. *globus pilaï:* i. e. globosa pila; erant enim aliter figuratæ pilæ. Ovidius, fast. vi. 269.

Terra, *pilæ* similis, nullo fulcimine nixa—.

Cæterum, J. Douza, in notis ad Catullum, cap. iv. pro *si*, emendabat *sit*, minus necessario, quamvis rectissimam interpretationem loci juvenis acutissimus edocuerit, et aliud argumentum hinc institui poëtâ. Berosi nempe doctrina jam, ut idem monet, nobis exponitur; et Vitruvius, eodem Douzâ indicatus, adscribendus est, ad ix. 4. " Nunc de crescenti lumine " lunæ DEMINUTIONEque, uti traditum " est nobis a majoribus, dicam. Berosus " —ita est professus, *pilam* esse *ex dimi-* " *diâ parte candentem*, reliqua habere cæ- " ruleo colore. Cum autem, cursum " itineris sui pergens, subiret orbem solis, " tunc eam radiis et impetu caloris cor- " ripi, convertique candentem: — cum " autem ea evocata ad solis *orbis* superiora " spectet, tunc inferiorem partem ejus, " quod candens non sit, propter aëris " similitudinem, obscuram videri:—etc." quæ, minutius deducta, sunt apud ipsum perlegenda. Sic autem rescribere debemus: vulgo, *diminutione*, et *orbes*. Et maximo opere Douza laudandus est ac plaudendus eruditis ob egregiam huic loco navatam sagacitatem, doctrinamque.

Ver. 720. *parte:* sic omnes libri, præter B. Δ. Π. qui, cum editis vulgaribus, habent *parti;* sed illud in hac cæsurâ multis equidem vicibus antepoiam ob jucundiorem saltem sonum: prisca Pii exemplaria, *parte it;* inepte.—*candenti:* V. ed. Ω. *cadenti.*

Ibid. *lumine tinctus:* quasi *immersus* scilicet. Sed, qui sic locutus est sine epitheto, nondum inveni, quamvis formula sit omnino speciosa et laudabilis, quum de *luce*, ut *fluido*, passim Lucretius loquatur. Nos super hac re diximus affatim, ad ii. 147. atque alibi sæpenumero.

Ver. 721. *varianteis edere formas:* V. ed. *varianti sedere formas;* O. Δ. *varianti sede reformans.*

Ver. 722. *Denique:* sic P. Vind. V. ed. B. O. Δ. Π. Σ. Ω. editur vulgo, *Donicum;* sine libris scriptis, ni fallor.

Ver. 723. *oculos patenteis:* i. e. " os " manifestissime obversum, et illumina- " tum plene, ita ut oculis apertissimis " Luna nos adspiciat." Hoc modo intelligenda est venustissima phrasis, et specie prorsus poëticâ figurata; editorum tamen nemini percepta, vel interpretum, eam ad oculos spectatoris inscitissime revocantium. *Os* nimirum de stellis locutio pervulgata est; *oculus* autem sic adhibitus, multo rarior. Nos in hanc rem quædam non minime facientia jam attulimus, in Silv. Crit. i. p. 129. Plinius, nat. hist. ii.

Inde minutatim retro contorquet, et aufert,
725 Luciferam partem glomeraminis atque pilaï;
Ut Babylonica Chaldæûm doctrina, refutans
Astrologorum artem, contra convincere tendit:
Proinde, quasi id fieri nequeat, quod pugnat uterque;
Aut minus hocc' illo sit quur amplectier ausis.

4.—" inde tot *stellarum* collucentium illos " *oculos.*" Et Juvenalis, viii. 150.

Nocte quidem; sed *Luna videt*, sed *sidera* testes
Intendunt *oculos*—.

Ver. 724. *contorquet aufert:* Π. *retorquet aufer.*

Ver. 725. *glomeraminis atque pilaï:* divise, per hendyadem, pro *glomeratæ pilæ:* et similiter nuper supra, ver. 719.

Ver. 726. *Babylonica Chaldæûm doctrina;* Berosum innuens, de quo Vitruvius in loco modo memorato: " *Berosus,* " qui, a *Chaldæorum* civitate, sive natione, " progressus, in Asiâ etiam disciplinam " patefecit." Nonnulli malunt, *Chaldæum;* quod nullo modo tolerandum, quum satis sit Babylonicos astronomos cum Græcis Lucretio componi. Magnæ sunt interea scripturarum confusiones in libris, uti plerumque cum propriis nominibus se res habet. Vind. *Habilonisa caldeum;* V. ed. *Babilonis ochaldeam;* Π. *babilonis ad chaldeam;* Σ. *babilonis chaldeam;* Ω. *babilonisa chaldeam:* O. insuper habet *Chaldæam.* Lectionem nostram suo calculo probavit Bentleius ad hunc locum, et in epistolâ ad Millium, p. 37.

Ibid. *refutans convincere tendit:* eodem modo locutus est ad iii. 524. quæ redeas.

Ver. 727. *Astrologorum:* i. e. " *astro-* " *rum rationibus* investigandis operam " dantium;" qui postea *astronomi* vocati sunt, priore nomine illis reddito, qui ex astris augurabantur. Ita Juvenalis, vi. 522.

Chaldæis sed major erit fiducia: quicquid
Dixerit *astrologus*, credent a fonte relatum
Ammonis—.

Ver. 728. Nescio quâ de caussâ recentiores editores *το id* soleant omittere; quum in omnibus veteribus exemplis, tam scriptis, quam impressis, compareat.—*uterque:* P. *utrinque.*

Ibid. *quasi nequeat:* ταυτα γαρ, ut Epicurus sæpe loquitur apud Diogenem Laërtium, πολλαχως ενδεχεται γινεσθαι.

Ibid. *quod pugnat uterque:* i. e. " de " quo Græci Chaldæique digladiantur." Cicero, in epist. ad famil. iii. 10. " *Illud* " *pugna;* et enitere, ne quid nobis tem- " poris prorogetur."

Ver. 729. *illo:* Vind. Π. Σ. Ω. *ilico;* L. *ilio;* O. *illud;* quod placet: vox abest V. ed.—*sit:* Vind. O. *sic.*—*cur amplectier:* Π. Σ. *curam plectier.*

Ver. 730. *semper:* i. e. *singulis diebus,* ut sol, ad sententiam nonnullorum, supra positam, ver. 650—653. et ver. 659—665.

Ver. 732. *privos:* O. Δ. Π. *primos.*—*aborisci:* αρχαικως haud dubie, quamvis de verbi formâ nihil alibi reperire quiverim, pro *aboriri:* i. e. *abortum pati,* vel perdi, et interire: redeas ad iii. 156. Sic autem scribitur in L. M. Δ. Π. Σ. Ω. neque aliud est *το aboristi* in V. ed. B. literâ *c*, ut passim, cum *t* mutatâ: P. O. *aboriri;* Vind. *abolescere,* ut communes editi; sed cave fidem collatori des. Facile fuisset cum quibusdam doctis reponere *abolesci;* nos autem optimis codicibus standum esse existimavimus.

Ibid. *quæque creata:* i. e. " unaquæ- " que forma lunæ, quæ varie figurata " singulis diebus subnascatur."—Mox P. *alius,* pro *illius.*

Ver. 734. *ratione:* V. ed. Ω. *ratio.*

730 Denique, quur nequeat semper nova luna creari
Ordine formarum certo, certisque figuris,
Inque dies privos aborisci quæque creata,
Atque aliâ illius reparari in parte, locoque;
Difficile est ratione docere, et vincere verbis:
735 Ordine quom videas tam certo multa creari.
It Ver, et Venus; et, Veris prænuncius, ante
Pennatus graditur Zephyrus, vestigia propter

Ibid. *vincere verbis.* Virgilius, geo. ii. 289.

Nec sum animi dubius, *verbis* ea *vincere* magnum
Quam sit——.

Tanaquillum vero Fabrum cum subtilibus suis ineptiis, *Id facile* dico, pro *Difficile*, quis æquis auribus, et animo patiente, valeat accipere?

Ver. 735. *videas:* abest dictio a V. ed. et Σ. quorum posterior liber habet *possunt* post *certo.*—*multa:* O. *cuncta.*

Ver. 736. *It:* Δ. *Et;* P. *Sic;* quod fluxit ab *ic*, (postquam *t* in c migrasset) uti V. ed. exhibet.—*ante:* V. ed. *arte.*

Ibid. *Venus:* quæ fugandis *nubibus* facit *serenum ver;* conferas Virg. geo. i. 340. et nostrum, i. 6. quem Apuleius, met. vi. p. 393. imitatus est, de *Venere* verba faciens: "*Cedunt nubes,* et *cœlum* "filiæ *panditur;* et summus æther cum "gaudio suscipit deam." Adhibeas etiam Carum, ad iii. 21. 22.

Ibid. *Veris.* Hæc est acutissima, et maxime indubitata, Bentleii emendatio, pro *Veneris* librorum omnium; quod peccatum ob prægressum *Venus* facillime caderet in librarios. Nimirum, in hac magnificentissimâ quatuor Tempestatum processione, Venus nequit agere principalem partem, sed progreditur solummodo præministrans, ad ornandam pompam *comes.* Quasi dixerit poëta: "It Ver, "omnibus Naturæ Veneribus producta:" i. e. florentissima et formosissima totius anni portio. Profecto, in poëtis passim legas comites sociatos ire *Ver* et *Zephyros:* unde non mirum est, memet etiam (nam in veritate crimen jactantiæ non extimesco) in eandem conjecturam incidisse. Claudiani, rapt. Pros. ii. 73. locum nitidissimum planissimæ rei sufficiat adscripsisse:

Viderat herboso sacrum de *cespite* vulgus
Henna, parens *florum;* curvâque in valle sedentem
Compellat *Zephyrum: Pater* o! gratissime *Veris,*
Qui mea lascivo regnas per prata meatu
Semper, et assiduis irroras flatibus annum;
Respice Nympharum cœtus——.

Sic unus codex in primo versu, pro vulgato *vertice:* bene, quum non sit de *colle* sermo. Conferas etiam Virg. geo. i. 43. 44.

Ver. 737. *Pennatus:* ita exaratur in omnibus vetustis; recentes editi, *Pinnatus.*—*Zephyrus:* Vind. V. ed. B. L. M. Π. Σ. Ω. *Zephyri;* unde locus manifestissimæ mendæ postulari debet. Mihi videtur sic minimâ factâ mutatione commode et probabiliter legi posse:

It Ver, et Venus; et, Veris prænuncius, *antis*
Pennatus graditur *Zephyri:*——

i. e. *ordo*, vel exercitus *pennatus, Zephyri;* sive agmen *Aurarum* mollium, quæ Zephyrum comitantur, et Ver producunt. Obstat sane, quod grammatici veteres, et onomastici, numerum singularem τῷ *antes* abjudicant; sed hi magistelluli de dictionibus perraris potissimum, quas multis abhinc seculis indocti scribæ obliteraverint, non sunt in omnibus temere audiendi. Glossarium Du Cange: "*Antis* est

Flora quibus mater præspargens ante viaï
Cuncta coloribus egregiis, et odoribus, obplet:
740 Inde loci sequitur Calor aridus, et comes unâ
Polverulenta Ceres, et Etesia flabra Aquilonum.
Inde Auctumnus adit, graditur simul Euius Euan:
Inde aliæ Tempestates, Venteique, sequuntur;
Altitonans Volturnus, et Auster fulmine pollens.
745 Tandem Bruma niveis adfert, pigrumque rigorem

" anni ordo: gloss. Bituric. MSS." Accommodus est Horatius, od. iv. 12. 1.

Jam *Veris comites*, quæ mare temperant,
Inpellunt *Animæ* lintea Thraciæ——.

Conjectores sagaciores perpendant locum; et, si quid extundere valebunt probabilius, in primis egomet amplectar, et habebo gratias.—Cæterum, cum Ω. codicis scriptore, distinguendum esse putavimus ad *Zephyrus;* et ita Preigero visum est: nam editorum turba post *propter* punctum posuerunt. Jam vero lampada volentibus accipere libenter tradam; cum monuero, si vetustissimi scriberent in recto casu numeri singularis *antes*, ut in aliis quibusdam vocibus, hinc majorem sane veri speciem divinationi meæ accrescere.

Ibid. *Pennatus Zephyrus:* κυφοπτερος, uti nominatur in hymnis Orphei, lxxx. 6. Et hi versus Lucretiani sunt in elegantissimis antiquæ poëseos reliquiis, et omnes numeros descriptionis hilarioris explent. Sed lautos lectores frustra moneo.

Porro, ne cum aliis omnibus fallaris, admonendus es, lector! *pennas* Zephyri sub *auribus* esse positas, non appensas *humeris*, uti recentes pictores exhibent. Sic Philostratus, icon. i. 24. de hoc *Vento:* Ὁρᾷς δὲ, οιμαι, αυτον εν ΠΤΗΝΩ τῳ ΚΡΟΤΑΦΩ. Hinc nos olim recte emendavimus Pindarum et Appollonium Rhodium, in Silv. Crit. sect. xiii. Alia etiam nobis de hac re suppetunt, sed non hujusce loci.

Ver. 738. *præspargens:* sic omnia vetera exemplaria; nisi quod in suo Vind. *præspergens* somniculosus collator liquerit.

Ibid. *Flora mater:* " quæ conjuge, " *Zephyro patre*, fecundatur, et germina " sua parit." Videas Ovid. fast. v. 195—213.

Ibid. *præspargens ante.* Fallor, aut error, librariis maxime solennis, hanc inutilem sensûs redundantiam nostro peperit, quum sic olim locus scriptus comparuerit:

Flora quibus mater *perspargens* ante viaï
Cuncta coloribus egregiis——.

Apuleius, met. ii. p. 127. ed. Oudend. " Ac, me pressim deosculato, et corollis " revincto, ac *flore persparso*, arripit po- " culum." Ibi varietas lectionis est, *persperso*, *prospero*, et *prosperso:* Oudendorpius conjecit, *præsperso;* cui non subscripserim. Et animadvertat εν παροδῳ lector, generalem sensum vocis *flore* in numero unitatis, ut Lucretius noster *papaveris*, vice *papaverum*, ad iii. 197. ubi nos videndi.

Ver. 741. *Polverulenta Ceres:* Vind. *Polluerunt acres;* V. ed. O. Ω. *Polluerunt aceres;* Π. *Pulverit acer res;* Σ. *Pulverrent acres.* Vulgo, *Pulverulenta:* nos hic, et alibi, antiquariam scriptionem, corruptelis membranarum roboratam, restituimus.—*et* abest Vind. V. ed. O. Δ. Π. Σ. Ω. elisum primis literis vocabuli sequentis.

Ibid. *Polverulenta Ceres:* quod comes sit pulverulenti *Caloris*, sive *Æstatis.* Hinc haud dubie sua Virgilius, ad geo. i. 66.

——————— glebasque jacentis
Pulverulenta coquat maturis solibus *Æstas*—.

Reddit; Hyems sequitur, crepitans ac dentibus Algu.
Quo minus est mirum, si certo tempore luna
Gignitur, et certo deletur tempore rursus;
Quom fieri possint tam certo tempore multa.
750 Solis item quoque defectus, lunæque latebras,

Et harum imaginum ordo, Lucretio propositus, versibus Avieni commodissime poterit illustrari, in Arat. 397.

Tunc succisa *Ceres strati* cum mergite culmi
Construitur; flavos tondentur semina crines
Omnia, et advectas late coquit area messes.
Tunc et Threïcii repetunt animosa *Aquilones*
Flabra polo: tunc oceanum *stata flamina* cœli
Propellunt pelagus——.

In versu primo libri dant, *statim;* undequaque mendosissimum. Nempe, olim exaratum erat *statī*.

Ibid. *Etesia flabra Aquilonum.* Lucius Ampelius, cap. 5. "Item Etesiæ, "qui statis diebus flant per æstatem." Isidorus, origg. xiii. 11. de Lucretio cogitabat: "*Etesiæ* autem *flabra Aquilonis* "sunt: quibus nomen inditum est, quod "*certo anni tempore* flatus agere incipiunt. "ΕΤΟΣ" (libri, ἐνιαυτος) "enim Græce "annus Latine dicitur." Vividum Etesiarum impetum sic uberius et ornatius Mincianus vates exposuit, in geo. iii. 196. quæ res, minime intellecta, fraudi fuit eruditis viris ad locum:

Qualis Hyperboreis *Aquilo* quum densus ab oris
Incubuit, Scythiæque hyemis atque arida differt
Nubila: tum *segetes* altæ, campique natantes,
Lenibus horrescunt *flabris*——.

Sane possis interpretari *Lenibus flabris* de vento pedetentim ingruente, et nondum maturo violentiæ: sed malim equidem capere de "flabris modico tepore;" frigore nimirum, quod distinguit Aquilonem aliis anni temporibus, emollito. Nihil igitur *Etesia flabra Aquilonum* pulchrius signare poterat, quam hoc epitheton. Conferas geo. ii. 113. 404. Æn. iii. 284. iv. 309. 310.

Ver. 742. Deest Π. *Euius:* Vind. V. ed. O. Δ. Σ. *euchius;* P. *cuhyius;* Ω. *euhinus.*—*Euan:* V. ed. *ænam;* Δ. *una.*

Ver. 744. *Auster:* V. ed. B. *anser.*—*fulmine:* V. ed. *fulmen;* Δ. *fulmina.* Pius proposuit *flamine;* pessimo conatu. Vulgata firmat Isidorus, origg. xiii. 11. —*pollens:* Δ. *pellens.*

Ibid. *Altitonans Volturnus, Auster fulmine pollens.* Vulturnus est affinis *Euro;* et hujusce loci videtur memor fuisse Virgilius, ad geo. i. 370.

At *Boreæ* de parte trucis quum *fulminat*, et quum *Euri*que, Zephyrique, *tonat* domus——:

i. e. "cum Boreas fulminat, et Eu-"rus tonat." Sentisne vero Carum nostrum longe longeque optimum esse Maronis interpretem; neminique in hunc usque diem hos versus probe intellectos esse? Sentisne insuper, *fulmen* et *tonitrum*, ut alias sæpenumero factum, consociari? unde actum est, ex abundanti scilicet, cum Pii *flamine.* His autem motus, me persuasum habeo, commutationem creberrimam frangere vim loci sublimis in eodem Marone, ad Æn. ii. 113.

——————— sæpe illos aspera ponti
Interclusit hyems, et *terruit Auster* euntis.
Præcipue, quum jam hic, trabibus contextus acernis,
Staret equus, toto *tonuerunt* æthere *nimbi.*

Vulgo, *sonuerunt:* vide me ad i. 918. ii. 618. Emendationi meæ multum favent versus, sublimitate præcellentes, in Æn. vi. 590.

Demens! qui *nimbos*, et non imitabile *fulmen*,
Ære et cornipedum pulsu *simularet* equorum:

ut optime nonnulli codices. Vulgo, *simularat.*

Pluribus e caussis fieri tibi posse putandum est.
Nam, quur luna queat terram secludere, poscis,
Lumine, et a terris altum caput obstruere ei,
Objiciens cæcum radiis ardentibus orbem?
755 Tempore eodem aliud facere id non posse putetur

Ver. 745. *pigrum rigorem:* i. e. pigrum frigus. Idem Mantuanus non discrepat, geo. iv. 259.

Ignavæque fame, et contracto *frigore pigræ.*

Ver. 746. *Reddit:* Vind. Σ. *Redit.*—*crepitans:* Vind. V. ed. Σ. Ω. *creditans:* vox abest Δ.—*ac dentibus:* Vind. B. O. Δ. Π. Σ. Ω. *accentibus;* V. ed. *accentibi.*—*Algu:* P. *algit;* Vind. V. ed. B. O. Δ. Π. Σ. Ω. cum Junt. et Ald. editionibus, *algi;* in quod nostrum *Algu*, omisso literæ ductu, nec minus ob raritatem dictionis, facile abiret; ut *accentibū* in V. ed. modo migraverat in *accentibi.* Vulgo ponitur *Algus;* sed, opinor, sine librorum scriptorum auctoritate. Nimirum, hoc *Algu* erat ex nominibus monoptotis; adeas Sosip. Charis. lib. i. p. 23. et nos, ad iii. 732.—Jam vero uno oculorum jactu hanc Anni pompam, tam Tempestatum, quam Tempestatibus præstolantium, suo ordine procedentem intueamur:

Ver, *Venus*, *Zephyrus*, et *Flora:*
Calor, *Ceres*, et *Etesii Aquilones:*
Auctumnus, *Euius Euan*, *Tempestates*, *Venti*, *Volturnus*, et *Auster:*
Bruma, *Hyems*, et *Algu.*

Ver. 749. *fieri possint:* V. ed. Π. Σ. Ω. *flere possint;* B. L. *fleri possint;* Δ. *fluere possint;* O. et quidam Pii codices, *florere queant:* et sic vetusta manus in margine codicis Ω.

Ver. 750. *item quoque;* ut *etiam quoque*, ver. 603.—Et in hoc loco posita consentiunt Epicureis in Diogene Laërtio, x. 96.—λεγει (*Epicurus* scilicet) και τον ἡλιον εκλειπειν, σεληνης επισκοτουσης· σεληνην δε, του της γης σκιασματος.

Ibid. *Solis defectus, lunæque latebras.* Verba nonnihil variata sunt Virgilio, geo. ii. 478. qui ver. 772. inferius etiam respexit:

Defectus solis varios, *lunæque labores.*

Ver. 751. *tibi:* P. *tum;* V. ed. *ti.*

Ver. 752. *poscis:* sic videtur certissime legendum, quamvis locus sit perplexior tam constructionis, quam verborum. P. habet *posces;* quem sequi videntur Ald. et Flor. editiones: omnes, omne genus, reliqui libri veteres, *possis;* quod peccatum a soni similitudine facile suboriri quiret. Librarii eodem modo aberraverunt ad Lucan. v. 606. De suo reposuere editores, *solis;* quæ vox, utpote minime obnoxia depravationibus, omni probabilitate destituitur. Sensus autem loci, subtiliore dicendi genere involutus, sic se habet: "Poscis autem, cur luna "terram queat obumbrare? Tum aliud "corpus putetur non posse idem facere." Nempe, qui dubitat de priore re, eidem liceat de posteriore quoque dubitare: quum vero priori assenserint plerique, nihil caussæ est, quare et posteriori recusent assentire.—Nobismetipsis certissima videtur hæc enarrandæ structuræ ratio; et dicendi formulas haud dissimiles lector reperiat apud Virgilium, ecl. iii. 90. geo. ii. 105. 106.

Ver. 753. *ei:* sic P. Vind. V. ed. Δ. Π. Σ. vulgo, *eii;* O. Ω. *ejus;* minus elegante constructione. Hinc, ut ut nulla sit scripturæ varietas in libris, vero simillimum puto, Virgilium non aliter dedisse ad Æn. iv. 440.

Fata obstant, placidasque *viro* deus *obstruit* auris.

Libri omnes, *viri:* quæ lectio nostræ nul-

Corpus, quod cassum labatur lumine semper.
Solque suos etiam dimittere languidus igneis
Tempore quur certo nequeat, recreareque lumen,
Quom loca præteriit, flammis infesta, per auras;
760 Quæ faciunt igneis interstingui, atque pariri?
Et, quur terra queat lunam spoliare vicissim
Lumine, et obpressum solem, super ipsa, tenere,
Menstrua dum rigidas coni perlabitur umbras;

lo modo certaverit elegantiâ; et lauti lectores, quid distet, statim sentient.

Ibid. *altum:* i. e. tam longe distans; unde augetur hypotheseos istius difficultas.

Ver. 755. *eodem:* Vind. L. M. Δ. Π. Σ. *eadem;* quod fortasse ferri poterat: "Cur "non aliud corpus putetur facere id *eâ-* "*dem viâ suo* tempore?" Sed vulgatum, quod testibus idoneis innititur, longe dilucidius est atque expeditius.—*putetur:* P. *putemus;* V. ed. *putes.*

Ver. 756. *cassum:* Vind. *casum.*—*lumine:* Π. *flumine.*

Ibid. *Corpus aliud.* Epicurus in D. Laërtio, x. 96. Και ετι (εκλειψις ἡλιȣ και σελληνης δυναται γινεσθαι) κατ' επιπροςθετησιν αλλων τινων, η γης, η ȣρανȣ, η τινος ἑτερȣ τοιȣτȣ.

Ver. 757. *Sol dimittere igneis:* atque hoc modo eclipsin pati; quemadmodum *noctem* etiam fieri quidam opinati sunt, uti dictum est superius, ver. 651.—Porro, Π. habet *demittere*, pro *dimittere.* Versus leguntur accommodati in Anthol. Lat. Burm. i. 72. 157. de *sole:*

Dixit; et infuso radiabat lumine *lucum*,
Inque fidem sceleris totos *dimiserat ignes.*

Sic rescribimus, ut ordo constructionis conservetur integer: vulgo *lucus.* Et codex unus, *demiserat;* sed recepta vox multo efficacior: quasi scilicet se insumpserat et exhauserat in hoc opere defungendo Phœbus.

Ver. 758. *recreare:* i. e. *de novo creare* lumen dimissum ac deperditum ob eclipsin factam.—Cæterum, Δ. *lunam,* vice *lumen.*

Ver. 759. *flammis infesta:* i. e. exitialia.

Ver. 760. *pariri:* i. e. creari. Hæc versûs verissima restitutio divinationibus meis debetur: adi sis Priscianum, lib. viii. p. 802. et quæ, nisi fallor, non minus vere dixerim supra, ad i. 200. Nimirum, *τα interstingui* atque *pariri τοις dimittere ignes* et *recreare lumen* modo prægressis contra manifestissime respondent; ita ut res extra controversiam locetur, nec se velit operosius vindicari. Veteres nempe libri universi habent corruptam vocem *periri;* unde nullo negotio fabricatum est illud *perire,* loci scopo alienissimum quamvis, quod comparet in P. Δ. et per editiones vulgares propagatum venit. Nihil est, de quo tutius ad intelligentium judicia possimus provocare, quam de hac facillimâ emendatione.

Ibid. *interstingui.* Martianus Capella, ix. 4.

Nantes fluctigenas, chorumque Phorci,
Flagrans cura trahit; nivalibusque
Interstinctus aquis, triumphat *ardor.*

Ver. 761. *spoliare Lumine.* Maro, Æn. xii. 935.

——— corpus, *spoliatum lumine*———.

Ver. 762. *obpressum solem.* Non aliam adhibuit orationem Curtius, iv. 10. 5.—"lunamque deficere, quum aut terram "subiret, aut *sole premeretur.*"

Ver. 763. *dum:* Π. *cum.*—*coni perla-*

Tempore eodem aliud nequeat subcurrere lunæ
765 Corpus, vel supra solis perlabier orbem,
Quod radios interrumpat, lumenque profusum?
Et tamen, ipsa suo si fulget luna nitore,
Quur nequeat certâ mundi languescere parte,
Dum loca, luminibus propriis inimica, per exit?
770 Quod super est, quoniam magni per cærula mundi
Quâ fieri quidquid posset ratione, resolvi;

bitur: V. ed. *comperiabiliter;* Π. *conparabiliter.*

Ibid. *rigidas umbras.* In proclivi est capere pro *frigidas;* hæc autem interpretatio ad usus loci nihil facit: intelligas ergo multo commodius *densas,* vel *crassas;* quum corpora, quo crassiora sint, ut plurimum sunt duriora et *rigidiora:* et hæc notio poëtæ nostro in hoc versu opportunior est, quod de *cono,* speciem *rigidam* ac minime flexilem præ se ferente, jam sermo fiat. Ennius, sive Tullius ipse, apud Ciceron. Tusc. dispp. i. 16.

—— ubi *rigida* constat *crassa caligo* inferûm:

i. e. quasi ψηλαφητον σκοτος, Exod. x. 21. quæ tractanti rigida ad digitum resistere valeret.—*Perlabitur* autem, ac si per *aëris* nataret *mare,* vel *undas ætheris:* conferas ver. 277. ii. 151. Virgilius, Æn. i. 147.

Atque rotis summas levibus *perlabitur undas.*

Unde advecta est τȣ *undas* in O. codice nostro varietas; vice *umbras.*

Ver. 764. *subcurrere lunæ:* i. e. " sub " lunam currere, uti tellus facit; atque " lucem lunarem similiter intercipere." Ubi notes velim primariam significationem vocis. Hinc facili flexu vult *opitulari;* alio scilicet, ut alium tutetur, proprium corpus interjectum opponente.

Ver. 765. *supra:* sic Vind. V. ed. O. Δ. Π. Σ. Ω. vulgo, *supera.*—*perlabier:* Π. *perlabitur.*

Ver. 766. *radios interrumpat.* Sic locutus est Maro, Æn. ix. 239.

Interrupti ignes——.

Ver. 767. *fulget:* L. solus *fulgit,* si fas collatori credere; ut vulgares editi.

Ver. 768. *Quur:* sic Π. ad accuratam antiquariæ scripturæ normam.—*certa:* V. ed. B. O. Π. *terra:* c et *t* primum commutatis, deinde *r* et *t;* quorum uterlibet error in Longobardicâ scripturâ non ægre subnasceretur: vel librarius sponte verteret dictionem nihili *terta* in *terra.* Vanum est id etenim nobis, de quo nonnulli cogitarunt, *tetrâ* scilicet.

Ibid. *languescere.* Ad aliam nimirum hypothesin Epicuri, D. Laërtio memoratam, in x. 96. Εκλειψις ἡλιȣ και σελληνης δυναται μεν γινεσθαι και κατα σȣζεσιν.

Ver. 769. *inimica:* Π. ī *minuta;* cujus corruptelæ lineamenta vix discrepant, si *t* in *c* tantummodo mutes.—*per exit:* ita P. L. M. O. Π. Σ. Ω. Nonnulli legunt *pererrat,* vel *peragrat;* quasi hanc in libris suis vetustis lectionem repererint: quibus aliorum fidem non invideo, dummodo memet minus credulum patiantur. Vind. *perrexit;* V. ed. B. *pervexit;* Δ. *perussit;* quod venit ex usitatâ confusione duplicis *ss* et *x.*—Deinde, in P. V. ed. O. Δ. Π. Σ. Ω. repetitur ver. 763. omnino mendosissime.

Ver. 770. *cærula mundi:* vide ad vi. 95. et i. 1089. de quo loco remittendus eras ad ver. 232. ejusdem libri; sed error irrepsit.

Ver. 772. *Solis cursus, lunæque meatus.* Constrictior est Virgilius, in Æn. vi. 850

——————— *cæ*lique *meatus*

Describent radio——.

Solis utei varios cursus, lunæque meatus,
Noscere possemus, quæ vis, et caussa, cieret:
Quove modo soleant obfecto lumine obire,
775 Et neque opinanteis tenebris obducere terras;
Quom quasi connivent, et aperto lumine rursum
Omnia convisunt clarâ loca candida luce:
Nunc redeo ad mundi novitatem, et mollia terræ
Arva; novo fetu quid primum in luminis oras

Ver. 774. *soleant:* O. *possent;* Δ. *possint;* Σ. *posset:* abest vox V. ed.—*obfecto:* V. ed. O. Σ. *effecto;* P. Δ. Π. *effæto:* sed Pii codices quidam receptam lectionem exhibuere.

Ibid. *obfecto lumine.* Similiter Arnobius locutus est, lib. v. p. 164.—" idcirco, " illis color est, purpurei *luminis offectio-* " *ne*, subluteus—." Apuleius, met. v. uti solet, eleganter: " Jam nil *officiunt* " mihi nec ipsæ nocturnæ *tenebræ:* teneo " te, meum *lumen.*" Ubi liber unus accurate, *obiciunt:* et alter mendose, *efficiunt;* uti variatur quoque ad Virg. geo. i. 69. Redeas ver. 717.

Ver. 775. *neque:* vulgo, *nec;* contra universos autem libros.

Ver. 766. *Quom:* Π. *Con;* vestigiis antiquariæ scripturæ servatis.—*connivent:* Vind. *conibeunt;* V. ed. Ω. *conibent;* Δ. *combent;* Π. Σ. *cumbent; b* cum *v*, et *m* cum *ni*, uti passim, permutatis.—*rursum:* Π. *rursus.*

Ibid. *connivent, aperto lumine.* Sic de solis lunæque et *oribus*, et *vultibus*, poëtæ nusquam non loquuntur: redeas ad ver. 705.

Ver. 777. *convisunt:* V. ed. *connisunt;* Δ. *commiscent.*—*candida:* P. *condita.*

Ibid. *convisunt:* i. e. intuentur; *oculis* nimirum, postquam conniverint, reclusis. —*Candida* autem valet, *albentia*, fulgentia. Sic Mantuanus, ad Æn. vii. 8.

——————— nec *candida currus*
-una negat: *splendet* tremulo sub lumine pontus.

Sed rescribendum putem; immane quantum ποιητικωτερως et venustius. Vulgo, *cursus:* quod minime satis mihi in hoc loco facit. Empedocles, apud Aristot. de gen. et corr. i. 1.

ΗΕΛΙΟΝ μεν ΛΕΥΚΟΝ ὁρᾶν, και θερμον ἁπαντῃ.

Ver. 778. *mollia terræ Arva.* Hoc rectius videtur, et orbis *teneri* (vide Virg. ecl. vi. 34.) natalibus convenientius, quam ratio Virgiliana, ad geo. ii. 341.

Quum primæ lucem pecudes hausere, virûmque
Ferrea progenies *duris* caput extulit *arvis.*

Hoc enim epitheton vernæ tempestati, quum glebæ putres Zephyro resolvuntur, minus congruit: amplector igitur animo propensissimo Moretani codicis varietatem, quæ sane exhibetur in editione vetustissimâ penes me:

Ferrea progenies *durum* caput extulit arvis.

Nihil est illâ lectione verius. Idem, ibid. i. 63.

Unde *homines* nati, *durum genus*——.

Addam verba Diodori Siculi, i. 7. de primigeniâ tellure disserentis:—την γην παλαιὸν και παντελως ΑΠΑΛΗΝ. Committas insuper Carum infra, in verr. 923. 924.

Ver. 779. *in luminis oras Tollere.* Hinc tantum non certum est, primariam Medicei codicis scripturam ad geo. ii. 47. verissimam esse, et omnino admittendam:

Sponte suâ quæ se *tollunt in luminis oras*,
Infecunda quidem, sed læta et fortia, surgunt.

Aliter legi solet, *auras.* Princeps autem Ennius, in Lactant. i. 15.

Tu produxisti nos intra *luminis oras.*

780 Tollere, et incertis credunt committere ventis.
Principio, genus herbarum, viridemque nitorem,
Terra dedit circum colleis; camposque per omneis
Florida fulserunt viridanti prata colore:
Arboribusque datum est variis exinde per auras
785 Crescundi magnum inmissis certamen habenis.
Ut pluma atque pilei primum, setæque, creantur
Quadrupedum membris, et corpore pennipotentum;

Ver. 780. *Tollere et:* Vind. V. ed. Δ. Π. Σ. Ω. *Tolleret;* O. *Tollere.*—*credunt committere:* editores ex arbitrio, per exsecrandum facinus et detestabile, *tentarit credere.* Hæc autem ex mirâ scilicet Lambini, si diis placet, ευστοχασια primum fluxerunt, scriptos suos, nescio quos, crepantis: quibus valere jubeo. *Credunt* vero quinam? philosophi scilicet; qui in rebus hisce explicandis operam ingenii posuerunt.

Ibid. *conmittere ventis.* Maro, Æn. x. 69.

——— aut vitam *conmittere ventis.*

Et ab hoc Lucretii loco colorata sunt, quæ apud eundem leguntur, in geo. ii. 332.

Inque *novos soles* audent se gramina tuto
Credere, nec metuit surgentis pampinus *Austros.*

Ver. 781. Similiter Porphyrius, apud Euseb. præp. evang. i. 9. in loco mox proferendo ad ver. 784. quo amandandus es.

Ibid. *herbarum viridem nitorem.* His appositus est Horatius, epist. i. 10. 19.

Deterius Libycis olet, aut *nitet, herba* lapillis?

Hinc Virgilius, geo. i. 507. pendet:

——— *squalent* abductis *arva* colonis.

Sic noster, *nitidæ fruges,* i. 253. ubi nos.

Ver. 783. *fulserunt viridanti:* Π. *cinxerunt floridanti.*

Ibid. *fulserunt prata.* Locum in eodem argumento præclarius ornatum non novi quodam Manilii, v. 236. nec Lucretius tamen cesserit:

Ille colet *nitidis* gemmantem *floribus* hortum,
Pallentes violas, et purpureos hyacinthos,
Liliaque, et *Tyrias* imitata papavera *luces:*

ubi infelicissimam longe omnium emendationem Bentleius periclitatur; conferas Silv. Crit. ii. p. 96. v. p. 73. Hinc autem fortasse corrigendus est Ovidius, trist. iii. 12. 7.

Prataque *lucescunt* variorum *flore* colorum.

Vulgo, *pubescunt.* Adde Pindarum, Ol. ii. 130.

Ανθεμα δε χρυσω φλεγει:

i. e. "*flores,* ut aurum, fulgidi." Denique, post nullos elegantem hominem se dedit V. H. Fortunatus, iv. 36. 1.

Vere novo, tellus fuerit *cum* exuta pruinis,
Se picturato gramine vestit ager.

Libri, *dum;* vitiose.

Ver. 784. *exinde:* Δ. *exire;* non infeliciter, si salvâ staret constructione.

Ibid. *Arboribus variis.* Plutarchus, plac. phil. v. 26. Εμπεδοκλης πρωτα των ζωων τα δενδρα εκ γης αναδυναι φησιν: quem locum video De Rhoër attulisse ad Porphyrii de abst. ii. 5. Δενδρα μεν γαρ δη προ ζωων ανεδωκεν ἡ γη· των δενδρων δε πολυ προσθεν την επετειον γεννωμενην ποαν—. Virgilius, Æn. viii. 95.

Et longos superant flexus, *variis*que teguntur
Arboribus——.

Ibid. *per auras inmissis habenis.* Hinc ille Mantuanus haud dubie sua mutuatus evincitur, ad geo. ii. 363.

Sic nova tum tellus herbas, virgultaque, primum
Substulit; inde loci mortalia corda creavit
790 Multa, modis multis, variâ ratione, coorta.
Nam neque de cœlo cecidisse animalia possunt,
Nec terrestria de salsis exisse lacunis.
Linquitur, ut merito maternum nomen adepta

——— et, dum se lætus *ad auras*
Palmes agit, laxis per purum *inmissus habenis.*

Ver. 785. *magnum certamen.* Maro, ecl. vii. 16.

Et *certamen* erat, Corydon cum Thyrside, *magnum.*

Ver. 787. Post *Quadrupedum* editores *in* audacter, inutiliter, et inscite, libris universis reclamantibus, solent infercire.

Ver. 789. *secla:* Vind. *sacreda;* unde probabilitas et favor venit varietati codicis O.

——— inde loci mortalia *corda* creavit:

i. e. *ipsos mortales,* vel *animalia mortalia;* sic a rationali parte denominatos, recte *τοις αλογοις, corpore* et *membris,* oppositâ. Ita Persius, vi. 10.

Cor jubet hocc' Ennii——:

et ipse profecto Mantuanus, geo. i. 330.

——— fugere feræ; et *mortalia corda*
Per gentis humilis stravit pavor——:

Græcos nimirum magistros æmulati. Sic etenim prior Mæonides, in Il. B. 851.

Παφλαγονων δ' ἡγυτο ΠΥΛΑΙΜΕΝΕΟΣ λασιον ΚΗΡ.

Denique, re in animo versatâ, sinceram arbitror egomet lectionem *corda;* et *το secla* accersitum ex parallelo loco, in ii. 1152. adeo illud reposui. Progrediaris insuper ad ver. 862. inferius.

Ibid. *tellus mortalia corda creavit.* Varro, in Eumenisin, apud Nonium, xvii. 2. " Empedocles *natos homines ex terrâ* ait, " ut blitum:" quod est *olus* quoddam.

Ver. 790. *coorta:* P. *creata;* sed codices ejus prisci, ut edidimus: unde illud *creata* proprii cerebelli fetum dixerim.

Ver. 791. *de cœlo:* committas ii. 1153. Hinc de re insperatissimâ, et maxime mirabili, Juvenalis, ii. 40. ubi consulas interpretes:

Tertius *e cœlo cecidit* Cato——.

Ver. 792. *exisse:* Π. *exire.*—Et breviter alias hypotheses tangit poëta, quum *aqua,* tam infesta hominum immersorum vitæ, atque *cœlum igneum,* nullo modo judicari possint illos produxisse. Hinc autem vulgata lectio *plangentes,* ad ii. 1154. valde confirmatur; nam in hoc etiam loco non nisi de *cœlo,* et mari, mentionem noster facit.

Ver. 793. Conferas similia in ii. 997.

Ver. 794. *sit e:* Vind. *si de.*—*quoniam:* V. ed. *quom;* O. *quomodo;* Π. *cum.* —*sunt:* P. V. ed. *sint.*

Ver. 795. *nunc etiam.* Quam creationem animalium pereleganter descriptam nobis exhibuit luxuriosissimus Ovidii stylus in met. i. 416—438. quem perlegas.

Ver. 796. *concreta:* i. e. " in suas cor- " porum figuras membratim coalescen- " tia." Sic in suâ brevi cosmogoniâ Virgilius, ecl. vi. 34.

——— ipse tener mundi *concreverit* orbis.

Ver. 797. *tum plura et majora:* redi ii. 1151.

Ver. 798. *majora:* ita B. O. Δ. reliqui, *majore;* vitiose procul dubio.—*adulta:* sic omnes libri veteres, et scripti, et effigiati typis; editores autem hodierni, solitâ cum impudentiâ, dederunt ex suis commentis *adulto:* putantes scilicet, casum sextum post *adulta* contra leges Latini sermonis stare; sed inscitissime. Ordo est et constructio: " *Adulta,* i. e. ad " suam magnitudinem perducta, tellure

Terra sit, e terrâ quoniam sunt cuncta creata.
795 Multaque nunc etiam exsistunt animalia terris,
Imbribus et calido solis concreta vapore.
Quo minus est mirum, si tum sunt plura coorta,
Et majora; novâ tellure, atque æthere, adulta.
Principio, genus alituum, variæque volucres,

" novâ, atque æthere *novo*." Quæ ratio ne Lambino quidem displicuit. Vide quæ nos de hac dictione, non pœnitenda, disseruimus ad ii. 1129. Cæterum, clarissime liquet, phrasin *æthere adulto*, i. e. qui *maturitatem* suam attigerit, menti poëtæ atque apertissimis loci postulatis contradicere; quum omnia fingantur jam nascentia ex primordiis. Nimirum, *adoleo* et *adolesco* valent *crescere* vel *augere:* consule Nonium Marcellum, i. 288. iv. 44. Aurelius Victor, de Cæs. xxxii. 4. " Prudentes perniciosum reipublicæ (i. e. " *το βλαβερον τη πολει*) cecinere *adoles-* " *centis* (i. e. *αυξανομενε*) fluxo *inge-* " *nio*—." Ausonius, epitaph. Polydori, xix. 2.

Cede procul, myrtumque istam fuge, nescius hospes:
Telorum seges est, *sanguine adulta* meo.

Idem, idyll. vi. 72. sic scribendus:

——— Rescindit *adultum*
Myrrha uterum *lacrymis* lucentibus:

ut liber scriptus optime, pro *lugentibus*. Nempe, *plenum*, vel *auctum*, lacrymis; ut Lucretius passim loquitur. Confer Ovid. fast. v. 175. Claudian. rapt. Pros. i. 130. Virg. geo. ii. 362. Addam Ammianum Marcellinum, xxii. 8.—" Borys- " thenes, a montibus oriens Neurorum, " primigeniis fontibus copiosus, *concur-* " *sque* multorum amnium *adulescens*—." Catullus post neminem opportunus est, xx. 11.

Meis capella delicata pascuis
In urbem *adulta lacte* portat ubera:

i. e. plena lacte, et turgentia. Hinc haud difficile fuerit vocabuli potestatem veram, aliis in locis obtinentem, declarare; atque ad quosdam Virgilianos, jam apponendos, multi consimiles ultro poterunt volentibus exigi lectoribus. Primus adsit geo. iv. 379.

——— Panchæis *adolescunt* ignibus aræ:

i. e. haud dubie, " aræ *cumulantur* odo- " ribus Panchæis ignescentibus." Servius, Philargyrius, Heynius, alii, qui per *incenduntur*, sive *ardent*, interpretantur vocem, toto cœlo deerravere. Idem, ecl. viii. 65.

Verbenasque *adole* pinguis, et mascula tura:

i. e. large reponito, *cumulatim ingere*. Poëta de *incende* nihil cogitabat. Idem, Æn. i. 704. unde Statius etiam, Theb. i. 514. explicandus est:

——— et flammis *adolere* penates:

i. e. " *multos* ignes accendere per do- " mum;" vel *augere flammis ædes*. Multa disces, si consulas Heynium ad locum, et, quem laudat ille, Perizonium ad Sanctii Minervam, iv. 14. p. 756. ex auctorum locis, quos docti viri protulerunt, et crassissimis ipsorum erroribus, nullo negotio refellendorum. Rursus, Æn. iii. 547.

Junoni Argivæ jussos *adolemus* honores:

i. e. *large donamus*. Ibidem, vii. 71.

——— castis *adolet* dum *altaria* tædis:

i. e. complet, ingerit; redeas annotata nobis ad iv. 1230. Fructuose possem in latius discurrere, sed præsentia sufficerent, ni necessum esset auctoritati quorundam locorum occurrere, qui rationes meas infirmare videantur; quamvis diligentius ac potentius deducta, et grammaticis fundamentis solide subnixa, non sunt

800 Ova relinquebant, exclusæ tempore verno:
Folliculos ut nunc tereteis æstate cicadæ
Linquunt sponte suâ, victum vitamque petentes.
Tum tibi terra dedit primum mortalia secla;

temere relinquenda, propter unum atque alterum locum difficilis explicationis. Adscribam igitur, his præmissis, Claudianum, de nuptt. Hon. et Mar. 210.

——— pars nectareis adspergere tecta
Fontibus, et flammâ lucos *adolere* Sabæos:

i. e. *cumulare in* flammâ. Nescio tamen an non aliarum membranarum lectio præferenda sit:

——— flammâ lucos *abolere* Sabæos:

i. e. quasi *totos lucos consumere*, ob magnam vim aromatum. Confer Virg. Æn. iv. 495. unde nullus ambigem, quin Valerius Flaccus castigandus sit, Arg. iii. 443. quum Maronem clarissime velit ille æmulari:

Ter tacitos egere gradus; ter tristia tangens
Arma simul vestesque virûm, lustramina ponto
Pone jacit: rapidis *abolentur* cætera flammis.

Libri, *adolentur;* sed in certissimis videtur hæc emendatio recensenda. Ovidius, met. i. 492.

Utque leves stipulæ demptis *adolentur* aristis,
Ut facibus sæpes ardent——.

Hic certe captus sum, et vanitatis mea disquisitio coarguitur; nam *adolentur* in hoc versu nihil potest significare, nisi *incenduntur*. Sed duo codices exhibent *abolentur:* "forte rectius," dicit Heinsius. Optime, ac verissime! Nec vereor librariis imputare depravationem similem in epist. xvi. 333. Quâque feres gressus, *adolebunt* cinnama flammæ. Scribendum dico, vel *flammâ*, i. e. *flammam;* quæ pervulgatissima est aberratio: vel *abolebunt*. Denique, idem in fast. iii. 803.

Viscera qui tauri flammis *adolenda* dedisset——.

Interpretari possis, *cumulanda*, vel *ingerenda;* sed unice verum autumo, *abolenda*. Mox Ω. *alitum*, pro *alituum*.

Ver. 799. *genus alituum*. Maro, Æn. viii. 27.

Alituum pecudumque *genus* sopor altus habebat.

Ver. 800. *exclusæ:* Π. *excusæ;* perperam, quum illud sit in hac notione proprium maxime vocabulum: εκλελεπισμενα. Nec tamen, ob frequentem usum τυ *excudo* in Varrone, tutum fuerit forsitan affirmare, librarios toties aberravisse: consulas lexicum ad scriptores de re rusticâ. Vocem *excludo*, de pullis avium perrumpentibus ovorum corticem, Plinius sæpiuscule usurpavit; ac meum sane judicium est verbum *excludi* passim restitui debere: sed alii, quibus otium est, rem diligentius eventilent; nos, ne nimii simus, sedulo cavemus.

Ibid. *tempore verno*. Sine substantivo Ammianus Marcellinus, xv. 19. "Et "hæc, ut diximus, *anni verno* contin-"gunt." Versus autem Maronis, ad geo. ii. 336. opportuni sunt in primis, et plenius adscribi debent:

Non alios *primâ crescentis origine mundi*
Inluxisse dies, aliumve habuisse tenorem,
Crediderim: *ver* illud erat, *ver* magnus agebat
Orbis, et hibernis parcebant flatibus Euri,
Quum *primæ* lucem *pecudes* hausere, virûmque
Ferrea progenies duris caput extulit arvis,
Inmissæque feræ sylvis, et sidera cœlo.

Sic erat levius distinguendum ad ver. 339.

Ver. 801. *Folliculos*. Audiamus Nonium, ad ii. 327. "*Folliculum* Lucilius "posuit pro *corpore*, lib. xxvi.

"Ego, si quis sum, et quo *folliculo* nunc sum
"*indutus*——."

De quo usu τυ *indutus*, vide Silv. Crit. iv. p. 219. et nos supra, iii. 613. Arnobius opportune, lib. ii. p. 98. "Nihil est "enim nobis promissum ad hanc vitam, "nec in *carunculæ* hujus *folliculo* con-"stitutis, opis aliquid sponsum est, auxi-

Multus enim calor, atque humor, superabat in arvis.
805 Hoc, ubi quæque loci regio obportuna dabatur,
Crescebant uterei terrâ, radicibus aptei:
Quos ubi tempore maturo patefecerat ætas

" liique decretum." Mox corpus ibidem vocatur, *pelliculis* et *cutibus*. Huc referas Anaxarchi dictum apud Diog. Laërt. ix. 59. πτισσε τον Αναξαρχυ ΘΥΛΑΚΟΝ· Αναξαρχον δε υ πληττεις: i. e. ασκον· *utrem*, vel *follem*. Confer Tertulliani apologet. sub finem. Idem non cum nullâ elegantiâ, de res. carn. sect. 52. " Seritur enim " solummodo granum, sine *folliculi veste*, " sine fundamento spicæ:" et quæ sequuntur, per solertissimas antitheses compaginata.

Ibid. *tereteis:* i. e. rotundos et oblongos, ad proportionem corporis similiter tornati: vide Servium, ad Virg. ecl. viii. 16. ita tamen ut *tenuitatis* quendam latentem sensum vox in se videatur, ut plurimum, nobismetipsis saltem includere. Pelignus vates, art. am. iii. 77.

Anguibus exuitur *tenui* cum *pelle* vetustas.

Porro, nonnulli volunt reponere *ætate*, pro *æstate;* forsitan sine fructu: revertaris ad iv. 56. nec το *æstate* non optime congruit τοις *tempore verno* statim prægressis. Denique, longe appositissima sunt his Lucretianis, et lectoribus, quibus otium suppetit, debent omnino consuli, quæ in cosmogoniâ suâ declarandâ Diodorus Siculus proposuit, in i. 7. Lambino laudatus et adscriptus: sed nobis non licet esse tam prolixis.

Ver. 802. *victum:* i. e. cibum; *vitam:* i. e. aëra et lucem; quibus hauriendis carpendisque vita animalium sustentatur: vide ver. 808.

Ver. 803. *Tum tibi:* Π. *Tunc tibi;* P. *Tunc ibi;* quod undequaque pejus: regredere ver. 261.

Ibid. *terra dedit.* Ad hunc locum faciunt pulchre versus Marii Victoris, in gen. i. 129.

Jamque tepens tellus gravidos laxaverat artus;
Cum, majora agitans, jussit Deus edere terram
Omne animal, vegetat ratio quod sola movendi.

Origenes cont. Cels. lib. i. p. 29. Ει γαρ γενητος ὁ κοσμος, ὡς και πολλοις Ἑλληνων ηρεσεν, αναγκη τυς πρωτυς μη εκ συνυσιας γεγονεναι, αλλ' απο γης, σπερματικων λογων συσταντων εν τη γη.

Ver. 804. *calor atque humor superabat in arvis:* ut *tempore verno* scilicet nascentis mundi. Virgilius nonnihil hinc defloravit, ad geo. ii. 330. *ver* fusius, et ex professo, prædicans:

Parturit almus ager; Zephyrique *tepentibus auris*
Laxant arva sinus: *superat* tener omnibus *humor:*

i. e. *omnibus arvis;* uti nos docet Lucretius interpretari. Tacent editores. *Superabat* autem est *abundabat*, επεριισσευεν· uti glossæ veteres: videas etiam Sallust. Catil. xx. 11. ibique Cortium, cum Nonio Marcello, iv. 414.

Ver. 805. *Hoc:* i. e. hoc modo; videas me ad ii. 124. iv. 361. 626. 775. et alibi. Sic autem positum est in L. M. O. Π. Σ. Ω. verissime: P. Vind. B. Δ. *Hinc;* ex glossâ: V. ed. *Hec:* Bentleius reponi jussit *Hic;* i. e. *Heic;* provocans ad vi. 273. 445. 687. Nec male, si quid esset demutandum.—*ubi quæque:* Ω. *ubiquoque;* unde certissimâ emendatione scripserim:

Hoc, *ubiquomque* loci regio obportuna dabatur.

Quo nihil planius ac facilius. Si vulgata mordicus tenenda sint, phrasis *quæque loci regio* usitatissimum sit schema dicendi Lucretianum pro *cujusque loci regio*. videas ad i. 475. Nos divinationi propositæ adhærescimus; *ubiquōque* scilicet. Et *loci regio* est *situs* loci, vel positura. Virgilianum illud haud abludit, in Æn. vii. 215.

Nec sidus *regione viæ*, litusve, fefellit.

Ver. 806. *terrâ:* sic castissime, Ω. et

Infantum, fugiens humorem, aurasque petissens,
Convortebat ibei Natura foramina terræ,
810 Et sucum venis cogebat fundere apertis,
Consimilem lactis; sic, ut nunc femina quæque,
Quom peperit, dulci repletur lacte, quod omnis
Inpetus in mammas convortitur ille alimenti.
Terra cibum pueris, vestem vapor, herba cubile,

quædam exemplaria Lactantii, ii. 12. initio: Ω. autem, ut editio Juntina, ponit *in* ante *radicibus;* unde arbitror enatam varietatem *terram* librorum V. ed. L. M. Σ. reliqui, *terræ;* quod non probo, quum præpediat obscuretque constructionem loci. *Apti* autem *radicibus*, ut inferius, ver. 926. hoc libro, *aptum nervis.*—Cæterum, elegantissimi Lactantii enarratio lectoribus venustis haud dubie gratissima superveniet: " Aiunt certis conversionibus " cœli, et astrorum motibus, maturitatem " quamdam exstitisse animalium ferendo- " rum: itaque terram novam, semen ge- " nitale retinentem, *folliculos* ex se quos- " dam, in *uterorum* similitudinem, pro- " tulisse; de quibus Lucretius:

" Crescebant uteri terrâ, radicibus apti:

" eosque, cum maturassent, naturâ co- " gente ruptos, animalia tenera profu- " disse. Deinde, terram ipsam humore " quodam, qui esset lacti similis, exube- " rasse; eoque alimento animantes esse " nutritas."

Ver. 807. *ætas:* Vind. V. ed. Σ. Ω. *æstas;* perperam.—Hæc autem sic Diodorus Siculus exhibuit, i. 7. Το δ' εσχατον των κυοφορυμενων (nempe, ut paullo ante, των ὑμεσι λεπτοις, i. e. *teretibus folliculis*, περιεχομενων) την τελειαν αυξησιν λαβοντων, και των ὑμενων διακαυθεντων τε και περιρραγεντων, αναφυηναι παντοδαπυς τυπυς ζωων.

Ibid. *Quos patefecerat;* nempe, *uteros.* Sic D. Lucas, ii. 23.—παν αρσεν, ΔΙΑΝΟΙΓΟΝ ΜΗΤΡΑΝ, ἅγιον τῳ Κυριῳ κληθησεται.

Ver. 808. *humorem:* P. *humore.*—*petessens:* sic Vind. L. M. Σ. Ω. sincerissime; P. *petiscens;* barbare: V. ed. B. *petenses;* O. *potessens;* Δ. *petissens;* Π. *petescens:* redi sis ad iii. 648.

Ibid. *Convortebat foramina:* i. e. occupabatur in his foraminibus dirigendis ad novos fetus; ut nutrix mammam convertit ad os infantuli, lac appetentis.

Ver. 810. *Et:* P. Vind. V. ed. B. L. M. Σ. *Ut;* quod nescio an rejici debuisset, pro *Dum;* quamvis recepta lectio facilior et rectior appareat.—*sucum* V. ed. accurate: cæteri, *succum.*

Ver. 811. *nunc:* V. ed. *fiunt;* quod peccatum, ob similitudinem elementorum *c* et *t*, librarii in se non ægre admitterent, si modo prior ductus τυ *n* altius erigeretur.

Ver. 812. *dulci lacte.* Homerus, Od. Δ. 88.

Τυρυ, και κρειων, ηδε ΓΑΥΚΕΡΟΙΟ ΓΑΛΑΚΤΟΣ.

Ver. 813. *alimenti:* V. ed. *alundi;* Π. *clementi.*

Ver. 814. His habet Naso persimilia, in art. am. ii. 475.

Sylva domus fuerat, cibus herba, cubilia frondes.

Ibid. *vestem vapor.* Hoc est in ausis concessis poëtarum pro " vestem reddebat " calor minus necessariam." Mox Ω. *molle.*

Ver. 815. *lanugine:* i. e. gramine lanuginoso et tenerrimo, ob novitatem rerum. Similiter Apuleius, lib. v. init.—*teneris et herbosis locis.*—Ac credibile est nostrum sumpsisse locutionem a Græcis; sic enim Porphyrius, apud Euseb. præp. evang. i. 9. Ου τυτων ὑν εθυον προτερον, αλλα ΧΛΟΗΣΟΙΟν ει τινα της γονιμυ φυσεως ΧΝΟΥΝ ταις χερσιν αραμενοι.

815 Præbebat, multâ et molli lanugine abundans.
At novitas mundi nec frigora dura ciebat,
Nec nimios æstus, neque magnis viribus auras:
Omnia enim pariter crescunt, et robora sumunt.
Quâ re, etiam atque etiam, maternum nomen adepta
820 Terra tenet merito, quoniam genus ipsa creavit
Humanum, atque animans prope certo tempore fudit

Ver. 816. *ciebat auras.* Silius, Pun. i. 601.

Ferte leves *auras*, *flatus*que *ciete* secundos.

Emaculabimus in transitu Q. Ciceronis versum in Anthol. Lat. Burm. v. 41. 1.

Flamina verna cient obscuro lumine Pisces.

Vulgo, *Flumina;* quod certe mendosum. —Porro, sic enarrationem suam Lactantius, l. c. persecutus est: " Quomodo igi- " tur vim frigoris aut caloris ferre aut vi- " tare potuerunt, aut omnino nasci, cum " sol exureret, frigus adstringeret? Non " erant, inquiunt, in principio mundi " hyems nec æstas, sed perpetua tempe- " ries, et ver æquabile."

Ver. 817. Libb. *nec:* sed aliter semper Carus.

Ver. 818. *Omnia enim pariter crescunt:* adeo ut frigus, æstus, et venti, tunc temporis ob ætatem lenia fuerint; nunc autem, maturitatem suam adepta, violenta tandem evaserunt, atque exitialia.

Ver. 820. *Terra genus creavit Humanum.* Ita Venusinus, in poëmate quantivis pretii, sat. i. 3. 99.

——— *prorepserunt* primis *animalia terris*,
Mutum et turpe pecus——:

" *animalia:* i. e. *homines;*" enarrator vetus. Et committas Ovid. met. i. 80. 81.

Ver. 821. *animans:* hoc certe voluit τo *animas*, haud dubie pro *animās*, exemplarium B. L. O. Δ. Σ. Ω. Vox deest V. ed. cæteri habent, *animal;* quam formam Lucretius nusquam similiter adhibuit: redeas ad i. 774.—*fudit:* M. *fundit.*

Ibid. *fudit.* Verbum usitatissimum est in hoc negotio: vide i. 352. Gen. xxxviii. 27. vulg. vers.—" atque, in ipsâ *effusione* " *infantium*, unus protulit manum—." Eleganter Virgilius, geo. i. 13.

——— tuque o! cui prima frementem
Fudit equum magno *tellus* percussa tridenti——:

consulas ibi Burmannum, ac conferas Æn. viii. 139. Obiter enim vero corrigamus Sidonium Apollinarem, vi. 8.

Diva, Gigantei *fudit* quam tempore belli
Armatam partus vertice dividuo.

Libri, *Armatus;* durissime. Arnobius, lib. ii. p. 54.—" ex alvis *fundimur* atque emit- " timur matrum."

Ver. 822. *magnis:* Vind. V. ed. Σ. *magni.* Versum equidem ulcere gravi affectum puto. Si codices faverent, libenter rescripsissem:

——— quod *inmani* bacchatur *murmure* passim.

Ibid. *Omne:* ut adjectivum respiciat nomen vulgarius *animal*, in *animans* comprehensum. Hæc doctior constructio, poëtæ nostro valde familiaris, editorem Lactantii fefellit, ad vii. 4. " Rursum, *cæte-* " *ras animantes* hominis caussâ esse *fic-* " *tas*, ex eo clarum est, quod homini " serviunt, et tutelæ ejus atque usibus " *data* sunt." Dufresnoy dicit: " Procul " dubio legendum est *datæ:*" in quo valde peccavit vir eruditus.

Ibid. *bacchatur.* Magnifice adhibitum est vocabulum: nec minus elegante translatione Flaccus posuit, od. i. 25. 11. *bacchante vento;* et ibid. iii. 3. 55. *debacchentur ignes.*

Ver. 823. *Æriæ volucres:* nempe, *fun-*

Omne, quod in magnis bacchatur montibus passim:
Aëriæque simul volucres variantibus formis.
Sed, quia finem aliquam pariundi debet habere,
825 Destitit; ut mulier, spatio defessa vetusto.
Mutat enim mundi naturam totius ætas,
Ex alioque alius status excipere omnia debet,
Nec manet ulla sui similis res; omnia migrant:

debantur subaudito. Poëta constructionem immutatam voluit, ut alibi sæpissime. Sic autem scribitur in Vind. V. ed. L. M. O. Δ. Σ. Ω. vulgo, *Aërias:* Π. vero, *Aërias atque;* ubi metri lex manifestissime postulat *Aëriæ*.

Ibid. *Aëriæ volucres.* Oppianus, cyn. i. 380.

ΗΕΡΙΟΙΣ τ' ΟΡΝΙΣΙ, και ειναλιοις νεποδεσσιν.

Notata nobis recolas ad i. 12. Sic, cum nonnullis criticorum veterum, satius existimo capere Mæonidem, ad Il. Γ. 7.

ΗΕΡΙΑΙ δ' αρα ται γε κακην ερίδα προφερονται:

i. e. ὑρανοθι προ, ut in ver. 3. Sed enim supervacuum prorsus est alium interpretem Virgilio disquirere, ad geo. i. 375. de his ipsis avibus loquente:

——— illum, surgentem vallibus imis,
Aëriæ fugere *grues.*——

Ibid. *variantibus formis:* i. e. *pictæ;* vide nos ad ii. 344. Hinc facile prætulerim plurium membranarum lectionem ad Ovidii fast. iii. 499.

——— cæruleum *variabunt* sidera mundum—.

Heinsius maluit, *vallabunt;* non male, sicut te docebunt annotationes meæ superius, ad i. 74. Marius Victor, in gen. iii. 185.

——— donec *pingentia* cœlum
Sidera, et excelsi convexa attingat Olympi.

Sic alii: sed enim libet Alcimum Avitum in transcursu castigatiorem linquere, et accuratius distinctum, ad v. 385.

Incedit pavidum postrema per agmina vulgus;
Non impar numero, cœlum cum *pingitur*, *astris*.
Æstuat aut *moles* pelagi crispantibus undis.

Vulgo, "*motus* pelagi," in editis.

Ver. 824. Lactantius, ubi supra: "Cur "ergo nihil horum fieri etiam nunc vide- "mus? Quia semel, aiunt, fieri necessa- "rium fuit, ut animalia nascerentur; "postquam vero esse cœperunt, concessâ "his facultate generandi, et terra parere "desiit, et temporis conditio mutata est."

Ver. 825. *spatio defessa vetusto.* Cum his compares ii. 1149. 1173. Virgilius, ii. 596.

Non prius adspicies, ubi, *fessum ætate*, parentem
Liqueris Anchisen?——

Dictys Cretensis, iii. 23. "Cæterum, an- "te id decennium, non ita *defessum æta-* "*te* fuisse—." Confer Lucan. ii. 340.

Ver. 826. *ætas:* V. ed. Σ. *æstas.*

Ver. 827. *Ex alioque:* Π. *Ex alio atque.*—*excipere:* V. ed. *excipe;* loco *excipē.*

Ibid. *Ex alio alius excipere.* Hic est maxime proprius verbi *excipio* significatus; unde ab *accipio* distingui possit. Hac de re haud pœnitenda posui nuper ad Virg. geo. iv. 167. Æn. i. 434. Nimirum, plurima loca veterum restant hac medicinâ efficacissime persananda, quum librarii in verbis *excipio* et *accipio* commutandis sæpissime aberraverint: vide Burmannum, ad Ovid. fast. ii. 788. Drakenborchium, ad Liv. ii. 47. 7. x. 18. 9. ne plures nominem. Est sane, ubi non malum est *accipio*, sed longe foret elegantius *excipio;* atque ad consuetudinem scriptorum castissimorum. Illud *accipe* recte servavit Burmannus in Anthol. Lat. ii. 228. 5. sed differentiam vocabulorum in animo suo minime definitam habuit.

Omnia conmutat Natura, et vortere cogit.
830 Namque aliud putrescit, et, ævo debile, languet;
Porro aliud concrescit, et e contemptibus exit.
Sic igitur mundi naturam totius ætas
Mutat, et ex alio terram status excipit alter:
Quod potuit, nequeat; possit, quod non tulit ante.
835 Multaque tum tellus etiam portenta creare

Hinc iverim confidenter obviam codicibus Silii, ad Pun. xvi. 2.

Bruttia mœrentem casus patriæque, suosque,
Hannibalem *excepit* tellus:

i. e. *post* priorum castrorum stationem. Vulgo, *accepit;* inscite. Hinc ultro certissime rescripseram Lucanum, Phars. v. 629. et quidam codices suffragantur:

——————— latet obsitus aër
Infernæ pallore domûs, nimbisque gravatus
Deprimitur; fluctusque *a* nubibus *excipit* imbrem:

i. e. "statim capit post nubes;" sine solito interveniente casu per aëra. Vulgo, *in* et *accipit*. Nimirum, *accipio* potest λαμβανω, προςδεχομαι· *excipio*, ὑποδεχομαι, διαδεχομαι, εκλαμβανω, εκδεχομαι. Similiter emendes meo periculo Maronem, Æn. iii. 708.

Hinc Drepani me portus, et inlætabilis ora,
Excipit——.

Sed res non prolixius tractanda est nunc jam; et finem his imponam, cum duos locos commodissimos apposuero. Phædrus, i. 8. 10.

Spatium diei noctis *excipiunt* vices:

et V. H. Fortunatus, v. 6. 213. elegantissime:

Excipit hinc Narbo; quâ, litora plana remordens,
Mitis Atax Rhodani molliter intrat aquas.

Ver. 829. *vortere;* neutre, pro *vorti:* ut alibi.

Ver. 830. *aliud* abest V. ed.—*putrescit:* Π. *putrefit;* quod facile verum putaverim.

Ver. 831. *concrescit:* V. ed. B. M. O. Σ. Ω. *crescit.*—*e* deest Vind. V. ed. O. Δ. Π. Σ. Ω.—*contemptibus:* Vind. V. ed. Ω. *contemptilibus;* O. *contemptibilis.*—Loco videtur morbus inhærere, qui vel emaculatiores libros postulet, vel διαγνωστικωτερον saltem medicum.

Ver. 833. *ex alio:* V. ed. *exilio;* quod ab *ex illo* venit: nam *alio* et *illo* permutari solent.

Ver. 834. *Quod potuit, nequeat.* Rescribo:

Quod *tulit, ut* nequeat——.

BENTLEIUS.

Ingeniose; sed alia loca jam occurrerunt, in quibus poëta noster, more plane suo, voculam *ut* omisit: adeoque nihil ausim ex arbitrio novare.—Mox, V. ed. O. *cum*, pro *tum*.

Ver. 835. Hæc, et alia Lucretiana, de fontibus Epicuri derivata, sibi destruenda sumpsit Lactantius, de opif. dei, cap. vi. Lambino memoratus, atque dignissimus, qui perlegatur.

Ver. 836. *Conata:* V. ed. *Concita; a* scilicet hiante, et in *ci* facile demigrante. —*facie:* Vind. V. ed. Σ. *facit;* Ω. *faci.*

Ver. 837. Bentleius et alii hunc versum pro spurio confoderunt; quibus equidem haud assenserim, libris universis aliud suadentibus, Nimirum, res monstrosas versu monstroso vividius effingere poëta, ut videtur, voluit. Verum enim tempus poscit, varietatem lectionis declaremus. *Androgynem:* P. Δ. Π. Σ. *Androgynum;* sed Lucretius ad Græcam dictionem ανδρογυνης se composuit.—*utras:* Δ. *veras;* editores, omnia vetusta exemplaria conculcantes, *utrum.* Sed *utras* vel *naturas* respicit; (vide nos ad iii. 307 et mox, ver. 866.) vel *animantes;* (adi verr. 473.

Conata est, mirâ facie membrisque coorta:
Androgynem, inter utras, nec utramque, utrimque remotum:
Orba pedum partim, manuum viduata vicissim;
Muta, sine ore, etiam; sine voltu, cæca, reperta;
840 Vinctaque membrorum per totum corpus adhæsu,
Nec facere ut possent quidquam, nec cedere quoquam,
Nec vitare malum, nec sumere quod volet usus.

821.) cui nomini noster genus muliebre sæpius affixit.—*utramque:* P. *utrumque et;* ut editi vulgares.—*utrimque:* sic posui ex conjecturâ, nam in libris est *utrumque*, si excipias V. ed. in quo *utrunque* exaratur; cujus vocabuli lineamenta nostro non discrepant.—*remotum:* M. *remoti;* forsitan, pro *remotī*, vel *remotim:* quâ formâ adverbiorum Lucretius magnopere delectatur; vide nos supra, ad iv. 364. Quibus hariolationes temerariæ cordi sint, illi adeant Heinsium, de hoc versu disputantem, ad Claudian. Phœn. 163.

Ibid. Ordo est, ac sensus: "Hermaphroditum, inter utram naturarum, virilis atque muliebris, quis velit; nec tamen, qui utramque naturam in se rite complectatur, quum sit æque remotus ab utrâque." Cæterum, in hunc locum oculos Ausonii intentos fuisse, ad Mosell. 128. profecto nequit ambigi:

Teque, inter species geminas, neutrumque, et utrumque,
Qui nec dum Salmo, nec jam Salar, ambiguusque, *es;*
Amborum medio, Fario! intercepte sub ævo?

Sic rescribendum putem, addito *es*, et distinctione positâ ad finem secundi versûs. Consulas etiam epigramma Pulicis, Pio laudatum, et legendum in Anthol. Lat. Burm. iii. 177. Fons videtur Euripides fuisse, in Orest. 1528. de *Phryge* loquens:

Ουτε γαρ γυνη πεφυκας, ουτ' εν ανδρασι συ γ' ει.

Ver. 838. *Orba pedum partim, mirâ facie.* Virgilius de hoc loco cogitabat, geo. iv. 310.

——— visenda *modis* animalia *miris*,
Trunca pedum primo—.

Ibid. *manuum viduata.* Translationem longe venustissimam Horatius arripuit, od. ii. 9. 8.

Et foliis *viduantur* orni:

Mantuanus etiam, geo. iv. 518.

Arvaque Rhipæis numquam *viduata* pruinis.

Deinde alii: vide doctos animadversores ad Sil. It. xii. 370. Princeps Homerus, Il. E. 642.

Ιλιε εξαλαταξε πολιν, ΧΗΡΩΣΕ δ' αγυιας.

Accedat his etiam Callimachus, hymn. Cer. 106.

ΧΗΡΑΙ μεν μανδραι, κενεαι δε μοι αυλιες ηδη,
ΤΕΤΡΑΠΟΔΩΝ—.

Arnobius denique, ne sim in his levioribus prolixior, lib. i. p. 26.—"*viduatos*, videre, "*luminibus*—." Cæterum, in hac re Lucretius, opinor, Empedoclem sectatur, cujus superest versiculus, haud aliorsum spectans, apud Aristotelem de *animâ*, lib. iii. cap. 6.

Η πολλων μεν κορσαι ανευχενες εσλαστησαν.

Ver. 839. *Muta:* libri veteres universi, *Multa;* non prorsus absurde, quum vox *cæca* stare poterat, pro "quocunque modo inutilia et inefficacia:" vide nos ad i. 1103. et mox, ad ver. 1004. quod tamen et ambiguum esset, et minus concinnum in hoc loco. Libenter itaque amplector lectionem, conjecturalem cujusdam docti, ut opinor, quæ comparet in Aldinâ: et sic clausulæ commodissime conveniunt; *muta, sine ore; cæca, sine voltu;* ad sincerissimum Lucretiani styli candorem. Eadem ratio dudum Haver-

Cætera de genere hoc monstra, ac portenta, creabat:
Nequidquam; quoniam Natura absterruit auctum;
845 Nec potuere cupitum ætatis tangere florem,
Nec reperire cibum, nec jungi per Veneris res.
Multa, videmus, enim rebus concurrere debent,
Ut propagando possint procudere secla:
Pabula primum ut sint, genitalia deinde per artus

campo placuit. *Vultus* autem pro *oculis* tritissima est locutio; ut inscitiam Lambini non possum non demirari, reponere volentis *visu*. Haud aliter equidem intelligam Maronem, Æn. xii. 70.

Illum turbat amor, figitque in virgine *vultus*.

Sed in notis utile tempus perdimus.

Ver. 840. *Vinctaque:* Δ. *Junctaque:* non deterius. Virgilius, loco simili, Æn. viii. 485.

Mortua quin etiam *jungebat* corpora vivis,
Conponens manibusque manus, atque oribus ora.

Π. *Victaque.—adhæsu:* Σ. *adhæsum.*

Ver. 841. *possent cedere:* Π. dat, *possint credere.*

Ver. 842. *volet:* at Lambinus, et editores alii, contra libros veteres universos, ni fallor, intruserunt de suo, *foret;* audacter et indocte. Nempe, antiquissimis *volet* officio recentioris *velit* sæpe videtur fungi. Plautus, Rud. ii. 6. 1.

Qui homo *esse* sese miserum et mendicum *volet*,
Neptuno credat sese, atque ætatem suam.

Hiantem versum sic probabili supplemento Bentleius resarcivit, in exemplaris suî margine penes me. Nescias autem an huc respexerit Horatius, art. poët. 71.

Quæ nunc sunt in honore vocabula, si *volet usus*.

Ver. 843. *creabat:* i. e. *solebat creare;* nam hoc verbi tempore *series* talium portentorum *durabilis* ostenditur.

Ver. 844. *absterruit:* L. *abs se ruit;* M. Δ. *abseruit;* O. *abserruit;* versus deest Π. Nihil novandum puto.

Ver. 845. *cupitum:* V. ed. *captum.* Vide sis vero iii. 771.

Ver. 846. *nec:* abest Π. codici; Vind. V. ed. *ut;* forsitan pro *aut;* de quâ scripturâ sic foret versus constituendus:

Nec reperire *cibos*, *aut* jungi per Veneris res.

Solenne peccatum est librariorum commutare voculas *aut* et *ut:* vide Drakenborchium, ad Liv. iv. 12. 8. cum aliis, meoque indice.

Ver. 847. *debent:* sic O. Ω. vulgo, *debere;* sed istud hypermetrum carmen in Lucretium non temere recipiam; ac potissimum, clare cernens, ad quod inscitia scribarum hæsitaverit: *το videmus* scilicet, ita δεικτικως atque παρενθετικως extra constructionem decurrentem positum. Hoc autem dicendi schema probis est scriptoribus frequentatum; quod ne pueruli quidem nesciunt. Virgilium adscribam tamen, ex Æn. vi. 760.

Ille, *vides*, purâ *juvenis* qui nititur hastâ,
Proxima sorte *tenet* lucis loca—.

De genere hoc aliæ formulæ passim legentibus obversantur.

Ver. 848. *procudere:* sic P. sed Ω. *producere;* nec temere dicam equidem, utra sit anteponenda: V. ed. L. M. Σ. *procludere;* O. Δ. Π. *precludere.* Omnia quæ veniunt inter *possint* hujusce versûs, atque eandem dictionem ver. 850. desiderantur in V. ed. de solito peccato librariorum.

Ibid. *procudere secla.* Nonius Marcellus, ii. 677. "*Procudere* dixit prolatare, "*producere*, Varro. Legendo autem, et "scribendo, vitam *procudito*." In quo tamen falli putem grammaticum interpretationis suæ; et Varronem voluisse, "vi-"tam *acuere*, vel reficere:" ne torpor ob-

850 Semina, quæ possint membris manare remissis:
Feminaque ut maribus conjungi posset, habere
Mutua, quî meterent inter se gaudia uterque.
Multaque tum interiisse animantum secla necesse est,
Nec potuisse propagando procudere prolem.
855 Nam, quæquomque vides vesci vitalibus auris,
Aut dolus, aut virtus, aut denique mobilitas, est
Ex ineunte ævo, genus id tutata, reservans:

repat, et obtundat hebetudo. Sed super hoc aliorum sit judicium. Apposite vetus onomasticon: "*Procudo*, παρατείνω." Conferas Ciceron. de orat. iii. 30. fin.

Ver. 849. *genitalia Semina.* Maro, geo. ii. 324.

Vere tument terræ, et *genitalia semina* poscunt.

Ver. 850. *quæ:* V. ed. O. Δ. Σ. Ω. *qua;* minus recte: nam nihil proficeret meatus, *quo* quid effluat; nisi provisum esset, *quod* effluat.—*manare:* Π. *manere.*

Ibid. *membris remissis:* i. e. *se remittentibus*, laxantibus, solventibus. Virgilius, geo. iv. 199.

—— nec concubitu indulgent, nec corpora segnes
In Venerem *solvunt*—.

Nec alienus aderit Ovidius, fast. vi. 293.

Jure igitur virgo est, quæ *semina* nulla *remittit.*

Ver. 851. *ut maribus:* Vind. *uti maribus;* V. ed. L. Π. *ut in arvis;* B. *ut marvis:* voce distractâ, literisque; et omissâ *b.*—Cæterum, *que* deest Π. et Vind. V. ed. Ω. habent *quæ.*

Ibid. *Femina maribus conjungi.* Similiter Mantuanus, ecl. viii. 32.

O! digno *conjuncta viro*—.

Ver. 852. *quî meterent:* sic rescribendo ex conjecturâ conatus sum restituere locum sinceritati suæ, et quam minimam vim inferre codicibus vetustissimis et emendatissimis. Vulgari solet:

Mutua *queis nectant* inter se gaudia, *utrisque.*

Et sane P. habet *queis nectant;* sed hoc esse ex arbitrariâ loci castigatione, nimia istius editoris importunitas et cæterorum exemplarium testimonia neminem sinent, omnia morosius perpendentem, dubitare. At enim necessum insuper habuimus, ut sibi constarent tempora, *τὸ possit* prægressi versûs in *posset* mutare: cui favet facilitas aberrationis ob tenorem præcedentium, et solitus amor variatæ constructionis nostro. Atqui ad dissimilitudines scripturæ numerandas jam tandem accingamur.—*quî meterent:* Vind. V. ed. B. L. M. Ω. *qui metuent;* O. *quæ metuent;* Δ. *queis metuent;* Π. *queis metuunt;* Σ. *queis metuant.*—*inter:* Π. *in:* et *uterque* universi libri veteres.

Ibid. *Mutua habere*, pro *partes mutuas;* ad dicendi genus haud insolitum Lucretio: consulas indicem verborum.

Ibid. *quî:* i. e. *quo modo;* redeas ad iv. 637. Terentius, And. ii. 1. 34. non aliter:

Facite, fingite, invenite, efficite, *qui* detur tibi:
Ego id agam, mihi *qui* ne detur—.

Hoc autem injecit scrupulum librariorum genti.

Ibid. *meterent gaudia.* Naso, met. viii. 291.

Nunc matura *metit* fleturi *vota* coloni.

Ver. 853. *Multaque:* V. ed. *Mutaque.* —*tum:* Vind. O. Δ. Σ. *cum;* Π. *tamen:* nec mirum; nam *tũ*, et *tñ* lineamentis nihil variant: vide sis Drakenborchium, ad Liv. xxii. 17. 5.

Ver. 854. *Nec procudere:* V. ed. *Ut procludere.*

Multaque sunt, nobis ex utilitate suâ quæ
Conmendata manent, tutelæ tradita nostræ.
860 Principio, genus acre leonum, sævaque secla,
Tutata est virtus, volpeis dolus; ut fuga cervos.
At levisomna canum fido cum pectore corda,
Et genus omne, quod est veterino semine partum,
Lanigeræque simul pecudes, et bucera secla,
865 Omnia sunt hominum tutelæ tradita, Memmi!

Ver. 855. *vesci vitalibus auris:* quæ sunt utique ætheriis ignibus animata, atque hoc nomine ab *aëriis auris*, seu *non vitalibus*, distinguuntur. Hinc Virgilius, Æn. i. 546.

Quem si Fata virum servant, si *vescitur aurâ*
Ætheriâ, neque adhuc crudelibus occubat umbris.

Unde Arnobius, poëtici sermonis præcipuus affectator, videtur certissime emendandus, in lib. vii. p. 233. "Habent "enim dii nares, quibus ducant *ætherios* "*spiritus?*" i. e. auras cœli, vel haustus ætherios. Libri, *aërios;* de usitatissimo librariis peccato. Statius, Theb. i. 237.

Ille tamen Superis æterna piacula solvit,
Projecitque diem; nec jam amplius *æthere* nostro
Vescitur—.

Idem ille conditor Thebaïdos magnifice, ac feliciter, ibid. v. 24.

——————— *animam* quibus *hauseris astris?*

Ver. 856. *Aut dolus, aut virtus, aut mobilitas:* simili modo noster, ad iii. 741. 742. quo redeas. Virgilius, Æn. ii. 590.

——— *Dolus*, an *virtus*, quis, in hoste, requirat?

Jam vero constructio verborum, quam nemo videtur perspexisse, sic se habet: "Mobilitas, tutata id genus, reservans "est *ea*, quæcunque—." Phrasin vero *reservans est*, pro *constanter reservat*, vel reservavit et etiamnum reservat, nos attigimus in Silv. Crit. ii. p. 17. et alicubi in his commentariis: consulas etiam eruditissimos animadversores ad Hygin. fab. xxviii. finem.

Ver. 857. *tutata:* Vind. V. ed. Π. Σ. Ω. *tuta.*

Ver. 859. *Conmendata:* i. e. *se commendantia;* ad mediæ vocis significatum: redeas ad iv. 761.

Ibid. *tutelæ tradita nostræ.* Constructio est, et sensus: "Multaque sunt, tra-"dita (i. e. commissa) tutelæ nostræ, quæ "manent *in hunc usque diem*, commen-"data nobis ex suâ utilitate." Hæc autem exigentiæ loci, et scopo poëtæ, vix satis facere videntur; unde, quum *æ* et *a* sexcenties commutata sint scribis Lucretianis, me persuasum habeo sic rescribi debere:

Conmendata manent, *tutelâ* tradita *nostrâ:*

i. e. per manus hominum tradita; de seculo in seculum transmissa. De hac emendatione velim nasuti pronuncient, et intelligentes criticorum: cui ver. 865. minus profecto favet; ad quem tamen tu varietatem lectionis, ut sciscas, inspice.

Ver. 860. *genus acre leonum, sævaque secla.* Virgilius hæc defloravit, ad geo. iii. 264.

Quid lynces Bacchi variæ, et *genus acre luporum?*

Unde vanitas diversæ lectionis ad hunc Maronis versum, *pecus* pro *genus*, satis evincitur. Idem, ibid. ii. 151.

At rabidæ tigres absunt, et *sæva leonum*
Semina—.

Ver. 861. *Tutata est:* V. ed. *Tutast.* —*ut:* P. Δ. *et;* atque sic vulgares editi: perperam, tot talibusque exemplaribus dissuadentibus.

Nam cupide fugere feras, pacemque sequutæ
Sunt, et larga suo sine pabula parta labore:
Quæ damus utilitatis eorum præmia caussâ.
At, queis nihil horum tribuit Natura, neque ipsa
870 Sponte suâ possent ut vivere, nec dare nobis
Utilitatem aliquam, quâ re pateremur eorum
Præsidio nostro pasci genus, esseque tutum;
Scilicet hæc aliis prædæ, lucroque, jacebant

Ver. 862. *At:* P. Δ. *ut.*—*levisomna:* Vind. V. ed. Π. *levis omnia;* Σ. *levis ora.* —Et *levis somnus* est *velox* somnus, qui scilicet facile executitur; qualis contingit mortalibus ærumnosis, atque dolore quovis discruciatis: beati contra, et expertes curarum, alte solent dormire, et profundis soporibus demergi. Hinc valde roboratur mea Horatii emendatio ad ver. 18. hujusce libri. *Lævis* enim *timor* is est, qui *mobilem* quempiam, ac *fugacem*, reddit: conferas insuper verr. 856. 861. iii. 742. 743.

Ibid. *levisomna canum corda.* Dicuntur *vigiles* ab Horatio, od. iii. 16. 2.

——————— et *vigilum canum*
Tristes excubiæ—.
Lambinus.

Ibid. *canum corda;* pro *canes ipsi:* perlegas de hoc schemate nuperrime annotata sub ver. 789.

Ibid. *fido cum pectore.* Quemadmodum prior Ennius locutus est, apud Macrob. Sat. vi. 1. in versu, quem mutuum sumpsit Virgilius:

Teque, pater Tyberine! *tuo cum flumine sancto.*

Ver. 863. *veterino:* V. ed. O. Π. Σ. Ω. *veteri non;* Δ. autem, *uterino.*—De voce *veterino*, vide ver. 888. Nonium, i. 44. nostri memorem; Festum in *Veterinam:* qui tamen etymon nominis haud videntur pulchre detexisse; mihi saltem satis nequaquam faciunt.

Ibid. *semine partum.* De regimine rariori; pro vulgato, *prognatum:* sed non aliter Maronem esse accipiendum fidenter dixerim, ad Æn. vi. 89.

——————— Alius *Latio* jam *partus* Achilles:

i. e. *ortus ex Latio:* quod ideo monendum habui, quum res interpretum, in quantum valeam discernere, acumen fugit.

Ver. 864. *buccra:* Vind. V. ed. Π. *bugera;* quarum literarum permutatio frequens est in libris scriptis, quâ propter similitudinem soni, quâ formæ in majusculis figuris. Adi tu sis de hac confusione Drakenborchium, et quos laudat vir egregius, ad Liv. vi 25. 6.—Δ. *buccera.*

Ibid. *Lanigeræque pecudes, et bucera secla.* Hæc Ovidius non neglexit, ad met. vi. 395.

Lanigerosque greges, armentaque bucera, pavit.

Ibid. *bucera secla.* Glossæ veteres: "*Bucerum* (i. e. genus), γεννημα βοος." Festus: "*Bucerum* pecus de *bubus* dici-"mus." Et adeas Nonium, ad ii. 94. laudantem Cari nostri ii. 661.

Ver. 865. *tutelæ:* V. ed. *tutelâ;* redi ver. 859.

Ver. 866. *sequutæ.* Bentleius post Lambinum maluit *sequuta;* Lucretii consuetudinem non animum advertens: redeas modo annotata in var. lectt. ad ver. 857. Videtur participium ad *pecudes*, ver. 864. redire.

Ver. 869. *queis nihil:* P. *quis nil;* Vind. Σ. *quis ni;* V. ed. O. Δ. Ω. *quis in;* Π. *aliquis ni.*

Ver. 872. *tutum:* i. e. defensum; uti Virgilius plus semel. Sic Æn. vi. 238.

Indupedita suis fatalibus omnia vinclis,
875 Donec ad interitum genus id Natura redegit.
Sed neque Centaurei fuerant, nec tempore in ullo
Esse queunt; duplici naturâ et corpore bino
Ex alienigenis membris conpacta potestas,
Hinc illinc par vis ut non sic esse potissit:
880 Id licet hinc quam vis hebeti cognoscere corde.
Principio, circum tribus actis inpiger annis

—— *tuta* lacu nigro, nemorumque tenebris—.

Similiter ibid. i. 571. viii. 603. Frontinus, iii. 4. 6.—" quædam loca, munitione " *tuta*—." Cæterum, nonnulli editores, infelicissime dicam, an inscitissime? flumen orationis Lucretianæ frangunt, vim interrogativam τῳ *quâ re* tribuentes; quam Lambinus pulchre vidit abjudicandam esse.

Ver. 873. *aliis prædæ jacebant.* Pariter Mantuanus, Æn. ix. 485.

——————— *canibus* date *præda* Latinis,
Alitibusque, *jaces*—.

Ver. 875. *Donec:* sic universi libri; qui Lambinum non deterruerunt, quin suum *Donicum* inferciret; quod editores alii per patientissimam socordiam diligenter propagarunt.

Ibid. *ad interitum redigat.* Lactantius, vii. 11. " Nihil enim, Tullius ait, quod " sit manibus humanis laboratum, quod " non aliquando *ad interitum redigatur*, " vel injuriâ hominum, vel ipsâ confectrice " rerum omnium vetustate."

Ver. 876. *fuerant:* sic P. V. ed. O. Σ. Ω. vulgo, *fuerunt.*—*nec:* ita P. Vind. V. ed. Δ. Π. Σ. Ω. ad Lucretii morem, cum *neque* præcesserit in eodem versu; O. solus e meis, *neque.*

Ver. 877. *queunt:* P. *queat;* quod editoribus prave placuit, contra stantibus reliquis exemplaribus universis.—*bino:* M. *uno.*

Ver. 879. Sensus est: " Ita ut ex utrâ-" que parte monstri, ex homine puta et " equo constantis, nequeat esse par utili-" tas membrorum:" vel, " Impossibile " est, animantem sic compositam membris " alienigenis utrobique fungi." Sic autem se varietates lectionis habent.—*par vis:* P. *paribus;* Π. *pravis;* cæteri junctim, *parvis.*—*sic:* Δ. Σ. *sit.*—Et omnes libri post *sit* inferciunt *pars*, unde versus justam mensuram superat, præter P. qui *par.*—*potissit:* P. Vind. L. M. O. *potis sit.* Nimirum, forma *potesse* facit in tempore instante indicativi modi *potessit*, et in eodem tempore subjunctivi *potissit:* vide Diomed. lib. i. p. 381. Plautus, Curc. v. 3. 23.

Animum advortite, si *potissum* hoc inter vos componere.

Idem, in Pers. i. 1. 41.

——— quin si egomet totus veneam, vix recipi *potessit*
Quod tu me rogas.

Porro, dictiones *non sic* Bentleius suspicionis notâ merito signavit, sed nihil conatus est medelæ. Vanum fuerit in hac re sine codicibus hariolari; expromam tamen, quod in mentem venerit:

Hinc illinc par vis ut *monstris* esse potissit.

Ver. 882. Versus coram positus ita in vulgatis exhibetur:

Floret equus, puer *haudquaquam: quin* sæpe *etiamnum.*

Illud *quin* comparet in Vind. (cujus tamen collator haud dubie dormitabat) et P. ubi *quia* operarum vitio exaratum est. —Nostrum *ita* codex Ω. suppeditavit op-

Floret equus; puer haud ita quâquam: sæpe etiam nunc
Ubera mammarum insomnis lactantia quæret.
Post, ubi equum validæ vires, ætate senectâ,
885 Membraque deficiunt, fugienti languida vitâ;
Tum demum, puerili ævo florente, juventas

portunissime, librariis temere loco deturbatum, quia divisionem vocis *haudquaquam* inscitissime indignarentur.—Denique, *etiam nunc* invenitur in Vind. V. ed. L. M. O. Δ. Π. Ω.—Pius autem solus, *etiam tunc.*

Ver. 883. *mammarum:* V. ed. *in animarum;* Π. Σ. *animarum;* de solitis utique confusionibus literæ *m*, et *in*, *ni*.—*lactantia:* L. M. Ω. *lætantia;* τῳ *c*, ut sæpiuscule, in *e* migrante. Non equidem probo, nec simplicitati nostræ lectionis ullo modo æquiparandum putem, quamvis id Vossius prætulerit in notis ad Catullum, p. 234. editionis suæ, et Havercampus receperit in contextum. Committas autem velim i. 260. 886. ii. 370. Virg. geo. ii. 524. Nec dubitem dixisse Nasonem nostri memorem, ad met. vi. 342.

*Ubera*que ebiberant avidi *lactantia* nati.

Ac similiter idem ibid. vii. 321.

Lascivitque fugâ, *lactantia*que *ubera* quærit.

Accedat Serenus Samonicus, de med. 349. quem et alibi deprehendimus Lucretii vestigiis diligenter insistentem:

Ubera fecundo valde *lactantia* suco—.

—*quæret:* P. *quærit;* ut vulgares editi, contra reliqua omnia, ni fallimur, exemplaria.—Cæterum, editores, libros secuti satis fideliter, divisas voces exhibuerunt *in somnis;* nescio de quo sensu somniantes ipsi. Nempe, *insomnis* hic valet difficilis, *querulus;* sicut esse solet somniculosus puer. Persius, iii. 18.

——— iratus mammæ *tallare* recusas.

Sed uberioris explicationis non eget res.

Ibid. *Ubera mammarum:* i. e. θηλας μαστων, *mammarum papillas.* Hinc assenserim doctis viris, qui ad Minucium Felicem, sect. 21. " Diana interim est " alte succincta venatrix, et Ephesia, " *mammis* multis et *uberibus* exstructa—:" pro vitioso *veribus* reposuerint: nisi malis illud *et* inductum, atque *mammis uberibus*, pro *plenis* distentisque, capere.

Ver. 886. *puerili:* P. *pueris;* qui sic procul dubio tacite correxit ex conjecturâ: cui temeritati socordia editorum turpiter obsecundavit, libris universis adversantibus.—*florente:* Vind. V. ed. *florenta.* Facile credam, dictionem antiquariam per indoctissimos scribas Lucretio deperiisse; *florata* scilicet, *sese induens in florem:* adhuc superantem in compositis tamen; *defloro* nimirum, *præfloro*que.—*juventas:* Δ. *juventus.*

Ver. 887. *Obficit:* i. e. intervenit, puerile scilicet ævum atque senectam ætatem, in ver. 488. Nihil liquidius, faciliusque. Cicero, Tusc. dispp. v. 32. " At vero " Diogenes liberius, ut cynicus, Alexan- " dro roganti, ut diceret, si quid sibi opus " esset, Nunc quidem paullulum, inquit, " a sole. *Offecerat* videlicet apricanti:" i. e. se *inter* eum ac solem *posuerat.* Sic noster modo superius, ver. 717. et alii non raro. Potest idem, quod verbum *obsto;* unde responsum Diogenis Valerius Maximus sic extulit, iv. 3. fin.—" Interim a " sole mihi velim non *obstes.*" Tullius, pro S. Roscio, sect. 2.—" quoniam—ei " pecuniæ vita Sex. Roscii *obstare* atque " *officere* videatur:" i. e. interponi: quæ verba Lucretius quoque consociavit, ad i. 338. ii. 783. Nimirum, in Pio et reliquis editoribus, scriptum est *Occipit;* contra unanime ac luculentissimum testimonium membranarum omnium, et impressorum veterrimorum. Adeo nihil pensi fuit cor-

Obficit, et molli vestit lanugine malas:
Ne forte ex homine, et veterino semine equorum,
Confieri credas Centauros posse, neque esse:
890 Aut, rabidis canibus subcinctas, semimarinis
Corporibus Scyllas; et cætera de genere horum,

rectoribus, quin omni modo Lucretianum carmen facinorosis suis impuritatibus contaminarent. Ullâ de parte si scripti favissent, conjecturam fuissem periclitatus, quam ne malevoli quidem elegantissimum esse conatum denegabunt:

Tum demum, puerili ævo florente, juventas
Obfuscat molli *vestis* lanugine mala.

Notata relegas ad ver. 672. Lucanus, x. 135.

——— Stat contra fortior ætas;
Vix ullâ *fuscante* tamen *lanugine malas*.

Verum enim προς κεντρα λακτιζειν nolim, nec idoneis sine caussis exemplaria consentientia parvi facere; quamvis sane divinationi meæ Virgilius ipse aliquantulum suffragari videatur, ad Æn. x. 324.

———*flaventem* primâ *lanugine malas:*

quia scilicet *flavescens* color candidam faciem incepisset tum primum *obfuscare*.

Ibid. *vestit lanugine malas*. Ammianus Marcellinus, xxv. 4. "— hirsutâ "*barbâ*, in acutum desinente, *vestitus*—." Aliter Apuleius, met. v. p. 335.—"com-"modum *lanoso in* barbitio genas inum-"brantem." Nempe, *in* potest *cum;* ut sæpiuscule. Sic rescribendum dicam; pressius MSS. lineamentis, *lanostum*, *lanostim*, *lanosum*, insistens. Vulgari solet sine *in*. Adi Plin. nat. hist. ix. 15.

Ver. 888. Nonius, ad i. 44. hunc versum laudans, non exhibet το *et;* quod ē scriptum finali literâ τε *homine* elisum est: ac præbet insuper *torto*, pro *forte*. Dicam veritatem tibi. Elementum *c* de more in *t* abierat, atque ex dictione nihili lectio effecta est vulgaris, sinceram mentita Lucretii scripturam:

Ne *curto* ex homine et veterino semine equorum,

Quid autem? Meministin' illud cujuspiam veteris jocularium? Centaurum esse scilicet, vel equum evomentem hominem, vel hominem equo cacaturientem.

Ver. 889. *neque esse:* i. e. *vivere*, et propagare vitam; etiam si possent sic compositi exsistere: compares ver. 844—847. Ad hunc autem modum mollius scribitur, concinniusque, in P. Vind. V. ed. O. Δ. Π. Σ. Ω. Vulgo, *nec esse*.

Ver. 890. *rabidis*. Ita prius ex conjecturâ non erubueram substituere pro *rapidis*, quum in his dictionibus confundendis sexcenties librarii peccaverint, quam intellexerim idem Heinsio excogitatum. Poteras sane vulgatum per *rapacibus*, vel *avidis* interpretari, propter *voracitatem*, de quâ Homerus, Od. M. 246. 256. et consulas Sabin. epist. i. 33. cum nostris ad iv. 716. sed longe verissimum est in hoc loco *rabidis:* i. e. latratu sævientibus ac rabentibus. Similiter tantum non in quibusvis paginis poëtæ de *canibus* loquuntur. Confer Maronem, Æn. v. 257. qui in ecl. vi. 74. Lucretiana omnia sic oratione leviter immutatâ adumbravit:

Quid loquar aut *Scyllam* Nisi? quam fama secuta est,
Candida *succinctam latrantibus* inguina monstris,—
Ah! timidos nautas *canibus* lacerasse *marinis*.

Idem non aliter in Æn. i. 200.

Vos et *Scyllæam rabiem*—.

Auctor Ciris, ver. 79. de *Scyllâ* appositissime:

Piscibus et *canibus rabidis* vallata—.

Me videas ad Virg. geo. iv. 425. Tempestivus accesserit Ovidius, amor. iii. 12. 22.

Inter se quorum discordia membra videmus:
Quæ neque florescunt pariter, nec robora sumunt
Corporibus, neque perficiunt ætate senectâ;
895 Nec simili Venere ardescunt, nec moribus unis
Conveniunt; neque sunt eadem jocunda per artus:
Quippe videre licet pinguescere sæpe cicutâ
Barbigeras pecudes, homini quæ est acre venenum.

Per nos *Scylla*, patri canos furata capillos,
Pube premit *rabidos*, inguinibusque, canes.

Ubi quidam codd. *rapidos*, cui adversantur iidem versus leviter variati, ad art. am. i. 332. Conferas eundem in Ib. 231—235. Seneca, Med. 650. de eâdem Scyllâ:

——————— Siculi virgo Pelori,
Rabidos utero *succincta canes*,
Omnes pariter solvit hiatus.

Inspicias animadversiones Oudendorpii, ad Lucan. vi. 66. 337. et Sidon. Apoll. ix. 162. Sponte restitueram Tibullum, i. 2. 40.

Nam fuerit quicumque loquax, is sanguine natam,
Is Venerem e *rabido* sentiat esse mari.

Aphrodite scilicet, a mari *rabiem* suam ἐπαφρίζοντι. Sic idem ibid. i. 49. *furorem maris*. Quid, quod versu quarto recurrat *rapidi*; et *rapido* nihil habeat commune cum Venere *iram* suam exercente? Hæc autem videri possint et levicula et pervagata: sed non leviculum est judicio subacto in poëtis enarrandis uti, et vel trivialibus lucem et ornamentum dare. Nec minus eundem resuscitem, ad locum conclamatum, et infinitis conjecturis doctorum virorum usque ad satietatem solicitatum, iv. 1. 71.

Nec Scyllæ sævo conterruit impetus ore
Cum *canibus rabidis* inter *fera* serperet undas.

Eum insuper collyrii indigentem dixerim, qui non viderit parem castigationem adhibendam esse Catullo, ad lxiii. 34.

Rabidæ ducem sequuntur Gallæ properipedem.

Conferas ibid. verr. 31. 38. Lucanus, x. 211.

——————— *rabidos* quâ Sirius ignes
Exserit———.

Demiror editores vulgantes *rapidos:* vide Pers. iii. 5. Hor. ep. i. 10. 16. Cic. in Arat. 176. Ita malim egomet nobilem versum Prudentii corrigere, apoth. 131.

Calcantem *rabidos* inadustis fratribus *ignes:*

quum mox sequatur, ver. 141.

——————— piceosque *furores*
Comprimit, et *rabiem flammarum* algescere cogit.

Eadem medicina certissime Silio facienda, Pun. viii. 130. loquenti de *Dido;* (vide notas ad iv. 183.) nam Virgilius, quem voluit exprimere, vel maxime incredulis fidem extorquebit. Idem sibi postulat faciendum Statius, ad silv. iii. 5. 15.

——— aut *rabidi* mulcent te prælia Circi.

Vulgo, *rapidi;* sed nemo nostræ refragabitur emendationi, qui consuluerit Barthii notam, ad Theb. vi. 449. unde extra controversiam lectio nonnullorum librorum ponitur in Prudentii Hamart. 362.

——— nec equum *vesania* fervida Circi
Auctorem levitatis habet, *rabidive* fragoris.

Denique, Sidonium Apollinarem quoque, epist. ix. 13. unâ operâ emendabo, et recte interpretabor:

Peregrina det supellex
Tisiphontis ac Niphatis
Juga texta, beluasque
Rabidas, vacante panno:
Acuit quibus *furorem*
Bene ficta plaga cocco.

Flamma quidem vero quom corpora fulva leonum
900 Tam soleat torrere atque urere, quam genus omne
Visceris, in terris quodquomque, et sanguinis, exstet:
Quî fieri potuit, triplici cum corpore ut unâ,
Prima leo, postrema draco, medio ipsa chimæra,
Ore ferox acrem flaret de corpore flammam?
905 Quâ re, etiam tellure novâ, cœloque recenti,

Vacante autem, *amplo*, *spatioso*. At enim, supersint licet multa, receptui canendum, postquam monuero, conjunctum sensum, qui *rabidis canibus* continetur, singulari nomine cognati animalis; *luporum* scilicet, comprehensum esse Virgilio, ad Æn. iii. 428. ubi de diversis generibus, *canibus* et *lupis*, nullo modo cogitandum. Confer Horat. epist. i. 2. 26. Virg. Æn. vii. 18.

Ver. 893. *nec:* ita P. Vind. V. ed. O. Δ. Π. Σ. Ω. ad morem Lucretii, quoties vocula repetatur in eodem versu. Vulgo, *neque;* sed, uti valde suspicor, contra scriptos libros.

Ver. 894. *perficiunt:* i. e. *ad finem* ducunt, ita ut nequeat progredi; quod fit accedente senectute: conferas ii. 1115. Sic autem legitur optime in O. cæteri omnes, *proficiunt;* cujus loco consenserunt in emendatione Turnebi editores, *projiciunt:* sed nostra lectio probabilior. *Per* et *pro* in locis infinitis permutata sunt; ut voces insuper integræ ad Lucan. vi. 455. et Liv. xxxvii. 6. 7. ubi videndus Drakenborchius.

Ver. 895. *Venere ardescunt:* ut apud heroa Mantuanum Dido, Æn. i. 713.

Expleri mentem nequit, *ardescit*que tuendo,
Phœnissa——.

Ver. 896. *neque:* sic, cum varietate Lucretianissimâ quidem, P. V. ed. L. M. O. Ω. cæteri, *nec;* ut vulgari solet.—*jocunda:* ita P. V. ed. Δ. Σ. vulgo, *jucunda.*

Ver. 897. Vide his omnino similia ad i v. 644.

Ver. 898. *homini quæ est:* V. ed. O. Σ. Ω. *hominique est;* Π. *homini est quæ.*

Ver. 899. *Flamma:* Π. *Flamina.*—*vero:* exsulat a P. V. ed. O. Δ. Π. Σ. Ω. et, opinor, aliis omnibus vetustis; quamvis taceant collatores. Versus sic adimpletur in P.

Ignea flamma quidem cum——:

ex conjecturâ, ni fallor. Mihi versiculi sic videntur rescribendi, *quom* et *quoniam* scilicet passim confusis:

Flamma quidem *quoniam tam* corpora fulva leonum
Jam soleat torrere——.

Porro, V. ed. *vulva*, pro *fulva;* qui profecto referendus error ad cognatum sonum literarum: vide Drakenborchium, ad Liv. xxi. 2. 4.

Ibid. *corpora fulva leonum.* Utitur epitheto Virgilius, ad Æn. iv. 159.

—— aut *fulvum* descendere monte *leonem.*

Idem nostrum secutus est in geo. iii. 369.

—————— stant, circumfusa pruinis,
Corpora magna boum.

Ver. 900. *Tam:* Vind. V. ed. B. L. Δ. Π. Σ. Ω. *Jam.*—*torrere:* V. ed. *tonere;* permutatis *n* et *rr* ob similitudinem scripturæ in minusculis figuris: de quo videndus optimus ille Drakenborchius, ad Liv. iv. 10. 9.

Ver. 901. *Visceris et sanguinis:* quæ potissimum scilicet violentiâ flammarum tentarentur.

Ver. 902. *corpore:* V. ed. *tempore;*

Talia qui fingit potuisse animalia gigni,
Nixus in hoc uno, novitatis nomine inani;
Multa licet, simili ratione, ecfutiat ore.
Aurea tum dicat per terras flumina volgo
910 Fluxisse, et gemmis florere arbusta suësse:
Aut hominem tanto membrorum esse inpete natum,

quod peccatum alibi vidimus plus semel: *c* nimirum cum *t* in formis compendiariis mutatâ, *tpē* et *cpē*.—*ut:* P. O. *et.*—*unâ:* Vind. V. ed. Π. Σ. *unam.*

Ver. 903. *medio:* sic diserte dant Vind. Δ. Ω. et ulnis avidissimis amplectimur, ut illepidissima omnium ambiguitas evitetur, vulgatæ lectionis comes, *media* nimirum: atque vero est simillimum haud aliam ob caussam elegantissimum poëtam, ac judicii rectissimi, a Græcis recedere voluisse; quæ leguntur in Homeri Il. Z. 181. et Hesiodi Theog. 323.

Προσθε λεων, οπιθε δε δρακων, μεσση δε χιμαιρα,
Δεινον αποπνειουσα πυρος μενος αιθομενοιο.

Dixin' autem nostrum recedere a Græcis? Imo, falsus sum; non recessit: nam heroës isti sic certissime legendi sunt:

Προσθε λεων, οπιθε δε δρακων, ΜΕΣΣΗ δε χιμαιρα.

Conferas præcedentia, et Hom. Od. Δ. 844. atque consensum mihi non denegabis, sic unâ fideliâ tres etiam parietes, quod aiunt, dealbanti. Virgilius, Æn. iii. 417.

——— venit *medio* vi pontus——.

Aliter, caussâ jam dictâ non obstante, minime vulgatum *media* solicitassem; quum similiter locutus sit idem Maro, geo. ii. 297.

——— *media ipsa*, ingentem sustinet umbram.

Ibid. *ipsa chimæra:* i. e. "illud *ipsum* "animal, a quo nomen tricorpori natu-"ræ derivatur." Hæc est vis pronominis in hoc loco.

Ver. 904. *ferox:* i. e. δεινη, ut Hesiod. Theog. 320. vel *tremenda*, ut Horat. od. iv. 2. 15. Sic autem optime scriptum est in Δ. Vulgo, *foras;* sed, quamvis nihil relatum sit de B. M. mihi non liquet hanc lectionem in ullo codice comparere, præter Σ. recentem; P. Vind. V. ed. L. Ω. *feras;* O. *ferens;* et, vice *Ore feras*, Π. *Horriferas.*—*flaret:* sic P. V. ed. L. O. Δ. Ω. vulgo, *efflaret;* sed, opinor, sine scriptis: nec favet Virgilii parallelus locus, quum sine præpositione efferatur, ad Æn. vii. 786.

Cui, triplici crinita jubâ, galea alta *Chimæram*
Sustinet, Ætnæos *efflantem* faucibus ignis:

i. e. *flaniem de.* Vind. autem, cum Π. Σ. *flare.*—*flammam:* Π. *flammas.*

Ibid. *acrem flammam.* Virgilius, geo. iv. 409.

Aut *acrem flammæ* sonitum dabit——.

Ibid. *flaret flammam:* i. e. cujus *anima*, vel spiritus, erant flammæ. Hinc emendandum dixerim Maronem, Æn. vi. 288.

——————— ac belua Lernæ,
Horrendum stridens; flammisque *animata* Chimæra:

i. e. spirans flammas. Vulgo, *armata;* longe frigidissime et insulsissime. Hac erat vix ulla proclivior aberratio.

Ibid. *corpore.* Hoc friget, et eadem vox statim præcessit. Debuit dicere, de *visceribus*, *faucibus*, vel *gutture.* Restituenda est igitur dictio, quam librarii cum receptâ sæpe confuderunt; de quâ disputavimus ad i. 39. Nempe, Carus noster extra controversiam posuit:

——— acrem flaret de *pectore* flammam.

Diva Critice nunquam verius aliquid pro-

Trans maria alta pedum nixus ut pandere posset,
Et manibus totum circum se vortere cœlum.
Nam, quod multa fuere in terris semina rerum,
915 Tempore quo primum tellus animalia fudit;
Nihil tamen est signi, mixtas potuisse creari
Inter se pecudes, conpactaque membra animantum:

fata est hac conjecturâ. Virgilius, Æn. ix. 326.

——— toto *proflabat pectore* somnum.

Confer Ovid. met. vii. 109. Alia sunt ad manum, tam phrasi confirmandæ, quam permutationi vocabulorum exemplis comprobandæ, inservientia; sed quæ melius reservabuntur.

Ver. 906. *fingit:* V. ed. *fingunt.*—Mox Ω. *Nisus:* de quo redeas ad i. 1055. et ibi dicta.

Ver. 908. *ecfutiat:* Vind. V. ed. Ω. *effuciat;* unde Σ. *efficiat.* Nonius, in ii. 272. hunc versum depravatum exhibet.

Ver. 909. *tum:* P. O. Δ. *cum.*

Ibid. *Aurea flumina Fluxisse.* Ut imitator ejus de Italiâ, quam magnifice, geo. ii. 166.

——— atque *auro* plurima *fluxit.*

Ver. 910. *gemmis florere arbusta:* ut nunc utique florent roribus, gemmas referentibus. Noster apposite, ii. 319.

——— herbæ, *gemmantes rore* recenti.

Ver. 911. *tanto membrorum inpete:* i. e. tantum spatium uno conatu pedis valentium obire et complecti; conferas i. 200. et de hac vocis *impetus* potestate, ver. 201. hujusce libri.

Ver. 912. *nixus:* ita Ω. vulgo, *nisus;* V. ed. O. Δ. *visus.*—*pandere:* i. e. "cruribus semel divaricatis alta maria comprehendere;" vel gradu simplice transire. Sic autem legitur emendatissime in P. L. editores inscite *ponere* effinxerunt e *pondere* librorum Vind. V. ed. M. O. Π. Σ. Ω. Nihil planius aut elegantius nostrâ lectione. Venuste Virgilius, geo. ii. 258. variavit locutionem *pandere nixus pedum*, hinc probe intelligendus; nam Heynius, ne per nebulam quidem, vim verborum, aut figuræ pulchritudinem perspexit, a naturâ *serpentis* undique, atque *extendentis* se, plantæ illius derivatam:

——— hederæ *pandunt vestigia* nigræ.

Hinc *passus*, vel crurum explicatio, pro *gradus.*

Ver. 915. *Tempore quo primum.* Phrasem Virgilius excepit, in geo. i. 61.

——— *quo tempore primum*
Deucalion vacuum lapides jactavit in orbem.

Ibid. *tellus animalia fudit:* redi ver. 821.

Ver. 916. *Nihil:* sic Vind. V. ed. Vulgo, *Nil.*

Ver. 917. *animantum:* nempe, *diversorum.*

Ver. 920. *possunt:* editores quidam contra libros, *possint;* audacter et stulte.

Ver. 921. *Sed si:* quemadmodum verissime scriptum est, licet ultra captum editorum, in V. ed. L. M. Δ. Π. Σ. Ω. vulgo, *Res sic;* nec Vind. multo aliter, *Res si:* sed collatori non egomet temere fidem habeam: P. O. *Sed sic.*—Ordo est, et constructio: "Sed, si (i. e. *quoniam;* "vide nos, ad i. 869. et alibi) quæque "(i. e. *herba*, ver. 919.) suo ritu procedet, et omnes (i. e. omnes *etiam herbæ* "*ac fruges, omnigeni fetus terræ*) servant discrimina, naturæ certo fœdere." Supervacaneum esset, molestumque, vanas criticorum divinationes male ferianium recensere, melius oblivione sepeliendas.

Propterea, quia, quæ de terris nunc quoque abundant,
Herbarum genera, ac fruges, arbustaque læta,
920 Non tamen inter se possunt conplexa creari.
Sed, si quæque suo ritu procedit, et omnes,
Fœdere naturæ certo, discrimina servant.
Et genus humanum multo fuit illud in arvis
Durius, ut decuit, tellus quod dura creasset;
925 Et majoribus, et solidis magis, ossibus intus

Ver. 922. *Fœdere certo.* Virgilius, Æn. i. 62.

——————— qui *fœdere certo*
Et premere et laxas sciret dare jussus habenas.

Ubi forsitan rescribendum sit, *justus:* i. e. "rem probe ac prudenter tempe-"rans;" nam vis, et proprietas, vulgati *jussus* in hoc loco nequaquam liquet. Vide sis Servium ibidem.

Ver. 923. *genus humanum durius.* Hæc Virgilius respexit, ad geo. i. 63. observante id etiam Lambino:

Unde *homines* nati, *durum genus*——.

Et noster in hoc loco, cum ver. 778. collatus, vix sibi satis constare videri possit.

Ibid. *in arvis:* i. e. in saxoso telluris gremio conformatum; atque in apertis campis sub æthere nudo vitam degens.

Ver. 925. *Et:* P. V. ed. *E;* quod probavissem: quasi caussam scilicet hujusce duritiæ noster apponere voluerit; sed Arnobius non patitur vulgatam vocem de loco moveri. Nec tamen illud *Et* reliquorum exemplorum non esse possit error librariorum pro *Ex;* sic enim non raro peccavere: sed, quum ille scriptor utrilibet lectioni faveat, nihil sine fructu novandum puto; quamvis τo *Ex* verum credam. Obstat interea Virgilius, et scripturam publicatam roborat, in Æn. viii. 478.

Haud procul hinc *saxo* incolitur *fundata* vetusto
Urbis Agyllinæ sedes——.

Ibid. *solidis ossibus Fundatum,—aptum per viscera nervis.* Arnobius, lib. ii. p. 54. "*Ossibus* illis *fundata* sunt corpora, "et *nervorum* colligatione devincta: et "nobis, comparili ratione, *ex ossibus* "*fundata* sunt corpora, et *nervorum* col-"ligatione devincta." Idem, ibid. p. 84. "Quo ex materiæ genere humanorum "corporum concreta et stabilita sunt *vis-*"*cera?* Unde *ossa solidata?*" Idem denique, lib. iv. p. 131.—"quæ durat et "*solidat* infantibus parvis *ossa*—."

Ver. 926. P. interponit *et* post *Fundatum*, sed aliis libris universis dissentientibus.—*aptum:* Δ. *actis.* Eadem confusio est ad Virg. geo. iii. 168. Liv. xl. 13. 6. ubi videas Drakenborchium.

Ver. 927. *caperetur:* V. ed. Ω. *capetur;* omisso nimirum horizontali lineâ, *capētur.*

Ibid. *frigore caperetur:* i. e. implicaretur, tentaretur, teneretur. Virgilius, Æn. ii. 384.

Ignarosque loci passim, et *formidine captos.*

Consulas insuper Nonium Marcellum, iv. 48. et conferas nostrum, vi. 1249. Virg. iii. 441. atque Horat. sat. i. 1. 80.

Ver. 928. *labi:* Vind. Δ. *labe;* perperam, nec tolerabiliter profecto, extra cæsuram.

Ibid. *labi corporis:* i. e. morbo, qui ruere facit, ac *labi*, homines; uti Servius bene interpretatus est ad Virgilii Æn. ii. 97.

Hinc mihi prima *mali labes*——.

Unde noster e contrario, ii. 1146. "*ful-*"*cire cibus;*" atque iii. 126. "*fulcire* "salutem."

Fundatum; validis aptum per viscera nervis:
Nec facile ex æstu, nec frigore, quod caperetur;
Nec novitate cibi, neque labi corporis ullâ.
Multaque per cœlum solis volventia lustra
930 Volgivago vitam tractabant more ferarum.
Nec robustus erat curvi moderator aratri;
Quisquam nec scibat ferro molirier arva,
Nec nova defodere in terram virgulta, neque altis

Ver. 930. *vitam tractabant.* Flaccus, sat. ii. 2. 85.

——————— ubique
Accedent anni, et *tractari* mollius *ætas*
Imbecilla volet.

Atque de solito sibi dixit Carus, "*Volvi-*"*gago* more ferarum," vice tritioris ac plebeii, "*Volgivagi*, more ferarum:" i. e. sine certis domiciliis. Cicero, de invent. i. 2. "Nam fuit quoddam tempus, cum "in agris homines *passim*, *bestiarum* "*more*, vagabantur, et sibi victu ferino "vitam propagabant."

Ver. 931. *robustus moderator aratri.* Hinc Mantuanus, ecl. iv. 41.

Robustus quoque jam tauris juga solvet *arator.*

Ubi quidam codd. *Robustis*, ut *fortes tauri*, geo. i. 65. sed vulgatum loco moveri vel Lucretius non sinet. Porro, idem maximus poëta hoc argumentum exornavit, ad Æn. viii. 316. sed nostrum tamen neque simplicitate, neque elegantiâ quidem, superavit:

Queis neque mos, neque cultus, erat; nec jungere tauros,
Aut conponere opes, norant, aut parcere parto:
Sed rami, atque, asper victu, venatus alebat.

Nec suavissimos Moschionis versus apud Stob. ecl. phys. i. 11. non apponam lectoribus, eos libentissime visuris:

Η γαρ ποτ' αιων κεινος ην, ὁτηνικα
Θηρσι διαιτας ειχον εμφερεις βροτοι,
Ορμενη σπηλαια και δυσηλιους
Φαραγγας ενναιοντες· ουδε πω γαρ ην
Ουτε στεγνης οικος, ουτε λαϊνοις
Ευρεια πυργοις ωχυρωμενη πολις.
Ου μην αροτρεις αγκυλοις ετεμνετο
Μελαινα καρπω βωλος ομπνιε τροχος—.

Sed dies me colligentem et perscribentem deficeret, si decimam partem locorum huc pertinentium vellem recensere.

Ver. 932. *Quisquam:* Vind. V. ed. Π. Σ. Ω. *Quicquam.* Mihi in pectore sedet persuasio Lucretium scripsisse:

Quidquam nec *scibant* ferro molirier arva:

ὀδε τι· quod elegantius, et magis est inoffensâ constructione: vide ver. 931.—*molirier:* Vind. O. Δ. Σ. Ω. *mollirier;* minus exquisite, nec absurde tamen, si structura sit: "Nec scibat arva molliri ferro." Claudianus, de F. Mall. Theod. cons. 177. coram veniat:

——————— duras sulcis *mollire* novales.

V. ed. *molliner:* facili errore; quum, in Longobardicâ scripturâ, si litera *i* τῃ *r* propius admoveatur, *n* exsurgat: de quâ commutatione, adeas Drakenborchii notam in Liv. iii. 30. 3.—Cæterum, vulgo referunt *Quisquam* ad versum præcedentem, puncto post posito; ad perturbatam magis constructionem, nec quidem Latine satis. Ovidius, amor. iii. 8. 40.

Nec valido *quisquam terras aperibat aratro.*

Ibid. *molirier arva:* i. e. aggredi. Huc haud dubie Virgilius respexit, geo. i. 494.

Agricola, *incurvo terram molitus aratro*——.

Pulchre Avianus, fab. xii. 1.

Arboribus veteres decidere falcibus ramos.
935 Quod sol atque imbres dederant, quod terra crearat
Sponte suâ, satis id placabat pectora donum.
Glandiferas inter curabant corpora quercus
Plerumque; et, quæ nunc hyberno tempore cernis,
Arbuta puniceo fieri matura colore,

Rusticus, impresso *molitus* vomere *terram*,
Thesaurum sulcis prosiluisse videt.

Ubi consulas Cannegieterum; omnium potius, quod eruditis nimium adsolet, quam Lucretii mei, memorem, ducis licet atque auctoris omnibus. Confer Columell. ii. 4. 10. Venustissimum locum Hilarii in gen. 103. huc pertinentem, adscribere quid vetat?

Jamque seges tenerâ fructum fundebat aristâ,
Cum juga nulla forent, et vomer nullus aratri;
Mugiret nullus proscissis taurus in arvis.

Ita rescribimus: vulgo, "*nec* vomer;" omnibus insuper longe pravissimâ distinguendi ratione pessum datis.

Ver. 933. *neque:* sic P. Vind. V. ed. Δ. Σ. Ω. editores *nec;* libris, uti suspicor, non minus repugnantibus, quam poëtæ more.

Ver. 934. *decidere ramos.* Maro, Æn. xi. 5.

——— quercum, *decisis* undique *ramis*——.

Ver. 935. Hos versus elegantissimos idem Mantuanus presse imitatus est, in geo. ii. 500. atque adeo Macrobius locos jamdudum composuit, in Sat. vi. 1. fin.

Quos rami fructus, *quos* ipsa volentia rura,
Sponte tulere *suâ*, carpsit——.

Ver. 936. *pectora:* Vind. V. ed. B. L. Π. Σ. *pectore;* perperam. Vulgatum Macrobius exhibet l. c. Pius etiam, *placarat.*

Ibid. *placabat pectora:* i. e. reddebat *mitia;* fame quasi *furentia.* Horatius, sat. ii. 8. 5.

Quæ prima *iratum ventrem placaverit esca:*

quem committas etiam ibid. 2. 18. Ita Silius, "*rabidi* jejunia *ventris*," Pun. ii. 472.

Ibid. *pectora:* i. e. corda, vel præcordia; *πορ, καρδιαν*, vel *ψυχην:* compares Virg. Æn. ix. 413. 414. et nostram Silv. Crit. ii. p. 135. Diocles Carystius, apud Athen. deipn. ii. 27. *ὁ πεπων δ' εστιν* ΕΥΚΑΡΔΙΩΤΕΡΟΣ *και ευπεπτοτερος.*

Ver. 937. *curabant:* O. Ω. *curabat.*—*corpora:* M. *pectora;* consuetâ permutatione.

Ibid. *Glandiferas quercus.* Ovidius epitheton excepit, in met. xii. 328.

Vidi ego Petræum, conantem evellere terrâ
Glandiferam quercum——.

Unde, ob figuram *glandium*, Corippus, iii. 172.

Coniferæ veluti sacra inter flumina *quercus.*

Ibid. *Glandiferas quercus*, et *Arbuta*, ver. 939. Hinc pendet Virgilius, geo. i. 148.

——— quum jam *glandes*, atque *arbuta*, sacræ
Deficerent sylvæ; et victum Dodona negaret.

"*Arbuta* autem sunt *rubra* poma sylva-"rum." Servius ad locum.

Ver. 939. *puniceo:* editores, *pœniceo;* contra libros universos in hoc loco.—*matura:* Π. *natura.*

Ibid. *Arbuta.* Arnobius, lib. ii. p. 90. "Quid enim, si hoc modo culpam veli-"mus infligere prioribus illis atque anti-"quissimis seculis, quod, inventis frugi-"bus, *glandes* spreverint, et repudiave-"rint *arbuta?*" Luxuriat in hoc argumento hilarissimum ingenium Nasonis, ad met. i. 101.

Ipsa quoque immunis, rastroque intacta, nec ullis
Saucia vomeribus, per se dabat omnia tellus;
Contentique cibis, nullo cogente, creatis,

940 Plurima tum tellus, etiam majora, ferebat:
Multaque præterea novitas tum florida mundi
Pabula dira tulit, miseris mortalibus ampla.
At sedare sitim fluvici, funtesque, vocabant;
Ut nunc montibus e magnis decursus aquaï
945 Claricitat late sitientia secla ferarum.

Arbuteos fetus, montanaque fraga, legebant,
Cornaque, et in duris hærentia mora rubetis,
Et, quæ deciderant patulâ Jovis arbore, *glandes*.

Ver. 940. *majora:* Vind. V. ed. Π. Σ. *majore.*

Ibid. *Plurima.* Lege, *Pluria.*

BENTLEIUS.

Eandem cantilenam alibi cantitant editores Lucretiani, libris aliud edicentibus, et aures minus audientes memet obmovente.

Ver. 941. *tum:* O. Δ. Π. *cum.*

Ver. 942. *Pabula dira:* i. e. inamœnos, asperos, incultos cibos; σκληραν και πονηραν διαιταν, Græci: vide Eurip. Meleag. fragm. ix. 5. Ælian. var. hist. ii. 11. Glossarium vetustum: "*Dirum*, σκληρον:" et, "*Dirus*, πονηρος." *Dira fames* Virgilii, Æn. iii. 256. ea est, quæ *diris* vescitur. Sic autem comparet scriptum in omnibus Cari exemplaribus præter P. et Δ. (nam de B. siletur) qui dant "Pabula "*dia;*" quod quin sit ex emendatione recentiorum nullus dubito, optimos codices spernentium.

Ibid. *miseris mortalibus.* Ex Homero, Il. N. 569. οἰζυροισι βροτοισιν: et Od. O. 407. δειλοισι βροτοισι. Virgilius, geo. iii. 66.

Optuma quæque dies *miseris mortalibus* ævi
Prima fugit——.

Addam Papinium, in silv. iii. 2. 61.

—— abscissum *miseris animantibus* æquor——.

Ibid. *Pabula dira, miseris mortalibus ampla.* Sensûs idem prorsus tenor est Sophocleo versui, in Elect. 354.

Ου ζωὶ κακως μεν, οιδ' επαρκουντως δ' εμοι.

Valeat igitur Havercampus, cui Lucretius perparvum aut nihil debet, cum suâ conjunctione των *dia* et *ampla*, ac ineptissimâ distinctione suâ, positâ post *mortalibus.*

Ibid. *mortalibus ampla.* Flaccus, sat. ii. 2. 101.

Divitias habeo tribus *amplas regibus*——.

Ver. 943. *At:* Ω. *Et;* Macrobius, Sat. vi. 2. 1. fin. *Ad*, de solito scribis peccato: vide Drakenborchium, ad Liv. iii. 17. 3. quam variationem memoravit Vossius, de construct. p. 183. atque arripuit Havercampus, inconsulto satis; quum constructionis hujusce, *Ad sedare sitim*, neque exemplum quivis afferre poterit, nec rationes enodare. Casta Latinitas locutionem indignabunda respuit. Macrobius ibidem Virgilianam imitationem apposuit, ex geo. iii. 529.

Pocula sunt fontes liquidi, atque, exercita cursu,
Flumina——.

Digni sunt etiam Nasoniani versus longe exquisitissimi, qui et huc transferantur e fast. ii. 291.

Vita feræ similis, nullos agitata per usus:
Artis adhuc expers, et rude, vulgus erant.
Pro domibus frondes norant, pro frugibus herbas:
Nectar erat palmis hausta duabus aqua.
Nullus anhelabat sub adunco vomere taurus;
Nulla sub imperio terra colentis erat.

Nec elegantissimos Pontii Paullini versus, de Joanne Baptistâ, ver. 233. meis ausim equidem lectoribus denegare:

Præbebant victum facilem sylvestria mella,
Pomaque, et, incultis enatæ cautibus, herbæ;
Arentemque sitim decurrens unda levabat.
Sic primi vixere homines; mundoque recenti
Hos auctor dederat ventura in secula mores;

Denique, nota vagis, sylvestria templa tenebant
Nympharum; quibus excibant humore fluenta
Lubrica, proluvie largâ lavere humida saxa,
Humida saxa, super viridi stillantia musco;
950 Et partim plano scatere, atque erumpere, campo.
Nec dum res igni scibant tractare, neque uti

Inseruit donec sese malesuada voluptas,
Ac secum luxus et amorem invexit habendi.
Hinc odia, hinc lites, hinc fraus, hinc livor, et iræ,
Cædes, arma, cruor, conflictus, prælia, mortes.

Ver. 945. *Claricitat:* i. e. clarâ voce lapsûs ciet: quo vocabulo significantius, venustius, atque pulchrius picturatum, nemo poterat excogitasse. Nam de veritate hujusce lectionis, quam ex ruderibus variantium scripturarum Simeonis Bosii sagacitas expiscata est, nulla lis moveri debet. Sic autem se habent discrepantiæ librorum. *Claricitat late:* P. *Clarior accitat;* V. ed. B. *Claritati a te;* L. M. Π. et quidam Pii codd. *Claricitatiate;* neque aliter multo Σ. *Claricita tiate:* quæ receptæ lectioni non dissentiunt, si literam *i* cum *l* commutes; vide nos ad verr. 749. 763. superius. O. Ω. *Clarior aciate;* Δ. *Clam juvat æstate.* Somniculosus collator verissimam scripturam cod. Vind. adscripsit; sed ne dubites, quin negligenter ac mendose. Haud importunus accesserit Virgilii versiculus, in Æn. ii. 301.

Clarescunt sonitus, armorumque ingruit horror.

Ver. 946. *nota vagis:* ita scriptum est sincerissime, et appositissime, in P. V. ed. B. Δ. Π. Σ. Ω. "templa scilicet, ad quæ "in erroribus, ut apta domiciliis, animum "adverterant." Quibus quid pulchrius, et argumenti scopo convenientius? Vind. si credere fas sit collatori, *noctivagis;* et, silentio Havercampi teste, L. M. *noctivagi;* uti solet evulgari. Ducibus autem, tam perfunctorie munus suum obeuntibus, non temere fidendum. Nos propositis nihil melius, commodiusque, desideramus. Bentleius malebat *nocte vagi.*

Ibid. *sylvestria templa:* i. e. antra montium *cavernosorum*, κολπωδεις ΚΟΙΛΟΤΗΤΑΣ πετρων· vel *saxea tecta*, ut mox, ver. 982. Redeas ad notas in i. 121. et locos ibi provocatos. Plautus, mil. glor. ii. 5. 3.

——— in locis Neptuniis, *templis*que turbulentis:

i. e. "inter cavernas, et hiatus, procel-"losi maris:" cui convexitas est etiam superficiei, ut cœlo. Et contendas Æschylum, Prom. vinct. 445—468.

Ver. 947. *excibant:* i. e. "exsuscita-"bant aquas et deproperabant Nymphæ:" ad προςωποποιΐαν maxime venustam poëticamque. Sic sponte divinaveram Lucretium scripsisse, et sic luculentissime comparet exaratum in O. et Ω. Vulgo, *exibant;* ut P. Δ. Π. Σ. Codices autem Vind. L. M. *escibant;* quæ scriptura fluxerit, ni fallor, ex antiquariâ, quam mallem sequi, seculi Lucretiani orthographiâ, *ecscibant;* i. e. *excibant* nostrum: V. ed. *æstibant.* Hac sane restitutione nihil magis indubitatum credo. Vocem Virgilius sæpiuscule quidem adhibuit.

Ibid. *humore.* Lego, *humoris;* ut iv. fin.

——— *guttas*, in saxa cadenteis,
Humoris.

BENTLEIUS.

Nihil unquam vidi equidem infelicius.

Ver. 948. *largâ:* deest Π.—*lavere:* Δ. *luere.*

Ibid. *Lubrica humore:* i. e. "laben-"tia, vel mobilia, propter humidam na-"turam:" de elegantissimâ constructione. Silius Italicus, xiv. 433.

Murali saxo per, *lubrica sanguine*, transtra
Volvitur in fluctus, Lychæi vulnere, Cydnus.

Ovidius, fast. iv. 337.

Pellibus, et spoliis corpus vestire ferarum:
Sed nemora, atque cavos monteis, sylvasque, colebant;
Et frutices inter condebant squalida membra,
955 Verbera ventorum vitare, imbreisque, coactei.
Nec conmune bonum poterant spectare, neque ullis
Moribus inter se scierant, nec legibus, uti.

Est locus, in Tiberin quâ *lubricus* influit *Almo*.

Accedet etiam Horatius, epod. xiii. 14.

—— Scamandri flumina, *lubricus* et *Simoïs:*

i. e. "labilis, et difficulter retentibilis." Ascensius ad locum.

Ibid. *proluvie.* "Aliquando *proluvies*, "sola *effusio*;—aliquando pro *aquis nul-* "*tis* ponitur." Servius, ad Æn. iii. 217. Et elegans locus Virgilii legitur in Æn. vii. 683. huic Lucretiano multum appositus:

—— gelidumque Anienem, et, *roscida rivis*,
Hernica *saxa* colunt——.

Nec minus, in geo. iii. 521.

—————— non, qui, *per saxa volutus*,
Purior electro, campum petit *amnis*——.

Ver. 949. *musco:* Vind. V. ed. præbent *musto*.

Ibid. *Humida saxa.* De hac venustâ præeuntium verborum repetitione, dictum est ad ii. 954. et alibi. Interea, Calpurnius, ecl. vi. 67. non imitatus est hoc artificium tantummodo, sed locum integrum, et eleganter quidem, adumbravit:

Si placet, antra magis, vicinaque *saxa*, petamus;
Saxa, quibus *viridis stillanti* vellere *muscus*
Dependet——.

Addam quoque Mantuanum, geo. iv. 18.

—— liquidi fontes, et stagna, *virentia musco*—:

ac locum commodissimum Nasonis, met. viii. 561.

Pumice multicavo, nec lævibus atria tophis
Structa subit: molli tellus erat humida musco.

Ver. 950. *Et partim:* i. e. "pars scaturiginum, superius ebulliens, per saxorum latera defluebat; pars ad pedem "saxorum primum in æquora campi "erumpebat."

Ibid. *scatere campo.* Sic Lucius Ampelius, cap. viii. probe lectus: "*Ibidem* "*terrâ* oleum *scaturit.*" Libri, "*Ibi de* "terrâ:" pro quibus Heinsius reposuit, "*Ibidem de* terrâ:" sed *το de* longe melius ejicitur.

Ibid. *erumpere:* neutre, pro *se erumpere*, vel erumpi; unde Lucretii auctoritas accedit codicibus, sic Virgilium exhibentibus, ad geo. iv. 368.

Et caput, unde altus primum *erumpit* Enipeus:

quamvis hiatus ille nobismet ibi minus placeat.

Ver. 951. *scibant:* Vind. V. ed. Π. *scribant.*—*neque:* sic P. V. ed. O. Δ. Π. Σ. Ω. de Lucretii consuetudine; Vind. *atque;* ut sane Π. ad ver. 933. supra: vulgo, *nec;* sed, opinor, sine scriptorum auctoritate. Huic autem loco Diodorus Siculus est accommodus, in i. 8. Τους εν πρωτους των ανθρωπων, μηδενος των προς βιον χρησιμων εὑρημενης, επιπονως διαγειν, γυμνους μεν εσθητος ονταις, οικησεως δε και πυρος απειρους, τροφης δ' ἡμερας παντελως ανεννοητους.

Ver. 952. *spoliis ferarum.* Naso, epist. iv. 100.

Illa *feræ spolium* pignus amoris habet.

Ver. 953. *cavos monteis:* i. e. *templa montium;* redi sis annotata nuper in ver. 946. Sic Mantuanus, Æn. i. 81. *cavum montem.*

Ver. 954. *frutices inter condebant membra.* Ut heros Homereus, Od. E. 487.

Την μεν ἰδων, γνθησε πολυτλας διος Οδυσσευς·
Εν δ' αρα μισσῃ λεκτο, χυσιν δ' επεχευατο φυλλων.

Quod quoique obtulerat prædæ fortuna, ferebat;
Sponte suâ sibi quisque valere, et vivere, doctus.
960 Et Venus in sylvis jungebat corpora amantum:
Conciliabat enim vel mutua quamque cupido,

Sed enim Æolicum digamma clare vociferatur mendam priori versui insidere; unde, et ex collato ver. 475. omnino rescribendum putem:

Τὴν μὲν ΙΩΝ, γηθήσε—.

Mox idem, Od. Z. 127.

Ὡς εἰπὼν, θαμὲν ὑπεδύσατο δῖος Ὀδυσσεύς.

Accommodus est etiam in primis elegans locus Juvenalis, ad sat. vi. 2.

——————— cum frigida parvas
Præberet spelunca domos; ignemque, laremque,
Et pecus, et dominos, *communis* clauderet umbra:
Sylvestrem montana torum cum sterneret uxor
Frondibus, et culmo, vicinarumque ferarum
Pellibus——.

Communis umbra; nimirum *sylvæ*, quæ speluncam continebat et obumbrabat. Vulgo, *communi;* sed nostra lectio elegantior est, et exhibetur, quod impense lætor, Lactantio in scholiis ad Stat. Theb. i. 583. Ovidius, met. i. 122.

——————— domus *antra* fuerunt,
Et densi *frutices*, et vinctæ cortice virgæ.

Ibid. *condebant:* i. e. "unâ locabant "acervatim, sine curâ ac pudore, corpo-"ra, mox discretis thalamis curiosius po-"nenda." Nihil agunt, aut vident, qui interpretantur vocem per *abscondebant*. Ita minus accurate Nonius, iv. 49. de Virgiliano versu, in Æn. ii. 401.

Scandunt rursus equum, et notâ *conduntur* in alvo:

i. e. "se *cumulatim* injiciunt." Nec necessum est, ut in his ad sensum dictionis secundarium minus eleganter confugias. Sed annus integer transiret, dum inscitas vel in hac voce doctorum interpretationes coarguerem: ideoque finem statim facere præstiterit.

Ver. 955. *imbreisque:* Π. *umbrisque.* Et nescio, an non mihi magis arrideret τὸ *imbris* librorum pro secundo casu singularis numeri acceptum, atque cum *Verbera* consociatum. Huic saltem constructioni Virgilius favet, Æn. ix. 669.

Quantus, ab occasu veniens, pluvialibus Hædis,
Verberat imber humum.

His monitus, emendabo C. Marium Victorem, in gen. ii. 361. ubi vulgo legitur *aëre:*

Nox ruit, et subitæ cœlum obduxere tenebræ;
Effusoque cadens terras *ferit æthere nimbus.*

Verissimam esse conjecturam Virgilius evincit in geo. i. 324. Tibullus, i. 2. 7.

Janua difficilis dominæ, te *verberet imber:*

ubi consulas Broukhusium, et J. F. Gronovium quoque ad Sen. Hippol. 383.

Ibid. *Verbera ventorum:* vide notata ad i. 272. iv. 260. 936. Pariter Virgilius, geo. iii. 382.

Gens effrena virûm Rhipæo *tunditur Euro.*

Atque etiam Seneca, Œd. 473.

Et quos vicinus *Boreas ferit*——.

Ut alios bene multos in re leviore negligam.

Ver. 956. *neque:* sic P. V. ed. O. Δ. Π. Σ. Ω. ut semper solet Lucretius variare. Vulgo, *nec;* libris manu exaratis, sat scio, non addicentibus.

Ver. 957. *scierant:* editi, *scibant;* sed Vind. V. ed. L. M. Π. Σ. *sciebant:* unde me sincerissimam Lucretii scripturam elicuisse vix restet aliquid dubitationis. Forma verbi minus usitata librarios fefellit: vide sis Plaut. Pers. ii. 2. 36. Lucan. viii. 627.

Ibid. *Moribus nec legibus uti; Sponte suâ vivere.* Hæc spectavit Mantuanus, Æn. vii. 203.

Saturni gentem, haud vinclo, *nec legibus*, æquam;
Sponte suâ, veterisque dei se *more* tenentem.

Vel violenta viri vis, atque inpensa lubido;
Vel pretium, glandes, atque arbuta, vel pira, lecta.
Et, manuum mirâ fretei virtute, pedumque,
965 Conflictabantur sylvestria secla ferarum

Statius, in eodem argumento, Theb. iv. 278.

——— nondum arva, domusque, nec urbes,
Connubiisque modus———.

Ver. 958. *Quod quoique:* P. V. ed. *Quodcunque;* me judice, non deterius.

Ver. 960. *jungebat:* V. ed. *lugebat;* apposito etiam *jungebat:* M. *lucebat.* De receptâ lectione nihil ambigendum existimo: ex compendiario *jūgebat*, *i* et *g* non ægre migrarent in *l* et *c.* Π. *jungebant;* unde tentare possis haud invenuste:

Et *Venerem* in sylvis *jungebant corpora* amantum.

Sic etenim cultus locutus est Tibullus, ad i. 9. 77.

——————— *hunc* ego credam
Cum trucibus *Venerem jungere* posse feris:

ut repetitis vicibus etiam Ovidius.

Ver. 963. Cum his Bentleius, post Pium tamen, bene composuit Propertium, iii. 11. 3. meâ sententiâ, nondum persanatum:

His tum blanditiis furtiva per antra puellæ
Oscula sylvicolis empta dedere viris.

Ver. 965. *Conflictabantur.* Nos hanc lectionem, longe vividiorem, et poëticam magis, vulgatâ *Consectabantur*, ex conjecturâ redonavimus Lucretio, Veronensis scripturam parce detorquentes, *Conflectabantur.* Exquisitiori forsitan regimini vere possit imputari depravatio. Non aliter tamen Tacitus, ann. vi. 48.—" qui— " plura per scelera *rempublicam conflic-* " *tavisset.*" Neque in dubio est, an Tullius idem voluerit, de legg. i. 11.—" qui " *canem*, et *felem*, ut deos, colunt, non " eâdem *superstitione*, quâ cæteræ gentes, " *conflictantur.*" Dicant itaque lectores lepidi, an Lucretii venustates non feliciter sint operâ nostrâ recuperatæ.

Ver. 966. Editores optime reposuerunt hunc versum in stationem suam, qui male sequitur ver. 973. in scriptis exemplaribus. Omisit omnino Pius.

Ibid. *magno pondere clavæ.* Nescio, an Virgilius hinc sit castigandus, ad Æn. x. 318.

——————— Cissea durum
*Inmani*que Gyan sternentis agmina *clavâ:*

ubi vulgo scribitur *Inmanem.*

Ver. 967. *Multa:* docto regimine referendum est adjectivum ad *secla*, loco τȣ *ferarum*, in ver. 965. Adverbialiter quasi dictum sit, inscitissime Lambinus intellexit.

Ibid. *vitabant pauca:* utpote nihil timentes, propter magnitudinem virium suarum, ac rudium telorum pondus.

Ver. 968. *subus:* sic antiquissimi codices, atque emendatissimi, L. M. quos malim equidem præ cæteris, vulgatum *suibus* uno consensu exhibentibus, audire. Sic *bubus* Ovidius, met. xiv. 3.—*sylvestribus:* ita optime V. ed. quo probe declaratur animal in maxime horridis et immansuetis. Vulgo, *sylvestria;* ad meum gustum ineptissime: nec adjunctum duplex, quo sensum præbeat efficaciorem, non adamat Lucretius. Virgilius, geo. iii. 411.

——— volutabris pulsos *sylvestribus apros*—:

ubi vide Servium, et quæ nos olim haud pœnitenda dedimus ibid. ver. 247. Hinc intelligendus Achilles Tatius, ii. 34. Ἐξαιφνης δε συς σης ὑλης προπηδᾳ. Interpres, *e sylvâ;* malim egomet, " *Aper sylvæ*, i. e. " *sylvestris*, statim prosilit." Jam vero *sylvestria membra* nihil sonare potest, præterquam *homines sylvam incolentes;* quod frivolum ac supervacaneum in Lucretii loco.

Ibid. *Setigerisque subus.* Virgilius similiter, ad Æn. vii. 17.

Setigerique sues, atque in præsæpibus ursi——:

Missilibus saxis, et magno pondere clavæ;
Multaque vincebant, vitabant pauca latebris:
Setigerisque pares subus sylvestribus, membra
Nudabant terræ, nocturno tempore captei,
970 Circum se foliis, ac frundibus, involuentes.
Nec plangore diem magno, solemque, per agros
Quærebant, pavidei palantes noctis in umbris;
Sed tacitei respectabant, somnoque sepultei,

ut alibi, cum Ovidio, met. x. 549.

Ver. 969. *Nudabant:* poëtice pro vulgari *Nuda præbebant.* vel *dabant;* quod editores impudentissimi Lucretio obtruserunt, libris universis, indignissime factum! reclamantibus, et summo consensu nostram dictionem ostentantibus. Hinc autem statim animadverti Virgilium recte constituendum, et codices adstipulantur, in geo. ii. 531.

Corporaque agresti *nudat* prædura *palæstræ.*

Vulgo, *palæstrâ*, et *nudant:* sed *nudat* mordicus teneam, quum sit doctius, nec tenuissimam quidem speciem ambiguæ constructionis præ se ferat. Atque in certissimis est maximum poëtam non aliter scripsisse, ad Æn. v. 586.

Et nunc terga *Fugæ nudant*——.

Si codices præstantissimi non addicerent, Siliana imitatio, et exemplum Lucretii, per se rem evincerent. Vulgo, *fugâ:* videas Heinsium et Burmannum. Est autem prosopopœia; quasi scilicet *Fuga* suis oculis nuda terga cerneret. Quod notandum sedulo.

Ibid. *captei:* i. e. irretiti, prensi, translatione ex ferarum venatu sumptâ; ut Donatus ad Terentii Aud. i. 1. 55.

Egomet continuo mecum: Certe *captus* est!

Nos dicimus similiter, *Overtaken*, surprised.

Ver. 970. *se foliis involuentes:* redi ad ver. 954. Homerus ibidem:

Ὡς Οδυσευς φυλλοισι καλυψατο——.

Et vocabula *Circum involventes* Vitruvius conjunxit, x. 11.—" ex ordine progredi-" ens, singula puncta prætereundo et *cir-*" *cumvolvendo.*"

Ver. 971. Quorundam philosophorum opiniones hic videtur ire oppugnatum noster; pro quibus argumentatur Manilius non invenuste, in i. 66. ad hunc modum:

Nam rudis ante illos nullo discrimine vita
In speciem conversa operum ratione carebat;
Et stupefacta novo pendebat lumine mundi,
Tum, velut amissis, mœrens, tum læta renatis,
Sideribus——.

Quam sententiam Statius, l. c. ad ver. 957. supra, eloquentiâ pene Lucretianâ persecutus est; haud dubie versuum nobilissimorum, quibuscum nunc versamur, æmulatione concitatus:

Hi lucis stupuisse vices, noctisque feruntur
Nubila; et, occiduum longe Titana secuti,
Desperasse diem——.

Ubi vasta Barthii eruditio nec nostrum, nec Manilium, immemoratum transiit.

Ibid. *plangore magno.* Sic Maro, Æn. iv. 668.

——— resonat *magnis plangoribus* æther.

Ad quem versum proinde varietates *clangoribus*, *clamoribus*, sunt nihili faciendæ.

Ver. 972. Solent editores ὑποστιζειν ad *Quærebant;* sed το *pavidi* nobis videtur imbecillum et supervacuum cum *plangore*, signatum vero atque pervenustum, si retuleris ad *palantes.* Virgilius, Æn. ii. 489.

Tum *pavidæ* tectis matres ingentibus *errant.*

Dum roseâ face sol inferret lumina cœlo.
975 A parvis quod enim consuerant cernere semper,
Alterno tenebras, et lucem, tempore gigni,
Non erat, ut fieri posset mirarier umquam,
Nec diffidere, ne terras æterna teneret
Nox, in perpetuum detracto lumine solis:
980 Sed magis illud erat curæ, quod secla ferarum
Infestam miseris faciebant sæpe quietem;

Ibid. *noctis in umbris.* Idem, ibid. ix. 373.

——————— sublustri *noctis in umbrâ.*

Ver. 973. *tacitei:* Π. *placidi;* minus bene.

Ibid. Hoc est: " Sine plangoribus, se " quieti dabant somnoque, diem reversu- " rum in animo respicientes, ac solide " sperantes." Odiosi sunt Vossius, Faber, Creechiusque, cum suis deliramentis scilicet, *res spectabant*, *exspectabant*, ac *resupinabant:* quæ lepidis nauseam ciebunt. " *Respecto*, παπταινω:" glossæ veteres. Tritum est.

Ibid. *somnoque sepultei.* Maro, Æn. ix. 189.

——————— vino, *somnoque*, *sepulti:*

qui verborum ordo est Dorvilliano codici.

Ver. 974. *roseâ face sol.* Pulcherrime Hilarius, in gen. 67. hoc modo distinguendus:

Lucifer exsurgit *roseus*que, et fulgidus ore
Vesper: puniceos spargit Aurora capillos.

Ennius, apud Macrob. vi. 4. ita corrigendus:

——————— interea *fax*
Obcidit, oceanumque *supra* tractim *obrubet* æthra.

Vulgo, *rubra* et *obruit.*

Ver. 975. *A parvis:* Vind. Ω. *Aperuis*, vel *Aperius;* unde quidam libri, teste Lambino, non male, *A pueris;* per literarum transpositionem: Π. *Asperius;* Σ. *Aperuisset.*—*quod enim:* P. *quoniam:* forte, *quod jam.*—*consuerant:* Ω. *consueruut.*

Ver. 977. Ordo verborum est: " Non " erat, ut το mirari *id*, quod semper con- " suerant cernere, posset fieri; nec *erat*, " *ut* το diffidere, ne nox teneret terras, " *posset fieri.*" Modis infinitivis ita adhibitis multum usus est Lucretius: vide nos ad iv. 769. Editores, constructionem veram loci parum callentes, distinctionem posuerunt post *posset*, et interpretationem haud grammaticam dederunt.

Ver. 978. *Nec:* Vind. V. ed. Π. Σ. *Ne.* Et Virgilius videtur hujusce loci non oblitus, itidem de *sole* numeris magnificis, Jupiter! similia prædicans, geo. i. 468.

Inpiaque *æternam timuerunt secula noctem.*

Ver. 980. *curæ quod:* P. *curæ quæ;* V. ed. *curæque.* Legendum forte, " curæ, " *quia.*" De harum vocularum commutatione, vide Drakenborchium, ad Liv. v. 29. 1.

Ver. 981. *faciebant:* V. ed. L. O. *faciebat;* ut constructio sit: " Illud, quod " faciebat quietem infestam miseris; *nem-* " *pe*, secla ferarum." Sed hoc duriusculum est ad receptum ordinem verborum, neque de facilitate Lucretianâ.

Ibid. *Infestam faciebant*, pro *infestabant.* Justinus, xxiii. 1. 10.—" ex agris " finitimorum prædari soliti,—*infestas* re- " giones *reddebant.*" Conferas eundem, ad xxxvi. 1. 10.

Ver. 982. *Ejectei:* V. ed. ac Π. *Et lecti;* quod exortum sit forsitan peccatum, *i* in *l* mutato quoque, ex vetere orthographiâ, *Ecsjecti*, vel *Ecjecti;* quum *c* in *t* perpetuo migret. Hoc de genere sunt

Ejecteique domo, fugiebant saxea tecta
Spumigeri suis adventu, validique leonis;
Atque intempestâ cedebant nocte, paventes,
985 Hospitibus sævis instrata cubilia frunde.
Nec nimio tum plus, quam nunc, mortalia secla

etiamnum restantia, *exbibit*, *exjuravisti*, et *exmovit*, Plautina. Σ. *Electi.*

Ibid. *saxea tecta.* Homerus, hymn. Vulc. 1.

Ἡφαιστον κλυτομητιν αειδεο, Μουσα λιγεια·
Ὃς, μετ' Αθηναιης γλαυκωπιδος, αγλαα εργα
Ανθρωπους εδιδαξεν επι χθονος· οἱ το παρος περ
Αντροις ναιεταασκον εκ ουρεσιν, ηὔτε θηρες.

Atque hunc nascentis mundi statum pulchre Gratius attingit in cynegetico, ver. 13.

Tu trepidam bello vitam, Diana! ferino,
Quâ primam quærebat opem, dignata repertis
Protegere auxiliis, orbemque hac solvere noxâ.

Ver. 983. *Spumigeri:* sed recentiores editores, contra omnia vetera exemplaria, per summam vecordiam et impudentiam summam, nobis ex arbitrio recoctum dederunt *το Setigeri*, ver. 968. licet, ut taceam de imperio librorum, εννοιαν multo majoris periculi ac timoris incutiat efficax epithetum, quod poëtæ redonavimus. Voce *spumiger* Manilius usus est, ad v. 74. et exhibent quidam codd. Ovidii, in met. xi. 140. Seneca, Hippol. 347. apponetur:

Tunc vulnificos acuit dentes
Aper, et toto est *spumeus* ore.

Sed tero tempus inutiliter; nam *spumantes apri* celebrantur in quâvis paginâ poëtarum sermonis utriusque.

Ibid. *Spumigeri suis, validique leonis.* Quos junxit Claudianus, rapt. Pros. ii. 243.

——————— securus ubique
Spumet aper, *sævique* fremant impune *leones.*

Heinsius, unum codicem secutus, reposuit *sævum;* quod ipse non probo, nec favet sane congruentia clausularum.

Ver. 984. *cedebant:* Π. *tendebant.* Nimirum, postquam *c* in *t* de solito abierat, ex *tedebant* facile factum est *tēdebant.*

Ibid. *intempestâ nocte:* i. e. "cui *tem-* "*pestivitas* agendarum rerum deest." Eadem vocatur Longino, in tractatu περι Υψους, νυξ απορος, et απρηκτος, vel *intractabilis.* Mihi videntur interpretes ad Sallustium, et alibi, non præcise satis, neque luculenter, propriam efficaciam locutionis exposuisse. *Nox intempesta* legitur in Ennii fragmentis, p. 122. et Virgilii geo. i. 247.

——————— *intempesta* silet *nox.*

Ubi Servii commentarios sic castigaverim: "*Intempesta*, inactuosa, alta, den- "sa, crassa; qualis est *in tempestate.*" Libri, *intempesta.* Videas eundem ad Æn. iii. 587. Vetus onomasticon: "*In-* "*tempesta*, αωρος, ακαιρος, βαθεια, ακρασ- "τος." Lege, ΑΚΡΑΤΟΣ: i. e. *pura puta nox.* Unde idem statim: "*Intempesta nox*, "μεσονυκτιον." Bene; quod ea pars noctis maxime sit intempestiva.

Ver. 985. *Hospitibus sævis:* Π. *Hostibus senis.*

Ibid. *nocte—instrata cubilia fronde.* Hinc sua Virgilius expressit, geo. iii. 230.

Ergo omni curâ vires exercet, et inter
Dura jacet *pernox instrato* saxa cubili——.

At Œdipum quendam cedo, lector! qui mihi liquido expeditam præstiterit Virgiliani versûs constructionem. Mussas jamdudum video; et invenis neminem: nam faceta nimium est Heynii cogitatio, qui per *instrato* intellectum vult *non strato*, et prudenter sibi negotio supersedit hunc sensum exemplis collatis astruendi. Nihil restat, nisi ut hic sit ordo verborum: "Et jacet cubili instrato inter saxa."— Sed metuo, ut stabit *το instratus* sic nu-

Dulcia linquebant lamentis lumina vitæ.
Unus enim tum quisque magis deprensus eorum
Pabula viva feris præbebat, dentibus haustus:
990 Et nemora ac monteis gemitu, sylvasque, replebat,
Viva videns vivo sepeliri viscera busto:

de sine substantivo positum; nam Suetonii locus, August. 73. 2. "Ne toro "quidem cubuisse aiunt, nisi humili et "modice *instrato:*"—aliquantulum discrepat ob illud *modice;* quum sit quasi *stratis* modicis *instratus;* τῷ *instrato* substantivum, ut fit, complectente. Quid verbis opus est? Meudosâ distinctione Maro meus liberandus est, et semper in posterum sic ordinandus editoribus:

——————— et inter
Dura jacet *pernox instrato* saxa *cubili*
Frondibus hirsutis; et carice pastus acutâ.

Et jam denique Lucretium strictius expressum habes. Sed meam dispositionem verborum in primis stabiliunt Ovidii versus quidam, egregie depravati, sed jam nunc acumine meo qualicunque certissime in rectum redigendi, met. ix. 649. ubi vulgo, *taces:*

——————— cum tu, lassata sequendo,
Procidis; et durâ positis tellure *lapillis*,
Bybli! *jaces*——.

Hæc sane veritatis speciem præ se ferunt; sed iterum percutienti mendosum sonant: et postea id expiscatus sum, quod omne omnium venustorum punctum feret:

——————— cum tu, lassata sequendo,
Procidis; et, positis durâ tellure *papillis*,
Bybli! taces, frondesque tuo premis ore caducas.

Procidis; in *faciem* nempe: hinc *papillis*, et *ore*, convenientissima reperiuntur; ac frustra speres invenire vel apud ipsum Nasonem mollitudine delicatiori locum.

Ver. 986. Sensus est: "Nec tamen, "his calamitatibus expositi quamvis, ac "dilacerationibus ferarum, plures tunc "temporis, quam nunc dierum, inter la-"crymas et ejulationes moriebantur. Pris-"cis leti caussis hominum solertiâ sum-"motis, aliæ viæ sunt repertæ; nec mi-"nus tamen efficaces."

Ver. 987. *lamentis.* Sic legendum. Salse ridet, pro more, mortalium ignaviam, mortis timoribus discruciatorum, et miseras vitas inter lugubres ploratus relinquentium. Confer iii. 946. 947. 965. Quis igitur credidisset, eo socordiæ et sceleris editores venturos esse, ut nullo cum fructu, necessitate nullâ, maximis plausibus exciperent Mureti conjecturam *labentis*, atque uno consensu Lucretio obtruderent? Nihil novi insipientius, aut quod minus ingenuos atque bellos homines deceret. Nos poëtæ scripturam suam restituimus, appositissimam undequaque et venustissimam; nec melius quippiam vel animo fingi, vel optari profecto, poterat.

Ibid. *Dulcia lumina vitæ.* Sic alii bene multi, et primus Mæonides, Il. κ. 495.

Τον τριςκαιδεκατον ΜΕΛΙΗΔΕΑ ΘΥΜΟΝ απηυρα.

Unde non mirum est Euripiden εμφατικως vocavisse vitam τα φιλτατα, in Hippol. 978.

Ver. 988. *deprensus:* V. ed. *depensus;* P. O. Π. *deprehensus;* me non improbante.

Ver. 989. *dentibus haustus:* i. e. absumptus. Pariter Virgilius, Æn. ii. 600.

Jam flammæ tulerint, inimicus et *hauserit* ensis.

Neque aliter idem, geo. iv. 427.

Jam rapidus torrens sitientis Sirius Indos
Ardebat cœlo, et medium sol igneus orbem
Hauserat——:

i. e. "cursu *consumpserat.*" Et nunc dierum mos illepidissimus invaluit distinguendi post *cœlo*, qui nobis minime tolerabilis videtur.

At, quos ecfugium servarat, corpore adeso,
Posterius, tremulas super ulcera tetra tenentes
Palmas, horriferis adcibant vocibus Orcum:
995 Denique, eos vitâ privarant vermina sæva,

Ver. 990. *gemitu sylvas replebat.* Quemadmodum Mantuanus, Æn. ii. 679.

Talia vociferans, *gemitu tectum* omne *replebat.*

Adeoque nihili habeam lect. cod. M. *gemitus.*

Ver. 991. *vivo sepeliri busto.* Vide Eustath. Il. p. 564, 40. ed. Bas. Quod ad hujus loci sententiam attinet, cum illâ congruit illud Ennianum:

Vulturis in sylveis miserum mandebat homonem:
Heu! quam crudelei condebat membra sepulcro.

Hæc Lambinus. Ibi videas Hesselii notas, cum nostris ad Eurip. Ion. 951. de Rhoër etiam, ad Porph. de abst. ii. 50. et, quem laudat ille, Gataker. ad Antonin. vi. 21. Quod tamen in aliis Longinus culpaverit, minime injucundum nobismet saltem reddidit mirifica simplicitas Lucretii, et inaffectatus candor. Suetonius, ii. 13. sic legendus est: "*Et* qui-"dem uni, suppliciter *sepulturam* pre-"canti, respondisse dicitur, Jam istam in "*volucrum* fore potestatem." Apuleius, met. v. p. 354.—"sævissimæ bestiæ *sepe-*"*liri visceribus.*" Ibi plura Pricæus. Lusit suaviter in versibus minime contemnendis Sedulius, i. 177.

Jonas, puppe cadens, ceto sorbente voratus,
In pelago non sensit aquas, *vitale sepulcrum,*
Ne moreretur, habens; tutusque in ventre ferino,
Depositum, non præda, fuit; vastumque per æquor
Venit ad ignotas inimico remige terras.

Ver. 992. *At:* V. ed. *Ac;* Ω. *ad.*—*ecfugium corpore:* Π. *effugiunt tempore.*

Ver. 993. *super:* Π. Σ. Ω. *supra.*—*ulcera:* sic optime P. Π. Σ. Ω. et Florentina in var. lectt. cæteri, *viscera;* unde divinaveram rescribendum, *sub viscere;* et sic positum inveni in Florent. et O. sed vulgata longe meliora sunt. Serenus Samonicus, ver. 256.

Hujus et attritu *tetrum* mulcebitur *ulcus.*

Et venusti lectores, me tacente, observaverint, quam δεικτικως et ad vivum, veris ipsius Naturæ coloribus et Musarum calamo, poëta noster omnia depinxerit. —Mox Δ. *ortum* pro *orcum.*

Ver. 994. In his versibus concinnandis, coram fuisse nostro videtur tragicorum veterum Philoctetes. Ita de illo Sophocles, in fabulâ quantivis pretii, ver. 797. ubi nos videndi:

Ω Θανατε, Θανατε' πως, αει καλουμενος
Ουτω κατ' ημαρ, ου δυνη μολειν ποτε;

Adeas etiam fab. Æsop. xx. ed. Oxon.

Ibid. *horriferis vocibus:* quales nimirum *horrorem* membris audientium incuterent.

Ver. 995. *Denique:* editores ex arbitrio, *Donicum;* contra libros veteres universos, facinorosissimi mortalium.—*privarant:* sic P. V. ed. L. O. Δ. Σ. Ω. vulgo, *privarunt;* Pii codd. quidam, *privabant.* —*vermina:* Δ. *germina;* Δ. *vermia.*

Ibid. *vermina.* Sic Arnobius, lib. i. p. 30. "Verbo ille compescuit *verminan-*"*tium* membrorum cruces; et illi verbo "compescuerunt furialium *vermina* pas-"sionum." Festus in voce: "*Vermina* "dicuntur dolores corporis cum quodam "minuto motu, quasi a vermibus scinda-"tur. Hic dolor Græce στροφος dicitur." Intelligo sane ea tormina, quorum vi crispetur corpus, et undatim fluctuet. Fortassis igitur verba Festi sunt ita emendanda:—"cum quodam minuto motu, "*qualis* a vermibus *cieatur.*" Committas poëtam nostrum ad iii. 721.

Ver. 996. *ignaros:* Π. *ignavos;* de quâ permutatione Drakenborchius egit ad Sil. It. x. 86. et Liv. iii. 54. 3.

Experteis opis; ignaros, quid volnera vellent:
At non multa virûm sub signis milia ducta
Una dies dabat exitio; nec turbida ponti
Æquora lædebant naveis ad saxa, virosque:

Ibid. *quid volnera vellent:* i. e. quid remedii flagitarent. Silius Italicus, xi. 166.

Dum trepidæ res, et *medicinam vulnera poscunt.*
BENTLEIUS.

Ver. 997. *milia:* sic recte P. V. ed. O. Ω. vulgo, *millia.*

Ibid. *multa milia Una dies dabat exitio.* Videtur imitatus Ennium, apud Macrobium, Sat. vi. 2.

—— *multa dies* in bello conficit *unus.*

Ex quo versu ne dubites vocabulum decidisse ob similitudinem propinqui, sic vere reponendum:

Milia multa dies in bello conficit unus.

Adstipulatur etiam Virgilius, Æn. v. 806.

Milia multa daret leto—.

Et Lambinus opportunissime admovit Ciceronem, de off. ii. 5. ad quem locum Pearcius nostras perquam infeliciter administravit rem: "Est Dicæarchi liber "de interitu hominum:—qui, collectis "cæteris caussis, eluvionis, pestilentiæ, "vastitatis, beluarum etiam repentinæ "multitudinis, quarum impetu docet quæ-"dam hominum genera esse consumpta; "deinde comparat, quanto plures deleti "sint homines hominum impetu, id est, "bellis aut seditionibus, quam omni reli-"quâ calamitate."

Ver. 999. *lædebant:* "scripti codices, "*lidebant;*" Heinsius, in adversar. i. 11. p. 118. Sed, quinam fuerint isti codices, aliis edisserendum linquo. Noster simplice verbo usus est pro composito aliorum; ut sæpe alias. Etymon vocis, et primariam significationem ejus, pervenire non potui.

Ver. 1000. *Nec:* sic omnes libri; de suo editores, *Sed;* rationem structuræ minime callentes, ita se habentis: "Nec "mare, sæpe coortum frustra, sævibat;" in naves scilicet, quæ nondum oceanum tentaverant. Ut signatiorem sensum daret, noster suo more voces synonymas cumulavit; vide ii. 1059. quod et alii scriptores castissimi sæpenumero fecerunt. Plures editi, ad cerebella criticorum, sic constituerunt versum:

Sed temere, incassum, mare *fluctibus* sæpe *coortis.*

Nos omnibus libris vetustis obsecuti sumus. Pius dicit, se in castigatis et eruderatis codicibus deprehendisse, *incursu fluctûs*, pro *incassum frustra:* et Vossius, ad Catull. p. 230. loco *frustra*, corrigebat *flustro.* Nos tales subtilitates non amplectimur, contenti simplicioribus.

Ver. 1001. *ponebat:* sic, si fides collatoribus habenda sit, in codd. B. L. M. scriptum comparet: utinam res liquidius innotesceret! P. quoque non aliter; et nolumus lectionem solicitari, donec de membranis istis certiora referantur. Vind. V. ed. *potebas;* O. Δ. Ω. *poscebat;* quod minime displicet: Π. *petebat;* Σ. *portabat:* et pro var. lect. *potebat.* Forte, *promebat.* Quæ locantur in contextu, firmantur pulchro disticho Propertii, iii. 8. 6.

Transeat hic sine nube dies; stent aëre venti;
Ponat et in sicco *molliter unda minas.*

Ibid. *Sævibat:* i. e. exercebat rabiem. Suavissimam translationem hinc Boëtius arcessivit, in lib. i. met. 5.

Operis tanti pars non vilis,
Homines quatimur fortunæ salo.
Rabidos, Rector! comprime *fluctus;*
Et, quo cœlum regis immensum,
Firma *stabili* fœdere terras.

Ita legendum: libri, *rapidos* et *stabiles.*

1000 Nec, temere, in cassum frustra, mare, sæpe coortum,
Sævibat; leviterque minas ponebat inaneis.
Nec poterat quemquam placidi pellacia ponti
Subdola perlicere in fraudem ridentibus undis:
Inproba navigii ratio tum cæca jacebat.
1005 Tum penuria deinde cibi languentia leto
Membra dabat; contra nunc rerum copia mersat.
Illei inprudentes ipsei sibi sæpe venenum
Vergebant; nunc dant aliis solertius ipsei.

Ver. 1002. *placidi pellacia ponti:* redi ii. 559.

Ver. 1003. Orthographiam *perlicere* in verbo posui, quamvis libri veteres recentibus nihil dissentiant, si credendi sint collatores: videas var. lectt. ad vi. 999.

Ibid. *ridentibus undis:* confer sis i. 8. Et in proximo, V. ed. habet *cum*, pro *tum*.

Ver. 1004. *Inproba:* i. e. *mala*, calamitosa; vel quæ *ratibus impiis*, uti Venusinus loquitur, temerat oceanum.

Ibid. *cæca:* i. e. inutilis, sine profectu, ignota, nondum in *lucem* eruta. Petronius, cap. cxxviii. " Numquid ab aliquo " naturali vitio formam meam *excæco?*" i. e. obscuro, perdoque. Πιδαξ τυφλη, apud Antip. Sidon. epig. 64. et alios, cujus *spiramenta*, vel foramina, *cæca* sunt (vide Virg. geo. i. 89. 90.); nec foramen est, per quod in *lucem* erumpat. Heinsii notam omnino velim perlegas ad ejusdem Maronis ecl. vii. 56. Longinus, περι Υψους, sect. 14. fin. pulchro consortio verborum dixit ΑΤΕΛΗ και ΤΥΦΛΑ. Perspicaciter Burmannus vidit nihil novandum esse in elegantissimâ Nasonis locutione, ex Pont. ii. 7. 45.

Pectora quam mea sunt serie *cæcata* malorum:

i. e. ημβλωμενα· hebetata, atque facta inutilia. Theophrastus accommodus est, hist. plantt. i. 13. Εισι δε των οζων, οι μεν τυφλοι, οι δε γονιμοι· λεγω δε ΤΥΦΛΟΥΣ, αφ' ων μηδεις βλαστος. Nec non Themistius, orat. xx. Ου γαρ αι αμπελοι μεν αυτω, και ο κηπος, ημεροι τε και ΕΓΚΑΡΠΟΙ ησαν, ΤΥΦΛΗ δε η διανοια, και αγρια. Cum Plinio, nat. hist. xvi. 54. ex Theophrasto, uti notavit etiam Harduinus: " Ramorum ali- " qui *cæci*, qui *non germinant*—." Paludes *steriles* et inamœnas Plutarchus haud aliter descripsit in Syllâ, cap. 20.—πορρω δ' ω προεισιν (ο Μελας ποταμος), αλλα τε μεν πλειστον ευθυς εις λιμνας ΤΥΦΛΑΣ και ΙΑΤΩΔΕΙΣ αφανιζεται—. Ita locus est rescribendus: libri, ὑλωδεις· inepte; Bryanus, ἑλωδεις· ineptius. Idem error est in Lucullo, cap. 32. Της δε χωρας η πολλη συνηρεφης ουσα, και στενοπορος, και ΙΑΤΩΔΗΣ, (editi, ὑλωδης) αει καθυγραινεν αυτους, χιονος αναπιμπλαμενους εν ταις ὁδοιπορμαις, και κακως εν τοποις ΝΟΤΕΡΟΙΣ νυκτυρευοντας. Sic in Cimone, cap. 13. τοπους ἑλωδεις, και διαβροχους: et Lucull. 20. χωριοις ἑλωδεσι και ΝΟΤΕΡΟΙΣ. Ita scribendum: vulgo, νοσεροις. Videas etiam quæ dicturus sum ad vi. 1267.

Ver. 1005. *penuria cibi;* quæ vocatur Virgilio, ad Æn. vii. 113. *penuria edendi.*

Ver. 1006. *dabat:* Vind. V. ed. Σ. *dedant;* O. Π. *dabant.*—*mersat:* V. ed. *mersast:* forte, *mersans;* i. e. " nunc copia " rerum *mersans* dat leto membra:" confer vi. 1174.

Ibid. *rerum copia mersat.* Juvenalis, x. 57.

Quosdam præcipitat subjecta potentia magnæ
Invidiæ: *mergit* longa atque insignis honorum
Pagina—.

Dictys Cretensis, v. 12. " *Mersis* dein " *multo vino*, atque somno, barbaris—."

Inde casas postquam, ac pelleis, ignemque, pararunt;
1010 Et mulier, conjuncta viro, concessit in unum,
Castaque privatæ Veneris connubia læta
Cognita sunt, prolemque ex se videre creatam;
Tum genus humanum primum mollescere cœpit.
Ignis enim curavit, ut alsia corpora frigus
1015 Non ita jam possent cœli sub tegmine ferre:
Et Venus inminuit vireis; puereique parentum
Blanditiis facile ingenium fregere superbum.

Sic rescribendum, ni fallar: vulgo, *Fessis.*

Ver. 1007. *inprudentes;* sic P. solus; cæteri, *prudentes;* præter Vind. ac V. ed. qui *prudenter.* Sed verissimum puto, quod dudum viris doctis evulgatum est, sive sit id ingenii fetus, sive scriptorum testimonium. Facile nimirum *το i* literâ præeunte absorptum foret, *Illi īprudentes.* —*ipsei:* P. *ipsis.*

Ver. 1008. *nunc dant:* Vind. V. ed. Π. Σ. Ω. *nudant;* V. ed. etiam, *nedant; c* scilicet in *e* mutato, et voculis coalitis, in *nc dant:* O. *et nudant;* Δ. *et nudabant.*—*aliis:* deest Vind. V. ed. Π. Σ. in cujus ultimi margine scribitur, "Abest "*corpus;*" quod comparet sane in O. et Ω. ut *letum* in P.

Ibid. *Vergebant:* i. e. "*inclinando* vas, "effundebant;" secundario dictionis sensu. Glossæ veteres: "*Vergit, αναστρεπε-* "*ται.*" Confer Servium, ad Virg. Æn. vi. 244. Statius, Theb. vi. 211.

Spumantesque mero, pateræ *verguntur*—.

Et sic vocem Tibullus ampliavit, iii. 6. 6.

I, nobis *pronâ funde* Falerna *manu.*

Ver. 1009. *pelleis:* P. Ω. *pelvis,* vel *pelves;* sed omnino male.

Ibid. *casas;* vide ver. 937.—*pelleis, ignemque;* vide verr. 951. 952. Adi, si libeat, quæ nosmet disputavimus, ad hunc locum pertinentia, in Silv. Crit. sect. cxlvii.

Ibid. *casas ac pelleis pararunt.* Sanchoniatho, apud Euseb. præp. evang. i. 10. Ειτα φησι, τον Ὑψωρανιον οικησαι Τυρον, καλυβας τε επινοησαι απο καλαμων, και θρυων, και παπυρων· στασιασαι δε προς τον αδελφον Ουσωον, ος σκεπην τω σωματι πρωτος εκ δερματων, ων ισχυσε συλλαβειν, θηριων ευρε.

Ver. 1010. *mulier concessit in unum:* i. e. locum, vel domum; ut habitaret unâ, neque esset, ut prius, *vulgivaga,* ac nulli propria: redi iv. 1064.

Ver. 1011. Versus integer exsulat Vind. V. ed. O. Σ. Ω.

Ibid. *connubia læta.* Catullus, lxiv. 141.

Sed *connubia læta,* sed optatos hymenæos—.

Ver. 1014. *alsia:* O. Δ. *algida.*

Ibid. *Ignis curavit:* i. e. effecit. Sic iii. 128. iv. 820. Lambinus.—Quibus addas iv. 246.

Ibid. *alsia.* Hujusce formæ exemplum aliud non invenio: lexica consulas. Glossæ veteres: "*Alsiosi, κρυοεντες.*"

Ver. 1015. *ferre:* P. V. ed. L. M. O. Σ. *ferri;* unde dubitare liceat, an aliam forte constructionem poëta vellet, *alsia* nimirum propter *frigus:* quod videtur tamen vix tolerabile, et minime audendum nobis.

Ver. 1016. *puerei:* V. ed. *pueiri;* forte an pro *puerei,* ad nostram orthographiam: Π. *pueris.*

Ibid. *Venus inminuit vireis.* In quam sententiam Virgilius, geo. iii. 209. aliquantum profecto facit:

Tunc et amicitiem cœperunt jungere habentes
Finitumei inter se, nec lædere, nec violare;
1020 Et pueros conmendarunt, muliebreque seclum,
Vocibus, et gestu; quom balbe significarent,
Inbecillorum esse æquum misererier omni.
Non tamen omnimodis poterat concordia gigni:
Sed bona magnaque pars servabat fœdera, castei;

Sed non ulla magis vires industria firmat,
Quam Venerem et cæci stimulos avertere amoris.

Hinc Oppianus, cyn. ii. 82. σθενοβλαβεος Κυθερειης. Mox Δ. *facie*, pro *facile*.

Ver. 1017. *ingenium fregere superbum:* ut Justinus, i. 5. 5. "Et, quoniam de-"functus sibi somnio videretur, *animum* "*minacem* duntaxat in illo *fregit*." Et, quod noster *blanditiis* vocat, Valerio Maximo est, ii. 7. 6. *infantiæ blandimenta.*—*Superbum* vero, ferox, ὑπερβιον.

Ver. 1018. *amicitiem*, ab *amicities* recto; ut *avarities*, iii. 59. Sic autem scriptum est in P. V. ed. L. O. Ω. vulgo, *amicitiam;* Π. *amicitiæ*, quod certissime deflexerit ab *amicitiē*. Sosipater Charisius, inst. gramm. i. p. 94. "*Amicities*, "Plinius Secundus, sermonis dubii lib. "sexto, Ut planities, inquit, luxuries, "mollities, et similia; veteri dignitate." —*habentes:* perpurgata Pii exemplaria, et M. *aventes;* quod, me judice, non probandum.

Ibid. *amicitiem jungere.* Convenit Tibulli locus, i. 1. 69. ad quem plura Heynius:

Interea, dum fata sinunt, *jungamus amores.*

Horatius, sat. i. 3. 54. non minus:

Hæc res et *jungit, junctos* et servat, *amicos.*

Ver. 1019. *Finitumei*, vel *Finitimi:* sic, elegantissime et sincerissime, P. Δ. Σ. Ω. vulgo, *Finitima;* Vind. V. ed. B. L. M. *Finitim;* vero proxime: atque inter tot ductus similes *im* et *ini*, librarius oscitans facile simplicem omitteret. Et ordo est: "Finitimi, habentes (i. e. εχοντες, "*habitantes;* ut utriusque linguæ scrip-"tores millies) inter se cœperunt jungere "amicitiem." Hoc est, quod dicit Ovidius, met. iv. 59.

Notitiam, primosque gradus, *vicinia* fecit:
Tempore crevit *amor*—.

Ver. 1020. *conmendarunt:* alter alteri scilicet; communi sensu vicissim moti, propter puerorum ac mulierum imbecillitatem: nam loquitur de *parentibus* adhuc balbis.—Cæterum, pro *seclum*, V. ed. B. *stilum:* et mox Π. *blando*, vice *balbe.*

Ibid. *balbe.* Quippe, qui nondum expedite loqui didicissent, sermone minime adhuc constituto. Faber.—Euripides pervenuste, Iph. Aul. 466.

Παρων δ' Ορεστης εγγυς αναβοησεται
Ευξυνετ' ασυνετως· ετι γαρ εστι νηπιος.

Sic omnino legendus locus est: quod postmodum vidi Musgravio quoque placuisse.

Ver. 1022. *misererier:* Vind. O. Ω. *miserier;* et idem recepto est το V. ed. *mistrerier;* quum *t* ac *e* in minoribus formis passim commutentur.—*omni:* sic, eleganter et expeditâ de constructione, Vind. V. ed. B. O. Δ. Π. Σ. Ω. cum nonnullis apud Pium; vulgo, *omnium:* horridissime.

Ver. 1023. *Non:* P. Π. *Nec;* quod correctorem nuperum sapit.

Ver. 1024. *servabat:* Vind. Δ. Σ. *servabant;* quod inscitissimis editoribus placuit audacter intrudere, contra libros veteres universos.

Ibid. *pars servabat castei.* Qualem varietatem Pelignus vates, refertissimus

1025 Aut genus humanum jam tum foret omne peremptum,
Nec potuisset adhuc perducere secla propago.
At varios linguæ sonitus natura subegit
Mittere, et utilitas expressit nomina rerum:
Non aliâ longe ratione atque ipsa videtur
1030 Protrahere ad gestum pueros infantia linguæ;
Quom facit, ut digito, quæ sint præsentia, monstret:

omnium Venerum thesaurus, haud aspernatus est, in met. v. 305.

Intumuit numero stolidarum *turba* sororum;
Perque tot Hæmonias, et per tot Achaïdas, urbes,
Huc *venit;* et tali *committunt* prælia voce.

Ibid. *bona magnaque pars;* ut Terentius, Eun. i. 2. 43. voces prior consociavit etiam:

Nam hic quoque *bonam magnamque partem* ad te adtulit:

et Valerius Maximus, ii. 9. 7. "Equestris "quoque hominis *bona magnaque* pars—." *Bonam* partem, pro *magnam*, singulatim dederunt alii sæpiuscule; quos nihil attinet apponere.

Ver. 1025. *Aut:* P. *At.*—Mox Π. *sola*, pro *secla*.

Ver. 1026. *perducere secla propago:* i. e. "Nec potuisset hominum propago, "perpetim nascentium ac sibi invicem "succedentium, *ducere genus*, et continu-"are, *per* omnes annos, qui intervenerint, "usque ad hoc tempus."

Ver. 1027. *At:* Vind. Π. Ω. *Aut.*—Hæc autem examussim congruunt Epicuri rationibus, apud Diogenem Laërtium expositis, in x. 75. Αλλα μην ὑποληπτεον και την φυσιν πολλα και παντοια ὑπο των αυτην περιεστωτων πραγματων διδαχθηναι τε, και αναγκασθηναι·—ὁθεν και τα ονοματα εξ αρχης μη θεσει γενεσθαι, αλλ' αυτας ταις φυσεις των ανθρωπων, καθ' ἑκαστα εθνη ἰδια πασχουσας παθη, και ἰδια λαμβανουσας φαντασματα, ἰδιως τον αερα εκπεμπειν, στελλομενον ὑφ' ἑκαστων των παθων και των φαντασματων, ὡς αν ποτε και ἡ παρα τους τοπους των εθνων διαφορα η. Hunc locum Lambinus prior attulit; et tempestive laudat Diod. Sic. i. 8. atque Platonem in Cratylo. Aristoteles, categ. de interp. init. Των φωνων σημεια—πρωτως,—τα παθηματα της ψυχης. Addam peropportunum locum Origenis contra Celsum, lib. i. p. 18. im.—η, ὡς διδασκει Επικουρος,—φυσει εισι τα ονοματα, απορρηξαντων των πρωτων ανθρωπων τινας φωνας κατα των πραγματων.

Ver. 1028. *expressit:* i. e. εξεθεσατο· emittere coëgit. Q. Curtius, ix. 3. 6. "Sed, si audire vis non fictas tuorum "*voces*, verum necessitate ultimâ *expres*-"*sas*—."—Præterea, hæc *nomina rerum* Lucretii, et *balbæ significationes vocis* ac *gestûs* supra, in ver. 1021. optime explicabunt insignem Horatii locum, eadem omnino per eosdem gradus declarantis, sat. i. 3. 103. ubi Baxterus misere balbutiit, atque intellexit nihil:

Donec *verba*, quibus voces sensusque notarent,
*Nomina*que, invenere—.

Hos versus optime percepit et explicuit Montboddo nostras, in opere utilissimo de orig. et prog. sermonis, part. i. lib. 3. cap. 10. vir, admirabiliter eruditus; sed amore nimio sui cæcus, et contemptor aliorum, se doctiorum, confidentissimus. Ex parte consimiliter Aristoteles, de interp. 1. Εστι μεν ουν τα εν τῃ φωνῃ, των εν τῃ ψυχῃ παθηματων συμβολα. *Voces* igitur, affectuum et sensuum naturalis erant fetus; *rerum* autem *nomina* deinceps, artificum sapientium inventio: quos amplissimus gravissimusque scriptor Philo plus semel τους θετικους των ονομα των vocitavit, ut prior magister Plato, ονομαθετας et ονοματεργους.

Sentit enim vim quisque suam quod possit abuti.
Cornua nata prius vitulo quam frontibus exstent,
Illis iratus petit, atque infestus inurguet:
1035 At catulei pantherarum, scymneique leonum,
Unguibus, ac pedibus jam tum morsuque repugnant,
Vix etiam quom sunt dentes unguesque createi.
Alitum proporro genus alis omne videmus
Fidere, et a pennis tremulum petere auxiliatum.
1040 Proinde, putare aliquem tum nomina distribuisse

Ver. 1030. *infantia:* i. e. impotentia loquendi; redeas ad ver. 224. Cicero, de invent. i. 3. "*infantes* et insipientes homines:" i. e. imperitos omnino fandi.

Ver. 1031. *Quom:* Π. *Quæ;* non male. —*ut:* M. *et.*—*monstret:* sic libri veteres universi, ni fallimur; longe elegantissime, ac vere ποιητικως: editores illepidissimi, *monstrent;* neque aliter, si fas est credere, Vind. et B. sed vapulent ignavi et infidi collatores.

Ver. 1032. *vim:* L. M. Ω. *vis;* haud deterius, si liceret etiam *suas* scribere: vide ii. 586. Et forte an exquisitior formula librarios ludificata sit, et το *suam vim* in codices importaverit præter mentem poëtæ ac primariam scripturam. Atque ordo est constructioque: "Quisque enim sentit, quod possit abuti suam vim." Et hoc ideo monendum habui, quia editores impudentissimi de suo rescribere non expaverint *quam*, pro *quod.* Σ. *qui:* i. e. *quî*, vel *quo modo:* ex interpretatione scilicet.

Ver. 1033. *Cornua vitulo frontibus exstent.* Horatius videtur plus semel non immemor hujusce loci. Primum, in od. iii. 13. 3.

Cras donaberis *hædo,*
Cui *frons, turgida cornibus*
Primis, et Venerem, et *prælia, destinat.*

Deinde, ad sat. ii. 1. 52.

Ut, *quo quisque valet,* suspectos terreat, utque
Imperet hoc Natura potens, sic collige mecum.
Dente lupus, *cornu taurus, petit:* unde, nisi intus,
Monstratum?—

Ver. 1034. *infestus:* sic videtur voluisse Vossius, referente Havercampo; et sic egomet rescribendum existimavi propter indubitatum antiquissimorum exemplarium testimonium, quum *ss* et *st* in minusculis formis literarum quam minime discrepent. Vind. L. M. Ω. *infessus;* cæteri, *infensus:* quod editorum numero receptum est. Passim vero commutari solere verba *infensus* et *infestus*, te certiorem faciet Drakenborchius, ad Liv. ii. 46. 7. cum var. lectt. ad Virg. Æn. v. 641. Aurel. Vict. epit. ii. 4.

Huic etiam loco summopere conveniunt, quæ leguntur in Halieuticôn fragmento, ver. 2. ubi nostrum laudare non oblitus est editor nuperrimus:

Accepit mundus legem; dedit arma per omnes,
Admonuitque sui: vitulus sic namque minatur,
Qui nondum gerit in tenerâ jam cornua fronte;
Sic damæ fugiunt, pugnant virtute leones,
Et morsu canis, et caudæ sic scorpius ictu.

Ver. 1035. *scymnei leonum.* Proprie dictum est. Hesychius: Σκυμνος· ὁ σκυλαξ του λεοντος. Vide scholiasten ad Eurip. Hec. 204. ejusdem Supp. 1222. Hom. Il. Σ. 319.—Mox Ω. *morsus,* pro *morsuque.*

Ver. 1036. *morsu scymnei leonum.* Cicero, nat. deor. ii. 50. "Jam illa cernimus, ut contra metum et vim suis se

Rebus, et inde homines didicisse vocabula prima,
Desipere est: nam quur hic posset cuncta notare
Vocibus, et varios sonitus emittere linguæ,
Tempore eodem aliei facere id non quisse putentur?
1045 Præterea, si non aliei quoque vocibus usei
Inter se fuerant, unde insita notities est?
Utilitas etiam, unde data est huic prima potestas,
Quid vellet facere, ut sciret, animoque videret?
Cogere item plureis unus, victosque domare,

" armis quæque defendat: *cornibus tauri*, " apri dentibus, *morsu leones*."

Ver. 1037. *Vix etiam quom:* ita una et altera recentior editio; M. quam proxime vero, *Vix tiam quom:* syllabâ deficiente, Vind. V. ed. B. L. Π. Σ. Ω. *Vix jam quom*, omisso *et;* P. *Vix jam etiam quom:* vulgo, *Vix dum cum ipsis.—sunt dentes unguesque:* Π. *sint ungues dentesque.*

Ver. 1038. Impense lætor ob hujusce loci tantum non certissimam restitutionem. Evulgari solet, *Alituum porro;* sed in Vind. V. ed. B. M. Ω. comparet *proporro:* unde statim vidi reponi debere *Alitum* pro *Alituum.* Infrequentior elisio fraudi fuit librariis: redeas ad ii. 660. Profecto, poteram transpositas dictiones exhibuisse: *Proporro, alituum;* sed propositam viam magis Lucretianam puto: vide ii. 978. iv. 888. v. 313.—*alis:* Π. *aliis.*—Mox M. *pinnis;* minus antique, ut equidem arbitror.

Ver. 1042. *Desipere:* V. ed. B. O. Δ. Σ. Ω. *Desuper.*

Ver. 1043. *varios sonitus:* articulatos scilicet μεροπων ανθρωπων sonos.

Ver. 1044. *non quisse:* M. *nequisse;* forte *nequiisse.*

Ver. 1045. *quoque:* Vind. *queque;* O. *quæ.*

Ver. 1046. *insita:* M. *sita.—notities:* V. ed. *noties;* M. *notitie.* Et hic locus sic vulgo scribi solet, et interpungi:

——————— unde insita notities est
Utilitatis; et unde data est huic prima potestas,
Quid vellet, facere, ut *scirent*, animoque *viderent?*

Quibus rationibus subnixus aliter scripserim, postquam sensum exposuero, declarabitur. " Præterea, unde quispiam nomina rerum sonitusque varios callere " quiverit, nisi fuisset experientiâ edoctus? Unde ille solus omnium posset " scire, atque pervidere, quid sibi poscere communis hominum utilitas?" Simile dicendi genus nuper venit in ver. 996. Jam vero dissimilitudines lectionis percenseamus, ut nostræ rationes liquidæ fiant, et lautis hominibus commendatæ. *Utilitas:* ita Vind. V. ed. B. L. M. O. Δ. Π. Σ. Ω. omnes denique præter Pium; qui tamen habet *etiam*, i. e. *ēt;* quod nos excepimus, pro vulgari *et:* O. Δ. *atque.* De confusis *et* atque *etiam*, vide sis ad iii. 440.

Ver. 1048. *Quid:* P. *Quod.—sciret:* P. Δ. *scirent*, soli.—*videret:* P. Π. *viderent;* L. M. *videre.* Timor de metro, cæsurâ satis defenso, librarios impulit ad το *scirent* reponendum. Illud *videre* non valde improbaverim, constructionis variandæ gratiâ, ad Lucretii ingenium; sed, quæ dedimus, potiora multo arbitramur.

Ver. 1051. *surdis:* V. ed. Ω. *surdes;* unde, satis sordide, O. *sordes;* Π. autem *surges.*

Ibid. *surdis:* i. e. quasi *surdis;* quid nomina significarent, minus intelligentibus. *Surdis* igitur quoad *potestatem;* ut

1050 Non poterat, rerum ut perdiscere nomina vellent:
Nec ratione docere ullâ, suadereque surdis,
Quid sit opus facto; faciles neque enim paterentur:
Nec ratione ullâ sibi ferrent amplius aureis
Vocis inauditos sonitus obtundere frustra.
1055 Postremo, quid in hac mirabile tanto opere est re,
Si genus humanum, cui vox, et lingua, vigeret,

in Horatio, od. i. 2. 27. quoad *voluntatem:*

——— prece quâ fatigent
Virgines sanctæ *minus audientem*
Carmina Vestam?

Confer ibid. iii. 7. 21. Alii passim similiter.—Porro, librarius codicis Δ. scriptor, *ullâ* vocabulo deceptus, quæ vocem interveniunt in hoc versu, usque ad eandem vocem in ver. 1053. omisit.

Ver. 1052. *Quid sit opus facto:* nequissimi bipedum editores, *Quid facto esset opus*, dederunt ex arbitrio, contra libros veteres universos.—*faciles neque:* Vind. V. ed. Σ. *facile sine que.*—*paterentur:* Π. *peterentur.*

Ver. 1053. *aureis obtundere frustra.* Similiter Horatius locutus est, ex nostrâ, ni fallimur, certissimâ emendatione, sat. ii. 2. 105.

Idem, finitis studiis, et mente receptâ,
Obtundam, patulas impune legentibus, *aureis?*

Ver. 1055. *est re:* Δ. *esset.*—*re* deest V. ed. Σ.

Ver. 1056. *vigeret:* P. V. ed. *vigetur.*

Ibid. *lingua vigeret:* i. e. in quâ peculiaris hominum virtus stat, et efficacia; ut tauri cornibus, leones unguibus ac dentibus, distinguuntur: alia autem aliter animantia.

Ver. 1057. *varias.* Lege, *variâ:* vide ver. 1087. BENTLEIUS.

Videas etiam, non minus facientes, verr. 1043. 1059. Sed enim quid impedit, quo minus poëta ποικιλωτατος dicendi formam mutet? Et re verâ eodem redit, sive quis *res varias* voce significet, an *variâ voce* res: quum prorsus necessum sit utrolibet, ut inde diversa nomina proferantur.

Ver. 1058. *pecudes mutæ:* i. e. αλογα κτηνη: vide nos, de hac re ampliantes in Silv. Crit. iv. pp. 243. 244. 245.

Ver. 1060. *aut:* V. ed. *atque.*—*et:* O. Δ. Π. *aut.*—*jam:* O. Δ. *sibi;* Π. *nam.*

Ver. 1061. *licet in:* sic P. Vind. V. ed. B. O. Δ. Π. Σ. Ω. et, opinor, L. M. si collator testimonium horumce codd. nobis retulisset. Vulgo, *id licet e;* ad arbitrariam haud dubie emendationem criticorum.—Porro, pro *etenim*, Vind. V. ed. dant *enim.*

Ver. 1062. *Inritata:* Π. *Irrita.*—*quom:* Π. *quo;* veteri orthographiæ quam proxime: cæteris de solito *cum* exhibentibus.

Ibid. *Inritata.* Tantum facit ad hujusce loci locutiones Donati commentarius in Terent. And. iii. 4. 18. ut videri possit iis solis accommodatus: "Ducitur "verbum *irritor* a *canibus;* qui, *restrictis* "*dentibus*, hanc literam *R* imitantur." Corrigam Festum: "*Hirrire*, *gannire;* "quod genus vocis est *canis rabiosæ.*" adeas Varr. de ling. Lat. vi. 5. et Nonium in *gannire*, vi. 10. Veteres grammatici: "Gannit, *latrat.*" Sidonius Apollinaris, ix. epist. 16.

Mussitans quanquam chorus invidorum
Prodat *hirritu rabiem canino:*

nam *irrito* verbum ab *hirrire* pullulat; vide Cassiodorum de orthographiâ, cap. 9.

Ibid. *canum Molossûm.* Flaccus, sat. ii. 6. fin.

Pro vario sensu varias res voce notaret;
Quom pecudes mutæ, quom denique secla ferarum,
Dissimileis soleant voces variasque ciere,
1060 Quom metus, aut dolor, est; et quom jam gaudia gliscunt?
Quippe et enim licet in rebus cognoscere apertis.
Inritata canum quom primum magna Molossûm
Mollia ricta fremunt, duros nudantia denteis,

——— simul domus alta *Molossis*
Personuit *canibus*———.

Ibid. *magna fremunt:* ut Virgilius, Æn. xii. 535. *inmane frementi;* et ibid. ver. 398. *acerba fremens.* Quod monitum voluimus ob interpretis erratum, referentis *magna* ad *ricta*, de minus elegante constructione.

Ver. 1063. *fremunt:* sic P. et Vind. si credere collatori fas sit; Nonius, iii. 185. *tremunt;* reliqui libri, *premunt;* et hoc ultimum ferri fortasse poterat: quum vero lectio recepta structuram expeditiorem præbeat, atque verba *fremo*, *premo*, et *tremo*, innumeris in locis commutata sint, nihil novandum existimavi.

Ibid. *Mollia:* i. e. ὑγρα, flexilia, pensilia: redi ad annotata in iv. 592.

Ibid. *fremunt:* i. e. *immurmurant*, nondum clare sonori; vel, ut cum Persio loquar,

Murmura cum secum et *rabiosa* silentia rodunt:

qui versiculus egregie illustrat nostrum. Hoc facit etiam Silius, ad Pun. xv. fin.

——— *clauso commurmurat ore.*

Et his versibus Cari generaliter appositus est Sexti Empirici locus in Pyrr. hypott. lib. i. cap. 14. sect. 75. Και ακουομεν δε των κυνων, αλλην μεν φωνην προϊεμενων, ὁτ' αν αμυνωνται τινας· αλλην δε, ὁτ' αν ωρυωνται· και αλλην, ὁτ' αν τυπτωνται· και διαφορον, εταν σαινωσι. Cum quibus committas ea, quæ reperiuntur in Porph. de abst. iii. 5. sub fin.

Ibid. *fremunt ricta canum.* Similiter Claudianus, de Scyllæ *canibus*, epig. l. 2.

Scyllæos inter *fremitus*, avidamque Charybdin.

Nec minus Valerius Flaccus, i. 159.

At procul e stabulis trepidi clamore sequuntur
Pastores, *fremitus*que *canum.*

Trepidi vero, propter solicitudinem *festinantes.*

Ibid. *duros nudantia denteis.* Maro, geo. ii. 578.

——— *duri*que venenum]
Dentis———:

atque ibidem, iii. 514.

Discissos *nudis* laniabant *dentibus* artus.

Heinsianas conjecturas, *crudis*, *avidis*, nihil moror. Hac autem occasione, poëma politissimum, Anth. Lat. Burm. iii. 6. emendatius exhibebo:

Hic tibi surgebant, celebres, Luculle! penates:
Pro quibus, heu! vastâ mole ruina jacet.
Iste tamen paries priscæ vestigia formæ
Servat; et eversum grande superbit opus.
Omnia quæ *duro confringant dente*, parabant
Exitium saxis Tempora, Fama negat.

Iste, δεικτικως: libri, *Ipse.* Et vulgo, *diro confirmant;* Burmannus, *consumunt;* Oudendorpius, ut intellexi postea, *confringunt:* sed illud tempus cum *quæ* stabit optime. Possis etiam *conturbant;* vide Lucret. i. 560. iii. 499. at positum malim. Vide Tibull. iv. 3. 3. Nec Lucretianis non conferri debet Avianus, fab. vii. 1.

Forte canis quondam, nullis latratibus horrens,
Nec patulis primum rictibus ora trahens,
Mollia sed pavidæ submittens verbera caudæ,
Concitus audaci vulnera dente dabat.

Si liqueret veteres *hirro* tertiæ conjugationis habuisse, verum foret *hirrens*, vice *horrens.* Onomasticon Latino-Græcum:

Longe alio sonitu rabies districta minatur,
1065 Et quom jam latrant, et vocibus omnia conplent.
At catulos blande quom linguâ lambere tentant,

" *Hirrit*, ὁτ' αν κυων απειλῃ ὑλακτων." Apuleius, apol. p. 7. ubi datur vulgo, " Ne *qua*," casu recto; perperam:

Ne *quâ* visatur tetra labes sordium,
Restrictis forte si *tabellis* riseris.

Suaviter, ut qui maxime, Calpurnius, ecl. v. 92.

——————— ipse videbis
Serpentum cecidisse minas: non *stringere dentes*
Ulla potest uncos; sed inani debîlis ore
Marcet, et obtuso jacet exarmata veneno.

Ver. 1064. *alio:* sic P. Ω. soli; reliqui omnes, *alia:* et hoc verum arbitror, atque antiquissimos nomen *sonitus* in muliebri genere cognovisse, quamvis de hoc nihil comperti habeam ex grammaticis vetustis.—*rabies:* ita P. Σ. Ω. ποιητικωτερως, et cum varietate constructionis, gratissimâ Lucretio; convenienter etiam mox recensendis codicum testimoniis: vulgo, *rabie.*—*districta:* Vind. V. ed. L. M. *stricta*, cum defectu syllabæ; Π. *et stacta;* Σ. *si stricta.* Ferri poterat *sic stricta;* quod tamen præ vulgatis prorsus sordesceret.—*minatur:* sic P. Vind. V. ed. B. M. O. Δ. Ω. vulgo, *minantur.*

Ibid. *rabies districta.* Hoc elegantissimum est, atque summe artificiosum, pro vulgariore, *rabiosi dentes districti.* Ammianus Marcellinus, xiv. 7. de *Gallo:*— " *districtâ dentium acie* stridens—." Exquisite Sidonius Apollinaris, viii. 5.

Districtus semper censor, qui diligit, *exstat:*

per translationem a gladio vaginâ nudato sumptam. Prudentius, cathem. xii. 110.

Transfigit ergo carnifex,
Mucrone *districto* furens.

Male Heinsius, *destricto.* Si quid in hac re valeam egomet discernere, *vaginam* recte dixeris *destrictam*, sive dereptam; *gladium* vero *districtum*, sive separatum a tegmine, ita ut diversis locis sint: habitâ utriusque, tam gladii quam tegminis, ratione. Virgilius, geo. ii. 300.

——— summâ *destringe* ex arbore plantas:

i. e. abscinde, separa; unde satis constat varietatem *defringe*, quæ doctis viris arrisit, esse glossatoris interpretamentum merum. Idem Virgilius, Æn. vi. 617.

Saxum ingens volvunt alii; radiisque rotarum
Districti, pendent:

i. e. " membris in diversas partes compul- " sis et ligatis." Libri plures, *Destricti;* mendosissime. Hinc certo corrigas Senecam, epist. ci. " Est tanti vulnus suum " premere, et patibulo pendere *districtum*, " dum differat id, quod est in malis opti- " mum, supplicii finem." Libri, *destrictum.* Germanicus, Arat. 205.

Sed pœnæ facies remanet; *districtaque* pandit
Brachia, ceu magni teneantur robore saxi.

Infeliciter Grotius reposuit *destricta.* Corrigo certissime, aut valde fallor:

Sed pœnæ facies remanet; districtaque *pendet*
Brachia, ceu magni teneantur robore saxi:

i. e. *quoad* brachia: quo nihil foret elegantius. Hæ profecto notæ, jam plus satis tumescentes, me latius evagari non sinunt: aliter, locos multos veterum, vocabula *destringo* et *distringo* exhibentes, probe constitutos darem: sed aliæ opportunitates, et alia tempora, haud paullo meliora, sunt speranda; nunc etenim grandissimi sumptus hos conatus comitantur: jacet honos, degeneri saltem Britanniæ, literarum veterum,

——— et tenebris nigrescunt omnia circum.

Ver. 1065. " *alio* sonitu *Et* quom." Vulgarius est, *alio ac*, vel *atque:* sed consimilem formulam nostro redonavimus ad iii. 8.

Aut ubi eos lactant pedibus, morsuque potentes,
Subspensis teneros imitantur dentibus haustus,
Longe alio pacto gannitu vocis adulant,

Ibid. *vocibus omnia conplent.* Dicendi normam Virgilius variavit, Æn. ix. 112.

——— tum *vox* horrenda per auras
Excidit, et Troum Rutulorumque *agmina conplet.*

Ver. 1066. *linguâ lambere.* Idem ille Virgilius, Æn. ii. 211.

Sibila *lambebant linguis* vibrantibus ora.

Ibid. *lambere tentant:* quasi vix perficerent. Nimirum, hac ostendit elegante phrasi, quam felicissime, maternæ tractationis mollitudinem. Parcentes conatus verbis consimilibus descripsit Mantuanus, Æn. xii. 104.

——— atque *irasci* in cornua *tentat:*

πεφιδημενως, ut æquum est, in semet sæviens. Gemellam notionem noster Carus statim exhibet uberius, ne minore tamen cum artificio ac venustate, in ver. 1068.

Ver. 1067. *Aut:* V. ed. Σ. *At;* O. *Atque.*—*lactant:* sic omnes omne genus libri veteres; editores hodierni de suo impudentissime inferserunt *jactant*, quasi quis Anglice reponere vellet *handle*, pro *dandle.* Hæ vero corruptiones nobilissimorum scriptorum minime sunt ferendæ, nec sine acerbissimis objurgationibus dimittendæ. Redeas annotata ad iv. 989. —*potentes:* sic optime, longe optime, scriptum comparet in Vind. L. M. Σ. Ω. cæteri, *petentes.* Nostrâ lectione nihil exquisitius. "Quamvis sint *morsu potentes*, "et ore fortissimo, mollissimis tantum-"modo tenerorum dentium morsiunculis "utuntur."—Mox Π. *Suspensi.*

Ver. 1068. *Subspensis dentibus:* i. e. pendentibus, et non collisis. Æstivum solem prius conderem, quam locos veterum, hanc elegantissimam phrasin illustrantes, valerem adscribere, si singula circumvectari vellem. Sufficiat igitur paucula defloravisse. Sidonius Apollinaris imitatus est nostrum, xvi. 30. de marino pecu prophetam eructante sic canens:

——— quem singultantibus extis
Esuriens vomuit *suspenso* belua morsu:

i. e. δηγματι φειδομενω, uti sequiores Græci loquuntur. Testi sit Coluthus, ver. 227.

Ωχετο ΦΕΙΔΟΜΕΝΟΙΣΙΝ επ' ΙΧΝΕΣΙΝ ιχνος ερεισας.

Multi Latinorum, quos longum esset enumerare, dixerunt *suspenso* gradu, pede, ac similia; sed Statius ad Coluthi morem pressius locutus est in Achill. i. 572.

Nunc *thyrso parcente* ferit——.

In quo dicendi genere Nonnus passim luxuriat: confer nostrum, ad iii. 197. Addam Anthol. Lat. Burm. i. 72. 84.

Aut, ut forte magis, succenso Marte, placeret,
Admovit *teneris suspendens oscula labris.*

Exquisite, nec sine Lucretio meo scilicet. Aliter, nec minus pulchre tamen, sensus idem exprimitur ibid. ii. 119. 92. ubi Burmannum hæsitavisse miror, sobrie denique interpretantem:

Valle sub Idæâ, dum te, formose *lacertos*,
Invenit, et *presso* molliter *ungue* rapit:

i. e. represso. Sic autem legendum in priore versu, pro ineptissimâ voce *sacerdos:* i. e. ευπηχυς, αγλαοκαρπος· quod pocillatorem decuit. Et Scaliger commodissime apposuit Martial. i. 7. 2. Sic Nonnus, Dionys. xi. p. 312. de eâdem re:

ΦΕΙΔΟΜΕΝΟΙΣ ΟΝΥΧΕΣΣΙΝ εκυφισεν ὑψιπετης Ζευς.

Apuleius, ibid. iii. 231. 7. tempestivus est:

1070 Et quom desertei baubantur in ædibus, aut quom
Plorantes fugiunt, submisso corpore, plagas.
Denique, non hinnitus item differre videtur,
Inter equas ubi equus florenti ætate juvencus
Pinnigeri sævit calcaribus ictus Amoris;

Olli, purpurea delibantes oscula,
Clemente morsu rosea labella *vellicent*.

Lepide Sidonius Apollinaris, xi. 41.

Dum, gaudens torquente joco, subridet amator
Vulnere; jamque suam *parcenti pistre* flagellat.

Ita rescripserim: libri, *Tum*. Martialis, i. 15. 3.

Cum prensus *blando* toties a *dente* rediret,
Et per aperta vagus curreret ora lepus.

Confer Stat. silv. ii. 5. 6. qui vocat *laxo morsu*. Eumenius, paneg. Const. Aug. xiv. 3. "Quid faciam igitur, ut tam pro-"funda vulnera *suspensâ manu* tractem?" Ubi videas Livineium, qui provocat ad Pacat. paneg. Theod. Aug. iii. 6.

Ibid. *imitantur haustus:* i. e. exhibent, exprimunt, teneras et innocuas sorbitiones: redi ad ver. 989. T. Faber, reponere cupiens *veros*, pro *teneros*, non audiendus est; et maxime, quod non in compertis, opinor, grammaticorum sit verum etymon dictionis *imitor*.

Ver. 1069. Exsulat versus integer Π.— *gannitu:* Vind. V. ed. Ω. *cannitu.*— *adulant:* Nonius, vi. 10. *adulent;* ubi docet grammaticus, *το gannire* proprie esse *canum*. Idem vero, i. 57. habet *adulat*.

Ibid. *gannitu*. Festus: "*Gannitio*, "canum querula murmuratio." Consulas interpretes ad Terent. Adelph. iv. 2. 17. Glossator vetus: "*Gannio*, ωρυομαι, "κνυζαομαι." Sic scribendum. Homerus, Od. Π. 162.

Αλλ' Οδυσεως τε ΚΥΝΕΣ τε ιδον· και ρ' υχ ὑλακοντο,
ΚΝΥΖΗΘΩ δ' ἱτερωσε δια σταθμοιο φοβηθεν.

Perlege scholia, cum Suid. et Hesych. in cognatis vocibus.

Ibid. *adulant:* i. e. alludunt, abblandiuntur, προσσαινουσι, προσγελωσι, cum amore ac blanditiis accedunt; unde, sensu mediocriter deflexo, *amant*, et cum voluptate aggrediuntur, atque fruuntur. Sic fortasse capiendus est Cicero, Tusc. dispp. ii. 10. de *vulture Promethei:*

——— nostrum *adulat* sanguinem.

Avienus, orb. desc. 338. de *Nilo:*

Cærulus accedens diti loca flumine *adulat*.

i. e. molliter accedit, et quasi gaudens lambit. Similiter idem mox, ver. 571. ibid. Consulas autem elegantem notam Valckenaëri, ad Eurip. Hipp. 862.— Cæterum, antiquior scriptura, ut arbitror, erat *adolo;* quam formam glossæ veteres agnoscunt, atque plus uno loco Tertullianus: hoc autem non est tanti.

Ver. 1070. *desertei baubantur:* quidam apud Pium, Π. *desertis baubantur;* L. M. *deserti busabantur;* Δ. *desertis aubantur;* Ω. *desertibus aubuantur.*

Ibid. *baubantur:* βαϋζουσιν· ut de *querulâ voce* Melitensis *caniculæ* Lucianus, merc. cond. 34. Glossæ Philoxeni: "*Bau-"bantur*, ὑλακτουσι" *latrant;* non prorsus accurate: potius, *Cum lacrymosis ululatibus queruntur*, ut de *canibus* Orosius, hist. v. 18. Adscribatur Philodemus, epig. 20.

Τον γαρ νυν συ μεν ὡδε μεγα ΚΛΑΙΟΥΣΑ ΒΑΪΖΟΙΣ.

Videas insuper Æsch. Pers. 13. Tzetz. ad Lycoph. 77. et lexicographos vetustiores.

Ver. 1071. *Plorantes:* V. ed. O. Ω. *Plorantis.*

Ibid. *submisso corpore:* i. e. corpore se submittente, vel demittente. Verbo singulari sensum feliciter Græci complec-

1075 Et quom sic alias, concussis artubus, hinnit,
Et fremitum patulis sub naribus edit ad arma?
Postremo, genus alituum, variæque volucres,
Adcipitres, atque ossifragæ mergeique, marinis
Fluctibus, in salso victum vitamque petentes,

tuntur, πτηξάντες· de quo nos plus semel in notis ad Euripidis Herculem furentem diximus.

Ver. 1072. *hinnitus:* Π. *initus:* et Ω. *videntur.*

Ver. 1073. *juvencus:* Δ. Σ. Ω. *juventus.*

Ibid. *florenti ætate.* Cum nonnullâ varietate Virgilius, ecl. vii. 4.

Ambo *florentes ætatibus*——:

"hoc est, *Ætate florente.*" Servius ad locum.

Ibid. *juvencus;* de *equo* noster, ut de *adolescentibus* etiam Horatius, od. ii. 8. 21. quemadmodum Græci vocabula μοσχος et πωλος sæpiuscule solent adhibere.

Ver. 1074. *Pinnigeri sævit:* Vind. V. ed. Π. Σ. *Pinnigeris acuit;* quæ non discrepant receptis, nisi per *e* in c mutatum, et malam literarum consociationem: Ω. *Pinnigeris ævit;* alia manus superscripsit illud *acuit:* Δ. *Pinnigeris init;* O. *Pinnigeris hinnit.* Et notandum est, libros consentire in *Pinnigeris;* quamvis aliam orthographiam alibi major pars ostentet. Sic Ammianus Marcellinus, xxii. 2. "serpentibus *pinnigeris*—."

Ibid. *Pinnigeri Amoris.* Maro, Æn. i. 663.

Ergo his *aligerum* dictis adfatur *Amorem.*

Ibid. *sævit calcaribus ictus Amoris.* Sic etiam Euripides, Med. 8.

Ερωτι θυμον ΕΚΠΛΑΓΕΙΣ' Ιασονος;

animum percussa; vel, ut Tullius transtulit,

——— *amore sævo saucia:*

propius ad Lucretium; cui credas in oculis fuisse illum tragicum, ad Hippol. 38.

——— στενεσα, κἀκπεπληγμενη
ΚΕΝΤΡΟΙΣ ΕΡΩΤΟΣ·

ubi Valckenaërus satis infeliciter mehercule versatus est. Apponam præterea Maronem, ad Æn. iv. 532.

——— Ingeminant curæ; rursusque resurgens
Sævor amor——.

Et idem *stimulos amoris,* ut magister *calcaribus amoris;* geo. iii. 210. Prudentius, in Symm. i. 133.

——— *stimulis* furialibus *ictas*
Mænadas, inflammante mero in scelus omne rotatas:

nam sic scribendum; non, ut in editis mendose, *ipsas:* et eleganter tangit vox postrema *rotationem* cervicis ac comarum, de Bacchis passim memoratam. Cognatam vocem maluit Columella, x. 198.

Nunc amor ad coitus properat, nunc spiritus orbis
Bacchatur Veneri; *stimulis*que Cupidinis *actus*—:

ubi nihil temere novandum puto.

Ver. 1075. 1076. Transpositi leguntur hi versus in vulgaribus editionibus; unde prorsus perditur et pessum datur loci proprietas et argumenti vis. Nos ex ingenio rectum ordinem reportavimus; neque desiderari potest restitutio magis indubitabilis. Postea intellexi non aliter factum in editione Florentinâ, anni 1512: quod gavisus sum, quamvis res ipsa clarissime vociferetur.

Ibid. *Et sic:* editores, *Ac sis;* inutiliter et audacter, libris omnibus facinori reclamantibus.—*quom:* Σ. *tum.*

Ibid. *sic alias hinnit:* i. e. "*æque hinnit,* de communi consuetudine loquen-

1080 Longe alias alio jaciunt in tempore voces,
Et quom de victu certant, prædâque repugnant.
Et partim mutant cum tempestatibus unâ
Raucisonos cantus; cornicum secla vetusta,
Corvorumque greges; ubi aquam dicuntur, et imbreis,
1085 Poscere, et interdum ventos, aurasque, vocare.

" di, sed diversimode aliquantulum; alio " tempore, atque aliter affectus." Nihil novi dilucidius, aptiusque.

Ibid. *concussis artubus.* Acutam Maronis aciem non potuit hæc elegantia latere, ad geo. iii. 84. Sed totam periodum admovebimus, nam consilio nostro de trajectione Lucretianorum versuum unice patrocinatur:

——— Tum, si qua sonum procul *arma* dedere,
Stare loco nescit, micat auribus, et *tremit artus*,
Conlectumque *fremens* volvit *sub naribus* ignem.

Omnia vides quadrantia invicem ad amussim, atque lectionem istam *fremens*, loco vulgati *premens*, extra controversiæ fines positam luculentissimâ Cari nostri auctoritate.

Ibid. *patulis naribus.* Idem, ibid. i. 376.

——————— aut bucula, cœlum
Suspiciens, *patulis* captavit *naribus* auras.

Ibid. *fremitum edit ad arma.* Hinc Horatius illustretur, od. iv. 14. 23.

——————— impiger hostium
Vexare turmas, et *frementem*
Mittere *equum* medios per Ignes.

Ver. 1077. *variæque:* V. ed. *variatque;* c et e commutatis, ut alibi passim. Cogitare poteras de *variæ atque;* sed illud probabilius.

Ibid. *genus alituum.* Excepit verba Mantuanus, ad Æn. viii. 27.

Alituum, pecudumque, *genus* sopor altus habebat.

Ver. 1078. *atque* deest Δ.—*ossifragæ:* Vind. V. ed. *ossifraugæ;* Δ. *ossifragi.*

Ver. 1079. *in salso:* εν ἁλμυρῳ· ut *in sicco* dicitur absolute, nec aliter in centum consimilibus. Nequissimi editores ex arbitrio suo reposuerunt *in salsis.* Constructio est: " Ossifragæ mergique, *quæ* " *sunt* marinis fluctibus:" i. e. aves marinæ, adeoque victitantes aquis marinis. Hic autem nihil est sermonis poëtici rationibus, ornatum sectantis, non aptissime consentaneum: mireris igitur criticorum turbas, et Bentleium, se tentantem expedire legendo *marini* et *salsis*, cum eruditorum pluribus. At enim haud leve est libros scriptos Lucretii vilipendere.

Ibid. *mergei marinis Fluctibus.* Plinius etiam, nat. hist. xxx. 30. *mergos* vocitavit *marinos;* quasi sit alia species, quæ *terram* potissimum celebret: sed de hoc viderint ornithologi.

Ibid. *in salso victum vitamque petentes.* Hunc sensum ita Theocritus declaravit, vii. 59. sic certissime rescribendus, uti video Valckenaërum ex parte perspexisse; nisi malis, quæ dederim quondam egomet ad Virg. geo. i. 399.

Ἀλκυονες, γλαυκαις ΝΗΡΗΪΣΙΝ ἀΐτε μαλισστα
Ορνιχων εφιλαθεν, ὁσαις ΓΕ περ εξ ἁλος αγρα.

Ver. 1080. *jaciunt voces.* Virgilius, ecl. v. 62.

——————— *voces* ad sidera *jactant.*

Et sensus, quem Lambinus non assecutus est, sic se habet: " Vox, quâ naturaliter " utuntur aves, nullis affectibus violentio- " ribus commotæ, multum discrepat sono, " quem rixantes et pugnantes mittunt. " Sunt etiam, quibus voces cum varian- " tibus tempestatibus varientur."

Ver. 1081. *certant:* M. *cernant;* eleganter, et accepissem, nisi posceret aliam mutationem, *repugnent* utique.—*prædâ:* P. *prædæ;* L. M. *prædata.*

Ergo, si variei sensus animalia cogunt,
Muta tamen quom sint, varias emittere voces;
Quanto mortaleis magis æquum est tum potuisse
Dissimileis aliâ, atque aliâ, res voce notare?
1090 Illud in hiis rebus tacitus ne forte requiras,
Fulmen detulit in terram mortalibus ignem

Ver. 1082. Hunc Cari locum Virgilius delibavit curiosius, ad geo. i. 410.

Tum liquidas *corvi* presso ter gutture voces,
Aut quater, ingeminant——:
Verum, ubi *tempestas* et cœli mobilis humor
Mutavere vias——;
Vertuntur species animorum, et pectora motus
Nunc alios, alios dum nubila ventus agebat,
Concipiunt: hinc ille avium *concentus*, in agris
Et lætæ pecudes, et ovantes gutture *corvi*.

Ita distinguendum puto.

Ver. 1083. Vulgo ponunt *ut* ante *secla;* et sic conspicitur in Vind. B. secundum collatores, quibus non credo: abest omnino vocula P. L. M. quos sequor: cæteri, *et*.

Ibid. *Raucisonos cantus.* Quemadmodum Mantuanus, ad Æn. viii. 2.

——— *raucos crepuerunt* cornua *cantus*.

Sic probabiliter emendandum existimo; sed de hoc alias συν Θεῳ.

Ibid. *cornicum secla vetusta:* ut Hesiodus apud Etym. mag. p. 13. 37. et Plut. ii. 415. C.

Εννεα τοι ζωει γενεας λακερυζα ΚΟΡΩΝΗ
Ανδρων ἡβωντων· ελαφος δε τε πεπτακορωνος.

Cum quibus contendas nostrum ad iii. 614.

Ibid. *cornicum secla aquam dicuntur et imbreis Poscere.* Idem poëta, geo. i. 388.

Tum *cornix* plenâ *pluviam vocat* inproba voce.

Ver. 1084. *Corvorum greges;* ut Euripides, Hipp. 740. πταναις ΑΓΕΛΑΙΣΙ. Virgilius altiore formulâ, *Corvorum exercitus*, geo. i. 382. Et optat chorus apud tragicum, *alatam* fieri in *alatis*, cum pulchro phraseos concentu: non est igitur admittenda Musgravii suspicio.

Ibid. *aquam et imbreis.* Hendyades est pro *aquas pluvias.* Paullo secus Maro, Æn. v. 696.

——— ruit æthere toto
Turbidus *imber aquâ*——.

Ver. 1086. *variei:* Vind. V. ed. B. Σ. *varios;* L. M. *variis;* primâ literâ vocis adstantis adhærescente: Π. *vario.*

Ibid. *variei sensus.* Virgilius, Æn. xii. 914.

——— Tum pectore *sensus*
Vertuntur *varii*——.

Ver. 1087. *Muta:* sic P. Vind. si fas sit credere: reliqui universi, *Multa;* de constantissimâ aberratione librariorum. Pariter peccatum puto in Alcimo Avito, i. 30. ubi libri, *multa:*

Protinus in varias animalia *muta* figuras
Surgunt, et vacuum discurrunt bruta per orbem.

Ver. 1088. *æquum:* Δ. *aptum.*—*tum:* V. ed. *tamen;* nec mirum, quum lineis haud discrepent *tñ* et *tū*.

Ver. 1091. *terram:* editores, contra vetera exemplaria, *terras;* longe impudenter: sed necessum habentes forsitan Virgilium sequi, ad Æn. ix. 19. haud aliter canentem:

——— Quis te mihi, nubibus actam,
Detulit in terras?

De hac autem re sic Diodorus Siculus, i. 13. Ενιοι δε των ἱερων φασι, πρωτον Ἡφαιστον βασιλευσαι, πυρος εὑρετην γενομενον——. Γενομενυ γαρ εν τοις ορεσι κεραυνοβολε δενδρυ, και της πλησιον ὑλης καιομενης, προςελθοντα τον Ἡφαιστον κατα την χειμεριαν ὡραν, ἡσ-

Primitus; inde omnis flammarum diditur ardor:
Multa videmus enim, cœlestibus insita flammis,
Fulgere, quom cœli donavit plaga vapores.
1095 Et ramosa tamen quom, ventis pulsa, vacillans
Æstuat, in ramos incumbens arboris, arbor,
Exprimitur, validis extritus viribus, ignis:
Emicat interdum flammaï fervidus ardor,

θηναι διαφεροντως επι τη θερμασια· ληγοντος δε ἑαυτου πυρος, αει της ὑλης επιβαλλειν· και αυτῳ τῳ τροπῳ διατηρουντα το πυρ, προσκαλεισθαι τους αλλους ανθρωπους προς την εξ αυτου γινομενην ευχρηστιαν. Ad eundem modum Eustathius, ad Il. A. 571. p. 115, 4. ed. Basil.

Ver. 1092. *inde:* O. *unde.*—*diditur:* P. V. ed. *deditur.*

Ver. 1093. *insita flammis:* sic, verissime et elegantissime, veteres omnes libri; i. e. "conspersa seminibus flamma-"rum:" confer i. 901. iv. 331. ut alibi noster sæpenumero locutus est. Nonius Marcellus, x. 12. scribarum vitio, *incita;* quam vocem invenusti editores avide arripuerunt, atque magno consensu vulgaverunt.

Ver. 1094. *vapores:* P. *vaporeis;* V. ed. O. Ω. *vaporis.*—Cæterum, ni fallimur, altum ulcus, et obductum cute, Lucretii versiculum dehonestat, quum primitus poëta scripserit:

——— quom cœli *roravit* plaga vapores.

Quantum præstat elegantiâ divinatio nostra receptæ dictioni! quâ nihil frigidius insulsiusque. Huic nemo candidus diffitebitur, nemo horum leporum conscius; nemo, denique,

——— ὁστ' ολιγον περ επιψαυει παραπιδεσσιν.

Adeas Claudian. de laud. Stil. ii. 467. verr. 594. 595. hujusce libri superius, cum annotatis ibi, locisque collaudatis: tum demum senties ipse, et agnosces, nos cum aptissimo comite vapores *liquidos* consociasse.

Ver. 1095. *Et:* P. *Ut;* quod placuit editorum genti, sine rationibus idoneis cæterorum librorum auctoritatem posthabenti. *Et tamen:* i. e. "Ne contineam "me intra hoc exemplum tamen; quasi "non aliud opportunum suppetat."—*ventis:* Π. *ramis.*—Porro, Lambinus commode provocavit ad i. 896—906.

Ibid. *ventis pulsa:* committas annotata ad iv. 932. Virg. Æn. iv. 249. alibi appositum. M. Tullius in Arato, ver. 88.

Quâ, summâ ab regione *Aquilonis flamina pulsant.*

Mox ibidem inferius, ver. 133.

At validis æquor *pulsabit* viribus *Auster.*

Ver. 1096. *arboris:* Δ. *ardoris.*—*arbor:* Vind. V. ed. B. O. Π. Σ. Ω. *ardor;* vitiosissime.

Ver. 1097. *extritus;* Δ. *extructus.*—*viribus:* V. ed. *vicibus;* elemento *r*, ut alias, cum *c* mutato: propter similitudinem in Longobardicâ scripturâ scilicet.

Ibid. *Exprimitur ignis.* Huc spectant illa Philonis Byblii ex Sanchoniathone, apud Euseb. præp. evang. i. 10. Ῥαγδαιων δε γενομενων ομβρων και πνευματων, παρατριβεντα τα εν τῃ Τυρῳ δενδρα πυρ αναψαι, και την αυτοθι ὑλην καταφλεξαι.

Ver. 1098. *Emicat flammaï ardor:* i. e. "quod majus est, aliquoties flamma "quoque solet exsilire, ob ingentem fric-"tionis vim."—P. autem, pro *Emicat*, habet *Et micat:* sed Servius etiam, id observante Lambino, vulgatum alicubi tuetur in commentario Virgiliano.

Ver. 1099. *Mutua teruntur:* quemadmodum locutus est in locis pluribus supe-

Mutua dum inter se ramei, stirpesque, teruntur:
1100 Quorum utrumque dedisse potest mortalibus ignem.
Inde cibum coquere, ac flammæ mollire vapore,
Sol docuit; quoniam mitescere multa videbant,
Verberibus radiorum atque æstu victa, per agros.
Inque dies magis in victum vitamque priorem
1105 Conmutare novis monstrabant rebus et igni,

rius, de quibus te faciet index certiorem. —Huc autem pertinent, quæ dicit Sanchoniatho, apud Euseb. præp. ev. i. 10. Ἐξης φησιν, απο Γενης Αιωνος και Πρωτογονε γενηθηναι αυθις παιδας θνητης, οἷς ειναι ονοματα Φως, και Πυρ, και Φλοξ· οὗτοι, φησιν, εκ παρατριβης ξυλων εὑρον πυρ.

Ver. 1100. *Quorum utrumque:* i. e. tam incensus attritu rami ramus arboris, quam fomes scintillâ, ex ramis emicante, vel flammâ expressâ, succensus.

Ver. 1101. *coquere:* O. Π. *quoquere.* —*vapore:* P. V. ed. B. O. Π. Σ. Ω. *vaporem;* unde mihi simillimum vero videtur Lucretium scripsisse, et eleganter et docte:

Inde cibum coquere, et flammæ *molire vaporem,*
Sol docuit——:

i. e. "aggredi, et tractare, vaporem flammæ, ad hanc ipsam rem perficiendam;" ad cibos coquendos scilicet. Librarios arbitror deceptos antiquissimâ voce *molio;* cujus vestigia etiamnum restant in passivo *molior,* participio *moliens,* et composito quoque *demolio:* de quibus lexicographi consulendi sunt. Possis etiam, citra scripturæ mutationem, verborum structuram expedire, nec invenuste quidem, hoc modo sane: "Inde sol docuit vaporem flammæ coquere ac mollire cibum." Quod rectum forsitan; nam vix dubitem, quamvis parum diligens Havercampus taceat, quin codd. L. M. pariter exhibeant *vaporem.*

Ibid. *flammæ mollire vapore, mitescere.* Ovidius, in nobilissimâ maximi operis portione, met. xv. 78. sic apposite:

Sunt herbæ dulces; sunt, quæ *mitescere flammæ, Mollirique,* queant:

Lucretii, ut putem, non immemor. De ωμοφαγια primorum hominum, videas Porphyr. de abst. i. 13. quam an voluerit Horatius, an αλληλοφαγιαν, erit fortasse commodius disputandi tempus. Locus, quem innuimus, in art. poët. 392. invenitur:

Sylvestres homines sacer interpresque deorum
Cædibus et *victu fedo* deterruit Orpheus.

Ver. 1102. *Sol docuit:* Π. *Sed docui.*—*quoniam:* Δ. *quomodo;* Π. *cum;* i. e. *quom,* quod exaratur in V. ed.

Ibid. *Sol docuit.* Quemadmodum legimus in Æthiopicis Heliodori, Porphyrio de abstinentiâ, atque aliorum monimentis, solere nationes nonnullas *pisces coquere* in *saxis,* vel *arenis,* solis ardore vaporatis.

Ibid. *mitescere Verberibus:* ut fera scilicet animalia domantur. Vide Virg. geo. ii. 36.

Ver. 1105. *Verberibus radiorum.* Pulchre dictum est, nec audacter nimis: redi ver. 486. Pari elegantiâ Psalmus cxxi. 6. ut Hebraïca se habent: "Interdiu non "te *sol percutiet,* ac noctu *Luna.*" Neque lectori versus exquisitos Nonni denegare possum, in Dionys. x. p. 276.

——————————— ὑψιτορῳ δε
Φευγων ΗΕΛΙΟΙΟ μεσημβριζουσαν ΙΜΑΣΘΛΗΝ,
Ἡσυχα παφλαζοντι δεμας φαιδρυνε λοετρῳ.

Supra pedestris orationis æqualitatem Plinius erigitur, in nat. hist. ii. 45.—"sive "disparili errantium *siderum ictu, radio*"*rum*que multiformi *jactu flagellatus*

Ingenio quei præstabant, et corde vigebant.
Condere cœperunt urbeis, arcemque locare
Præsidium reges ipsei sibi, perfugiumque:
Et pecudes, et agros divisere, atque dedere,
1110 Pro facie quoiusque, et viribus, ingenioque.
Nam facies multum valuit, viresque vigebant:
Posterius res inventa est, aurumque repertum,

" aër—." Addam Ovidium, fast. i. 77.

Flamma nitore suo templorum *verberat* aurum:

cum quo committe Virg. Æn. viii. 25. Hyginus, denique, poët. astron. i. 8. fin. " Itaque, cum sol ab eo loco *decessit*, hy- " eme necessario conflictamur, quod ven- " tum exorientem non *reverberat sol*." Sic legendum, pro *discessit;* nisi statuas locum ipsum statione moveri quoque in contrariam partem, vel solem in fragmina disjectum huc illuc avolavisse; nam in voce *discedo* cujusdam *separationis* notio, nec *abitionis* tantum, potissimum dominatur. Ovidius, trist. i. 3. 5.

Jam prope lux aderat, quâ me *discedere* Cæsar
Finibus extremæ jusserat Ausoniæ.

Lego, *decedere:* sed hæc sunt infinita.

Ibid. *æstu victa.* Pariter Virgilius, geo. iii. 560. ubi videas Burmannum:

——————— nec viscera quisquam
Aut undis abolere potest, aut *vincere flammâ*.

Ver. 1104. *in victum:* P. *et victum;* Vind. Σ. *hi victum;* sed de Vind. codice collator ipse viderit. Et *commutare in victum* dictum est, exemplo locutionis perquam notabili, pro *commutare victum*, vel *in victu;* vel *mutationes importare in victum.* Havercampus affirmat phrasin esse elegantem; nec dubitem sane, quum Lucretius posuerit: sed exemplum desidero gemellum, nec habeo equidem ad manus.

Ver. 1105. *igni:* P. *acri;* ut redeat ad *Ingenio:* quod emendatori non dubius imputem, cui displicebat phrasis poëtica, *novis rebus et igni:* i. e. per ignem ad alias atque alias res novis experimentis indies admotum.

Ver. 1107. *cœperunt:* P. *cœperunt tum.* —*arcemque:* V. ed. *artemque;* Π. *artem.* Ibid. *Condere urbeis.* Maro, Æn. i. 5.

——————— dum *conderet urbem*—.

Ver. 1109. *et:* Σ. *atque.*—*divisere atque dedere:* prisci codd. Pii, *diversim ut quisquis haberet;* operarum vitio, ut opinor, pro scripturâ Ω. cod. *divisim ut quisquis haberet:* Vind. *diviseratque* (i. e. *diviser atque*) *debere;* V. ed. *diviserantque debere;* quæ sunt manifestæ vocabulorum receptorum corruptelæ.

Ver. 1110. *Pro facie quoiusque et viribus.* Ad hanc rem illustrandam pulchre faciunt Curtiana quædam, in v. 6. 29. de Alexandro Magno: " Interrito vultu re- " gem Thalestris intuebatur, habitum " ejus haudquaquam rerum famæ parem, " oculis perlustrans: quippe, hominibus " barbaris in corporum majestate venera- " tio est; magnorumque operum non " alios capaces putant, quam quos eximiâ " specie donare natura dignata est." Nam *facie* Lucretius utitur, non *os* tantum, et *oculos*, et *genas*, quod Græci προσωπον dicunt, innuens; sed formam omnem modumque, et quasi facturam, totius corporis, ut ειδος est Græcorum. Sic Pacuvius in Niptrâ *faciem* dixit pro *corporis* longitudine:

——————— ætate integrâ,
Feroci ingenio, *facie procerâ*, virum.

Neque aliter Sallustius, et Plautus; quorum locos malim perlegas apud Gellium, xiii. 29. unde priora desumuntur. Hinc,

Quod facile et validis, et pulchris, dempsit honorem.
Divitioris enim sectam plerumque sequuntur
1115 Quam lubet et fortes, et pulchro corpore cretei.
Quod, si quis verâ vitam ratione gubernat,
Divitiæ grandes homini sunt, vivere parce
Æquo animo; neque enim est umquam penuria parvi.
At claros homines voluerunt se, atque potenteis,

quod hoc loco *facies* vocatur, mox in ver. 1115. audit *pulchro corpore.*

Ver. 1112. *aurum repertum.* Unde Horatius, od. iii. 3. 49. *Aurum irrepertum.*

Ver. 1113. *dempsit:* V. ed. B. Π. *depressit;* qui fluxit error ex compendio *dēpsit.*—Lambinus autem opportune apposuit Horatium, sat. ii. 3. 94.

——————— omnis enim res,
Virtus, fama, decus, divina, humanaque, pulchris
Divitiis parent: quas qui construxerit, ille
Clarus erit, fortis, justus. Sapiensne? Etiam; et rex,
Et quicquid volet——.

Ver. 1114. *sequuntur:* P. V. ed. Δ. Π. Σ. *secuntur.*

Ver. 1115. *lubet:* Σ. *jubet.*—*cretei:* Vind. *certi.*

Ibid. *pulchro corpore.* Mantuanus, Æn. v. 344.

Gratior et *pulchro* veniens in *corpore* virtus.

Ver. 1116. *gubernat:* sic P. V. ed. B. O. Δ. Π. Ω. vulgo in editis, *gubernet.* Mox V. ed. *parte,* pro *parce.*

Ibid. *Quod:* i. e. ὁ, vel καθ' ὁ, uti millies similiter Lucretius, post Græcos. Testi sit Euripides, Hec. 13.

Νεωτατος δ' ην Πριαμιδων· ὁ και με γης
Ὑπεξεπεμψε:

ubi Porsonus ipsi poëtæ ad ver. 6. dilucide testanti reclamat, et, quod ne Græcum quidem est, collaudat. Πριαμος in Πριαμιδων continetur.

Ver. 1117. Huc attinent ea de Epicuro, apud Diogenem Laërtium, x. 9. Αυτος τε φησιν εν ταις επιστολαις, Ὑδατι μονον αρκεισθαι, και αρτῳ λιτῳ. Και· Πεμψον μοι τυρε, φησι, κυθριδιε· ἱν', ὁτ' αν βελωμαι πολυτελεσασθαι, δυνωμαι. Quibus consimilia ibidem obversantur. Sane nihil attinet communes locos congerere; sed nolim Ciceronem præterire, quum eandem sententiam pene verbis eisdem declaratam dederit, in paradox. vi. 3. "Nos igitur "*divitiores*, qui plura habemus? Utinam "quidem: sed non æstimatione censûs, "verum victu atque cultu, terminatur pe-"cuniæ modus. Non esse cupidum, pe-"cunia est: non esse emacem, vectigal "est: contentum vero suis rebus esse, "maximæ sunt certissimæque divitiæ." Et Hesiodi fortasse versus decantati memoriæ Lucretii occurrebant, exstantes in opp. et dd. 40.

Νηπιοι· οὐδ' ισασιν ὁσῳ πλεον ἡμισυ παντος,
Οὐδ' ὁσον εν μαλαχῃ τε και ασφοδελῳ μεγ' ονειαρ.

Cæterum, de Epicuri ipsius frugalitate, videas Juv. sat. xiv. 319. Porph. de abst. i. 48. 49. et ibidem De Rhoër.

Ver. 1118. *est umquam:* P. *æs tanquam;* V. ed. *æstum quam;* ast alii codd. Pii vulgatis lectionibus adstipulantur.

Ver. 1119. *At:* P. Vind. V. ed. B. O. Δ. Σ. Ω. *Ad.*—*se* deest P. V. ed. Π. Sic autem perfrictæ frontis editores vulgavere versum contra librorum veterum auctoritatem:

At claros *se* homines *voluere esse*, atque potenteis.

Nos veram poëtæ manum revocavimus.

Ibid. *claros, potenteis, opulentei:* i. e. "famâ, potentiâ, atque opibus, pollen-"tes:" et hoc consortio Sallustium usum esse videas in Jugurth. init. "Sed dux "atque imperator vitæ mortalium animus

1120 Ut fundamento stabili fortuna maneret,
Et placidam possent opulentei degere vitam:
Nequidquam; quoniam, ad summum subcedere honorem
Certantes, iter infestum fecere viaï:
Et tamen e summo, quasi fulmen, dejicit ictos
1125 Invidia interdum contemptim in Tartara tetra:

" est; qui, ubi ad gloriam virtutis viâ
" grassatur, abunde *pollens*, *potens*que, et
" *clarus* est; neque fortunæ eget."

Ver. 1121. *placidam:* Vind. V. ed. Π. Σ. *placida.*—*possent:* Vind. V. ed. *possunt;* Ω. *possint.*—*degere:* V. ed. B. *ducere.*

Ver. 1122. *subcedere:* sic diserte P. V. ed. cæteri, recenter ac vulgariter, *succedere.*

Ibid. *ad honorem subcedere.* Formam structuræ, non ignotæ sane, sed nec protritæ tamen, Virgilius etiam reliquit, in Æn. xii. 234.

Ille quidem *ad superos*, quorum se devovet aris,
Succedet famâ, *vivique* per ora feretur.

Sic optime scriptum est in uno codice, pro *vivus;* quæ lectio (nam cum poëtâ castissimo rem habemus) prorsus loci rationibus disconvenit. *Vivis* autem, *hominibus* qui supersunt, vel posteris, in hoc loco. Priscianus, perieg. 689.

Multa quidem generat *vivis* miracula rerum:

auctorem Dionysium exprimens, ver. 723.

Ἡ δὴ πολλα μεν αλλα μετ' ΑΝΔΡΑΣΙ θαυματ' αειξω——.

Ver. 1123. *Certantes iter:* Vind. V. ed. Π. Σ. Ω. *Certantesque inter;* Δ. *Certantesque iter.*—Et Π. Σ. inserunt *se* post *iter.*—*viaï:* Vind. *via.*

Ibid. *iter viaï:* πορειαν ὁδω· vide ii. 626. Hinc *iter viâ*, et *per viam*, facere; *ire viam; iter obvium, devium, avium, pervium*, et similia, scriptoribus, frequentantur.

Ver. 1124. *fulmen:* Δ. *fulmine;* Π. *flumen.*—*dejicit:* B. *dicit;* V. ed. Σ. *deicit;* verissime, ni fallar: et me habeo persuasissimum, hosce versus sic elegantius fuisse poëtâ scriptos:

Et tamen e summo, quasi *fulmine*, *deicit actos*
Invidia interdum contemptim in Tartara tetra.

Vide Valer. Flacc. ii. 330. et de permutatis *actus* et *ictus* alibi diximus. Conferas Virgilium, ad Æn. ix. 706. qui gemellus sane locus est Lucretiano, ibid. iv. 25.

Vel pater omnipotens *adigat* me *fulmine* ad umbras,
Pallentis umbras Erebi, noctemque profundam—.

Ver. 1125. *Invidia:* Vind. V. ed. Π. Σ. *Invia;* B. Δ. *Invia et.*—*contemptim:* V. ed. *contemptum;* Ω. *contemptus.*—*tetra:* V. ed. *terra.*—Cæterum, error huic similis, *Invia* pro *Invidia*, qui vocem legitimam, quibusdam literis extritis, linquit, summe notabilis, insedit Euripidis exemplaria, Phœn. 1552. ed. Valck. et versum jugulat; ut mireris neminem e doctissimis istius dramatis curatoribus Musarum esse plorantium miseritum:

——— σος Αλαστωρ
Ξιζει βριθων,
Και πυρι, και σχετλιαισι μαχαις——.

Rescribo certissime, ni fallor, quum poëta modis omnibus acerbissimam rem gravet:

Και πυρι, και σχετλιαισι μαχΑΙΡαις—.

Et committas Hom. Il. Γ. 271. 272.

Ibid. *Tartara tetra:* i. e. nigra, ut alibi plus semel noster. Virgilius, Æn. vi. 134.

Bis Stygios innare lacus, bis *nigra* videre
Tartara——.

Et cum phrasi *e summo deicit in Tartara* aptissime componetur gemina S. Matthæi, in xi. 23. Και συ, Καπερναυμ, ἡ ἑως

Ut satius multo jam sit parere quietum,
Quam regere inperio res velle, et regna tenere.
Proinde, sine, in cassum defessei, sanguine sudent,
Angustum per iter luctantes ambitionis:
1130 (Invidiâ quoniam, ceu fulmine, summa vaporant
Plerumque, et quæ sunt altis magis edita quomque)

τῶ ΟΥΡΑΝΟΥ ὑψωθεισα, ἘΕΩΣ ἈΔΟΥ ΚΑΤΑΒΙΒΑΣΘΗΣΗ.

Ver. 1127. *inperio res:* L. M. *inferiores;* neque ausus essem vetustissimos codices respuere, nisi et alii optimæ notæ receptam lectionem exhibuissent, et Virgilius tueretur, Æn. vi. 852.

Tu *regere inperio* populos, Romane, memento.

Ver. 1128. *sine:* Vind. V. ed. B. L. Π. Σ. *side;* M. *fidei;* Δ. *si.—in cassum:* Ω. *in cassu;* pro *in cassū:* ut innumerabiliter peccatum est.

Ibid. Ordo est: "Proinde, sine sudent sanguine, defessi in cassum:" i. e. se in vanum, vel inutiliter, defatigantes; quasi scilicet laborem suum, usque ad defatigationem impensum, in barathrum profunderent.

Ibid. *sanguine sudent.* Exquisitissimam hanc locutionem videmur nobismetipsis non inscite illustravisse in Silv. Crit. sect. xxxv. et ibid. tom. v. pp. 71. 72. ad quos locos, et chartis et otio consulentes, remittimus lectorem. In aliam profecto vividiorem atque nervosiorem haud temere incurres. Ea sane multum lucis Sallustio commodabit ad Catil. xxxix. 4. "Neque illis, qui victoriam adepti forent, diutius eâ uti licuisset, quin *defessis* et *exsanguibus*, qui plus posset, imperium atque libertatem extorquerent." Nobis enim sine libris non licet brevitatem Cortianam imitari, et Sallustium satis astrictum in artius compingere.—*Defessi* vero, "exanimati, exhausto quasi venis sanguine." Sic "pernicie," *peste* nempe, "*defessi* exercitûs," Dictys Cretensis, ii. 31. vide nostrum vi. 1160. Orosius, hist. iv. 12. "Unâ tantummodo æstate, Romana *sanguinem* viscera non *sudarunt.*" Livius, xxii. 36. "Nunciatum erat sub idem tempus lapidibus pluisse; et multo *cruore* signa in Sabinis *sudasse*, aquas*que* e fonte *candidas* manasse:" i. e. lactei coloris. Ita Marte proprio emendaveram, atque in partem suffragatur codex: de his autem prodigiis adeas ibid. cap. 1. et Julium Obsequentem sæpius. Apollonius Rhodius, iv. 1284.

Η ὁτ' αν αυτομματα ξοανα ῥεῃ ἸΔΡΩΝΤΑ ἈΙΜΑΤΙ——.

Virgilius denique adscribendus est, indefessus magistri comes, ad Æn. ii. 582.

Dardanium toties *sudarit sanguine* litus?

Quem versum male solicitabat Heinsius. Et Carus noster Ennii fortasse memor fuerit, apud Nonium, x. 4. sic castigandi:

Æs sonit, franguntur hastæ, terra *sudat sanguine.*

Vulgo, "*Et* sonit." Idem, annal. xv.

Æratæ sonitant galeæ——.

Cæterum, ambigem an hinc Arnobius corrigendus, constantissimus imitator nostri, lib. ii. p. 71.—"cum *sanguinem* totum in subigendâ tellure *fudissent*—." Forte, *sudassent.*

Ver. 1129. *per iter:* V. ed. *pariter.*—*ambitionis:* Vind. V. ed. Δ. Σ. *ambitiones.*

Ibid. *Angustum iter.* Virgilius, geo. i. 380.

Angustum formica terens *iter*——.

Ver. 1130. Hunc et sequentem versum Bentleius, Creechii judicio obsecutus, inducendos censuit; quibus egomet consentire nequeo. Post ver. 1125. positi sane magis placerent; quamvis hæ trajectiones non insolitæ sint poëtis, argumenti cur-

Quandoquidem sapiunt alieno ex ore; petuntque
Res ex auditis potius, quam sensibus ipsis:
Nec magis id nunc est, neque erit mox, quam fuit ante.
1135 Ergo, regibus obcisis, subvorsa jacebat
Pristina majestas soliorum, et sceptra superba;
Et capitis summi præclarum insigne cruentum
Sub pedibus volgi magnum lugebat honorem:
Nam cupide conculcatur nimis ante metutum.
1140 Res itaque ad summam fæcem, turbasque, residit;

sum studiosius tenentibus, nec prius, quam otiari liceat ob pleniorem sensum, subsistentibus. Hanc autem rem nos alibi in his commentariis attigimus.

Ibid. *fulmine summa vaporant.* Similiter Horatius, od. ii. 10. 11.

——— feriuntque summos
Fulgura montes.

Lambinus.

Ubi altera lectio *fulmina* Lucretium fautorem habet; et imitationem Senecæ, Agam. 96.

Feriunt celsos *fulmina* colles.

Cæterum, verbum *vapora* sic Plinius etiam adhibuit intransitive, nat. hist. xxxi. 2. de *aquis* disserens: " *Vaporant* et in mari " ipso:" i. e. *vaporem emittunt.*

Ver. 1131. *altis edita:* i. e. in altis locis exposita, vel prominentia. Editores de suo, scriptos mentiti tamen, reposuerunt *aliis;* quam vocem supinus collator codicis Vind. perperam propagavit. Dat Π. quoque *magnis*, pro *magis.*

Ver. 1132. *petuntque:* Vind. Π. *repetuntque;* arreptâ vocabuli prægressi syllabâ.

Ver. 1134. *nequc:* sic P. Vind. V. ed. O. Δ. Σ. Ω. vulgo, *nec;* Π. *aut;* haud inscite.—*quam:* V. ed. *quia.*

Ver. 1137. *præclarum:* V. ed. *sic clarum;* non male: Π. *si clarum.*

Ver. 1138. *lugebat:* Vind. V. ed. B. O. Π. Σ. Ω. *luccbat.*—Mox Π. *pedibus*, pro *cupide.*

Ver. 1140. *Res itaque:* Vind. *Restaque;* Δ. *Res tanquam;* Π. *Resteque;* Σ. *Restatque.*—*residit:* i. e. redit, revertitur, *retro sidit*, quâ voce nihil aptius quadrare poterat τῷ *fæces.* Sic autem mihi videor recte castigasse librorum depravationes. Vind. V. ed. B. L. O. Δ. Σ. Ω. *recidat;* L. *recidit;* quod merus error est recitationis pro nostrâ lectione: P. Π. *redibat*, ut recentes editores; quam vocem tamen haud dubius hodiernis correctoribus potius imputem, quam exemplis scriptis, quum ægre videatur Latina satis in hoc saltem loco. Proprietati dictionis illustrandæ non incommodus accesserit Virgilius, in geo. ii. 480.

——— quâ vi maria alta tumescant
Obicibus ruptis, rursusque in se ipsa *residant*———.

Ver. 1141. *sibi quom:* L. *sibi eum;* M. *si cum;* unde Vossius: " Lege, *siccum;* " i. e. non cruentum, ut *siccâ morte* Ju- " venalis." Risum teneatis, amici?—*ac:* V. ed. B. L. O. Δ. Π. Σ. Ω. *hac.*—*summatum:* L. *summa tum;* Ω. *summa cum* Tentare poteras, hinc exorsus:

Inperium sibi quom, ac *summam quom*, quisque—:

egomet tamen *summatum* retinuerim, quamvis non alibi videatur hoc vocabulum exstare; nam hujuscemodi seges ampla est dictionum in Lucretio.

Ver. 1142. *crcare:* Vind. *recreare;* simili aberratione modo notatæ ad ver. 1132. Mox Ω. *et*, pro *ut.*

Ver. 1144. *defessum:* V. ed. *defossum.* —*vi colere:* sic vulgares editi; neque ali-

Inperium sibi quom, ac summatum, quisque petebat.
Inde magistratum partim docuere creare;
Juraque constituere, ut vellent legibus uti.
Nam genus humanum, defessum vi colere ævom,
1145 Ex inimicitiis languebat: quo magis ipsum
Sponte suâ cecidit sub leges, artaque jura,
Acrius ex irâ quod enim se quisque parabat
Ulcisci, quam nunc concessum est legibus æquis,
Hanc ob rem est homines pertæsum vi colere ævom.

ter exhibent P. Ω. adeoque non ausus sum rejicere; sed magna est tamen probabilitas Vossianæ divinationis *vi gerere*, scripturâ membranarum M. derivatæ *vigere:* Vind. V. ed. L. O. Π. Σ. *vincere;* unde, ob frequentissimam elementorum *c* et *t* commutationem, verum puto, *vim terere*, vel *vi terere*. Virgilius, Æn. ix. 609.

Omne *ævom* ferro *teritur*——.

Δ. *vigescere;* magis tentamini Vossiano favens: vide ver. 1149.—In sequente, Ω. dat *Et*, vice *Ex*.

Ver. 1146. *artaque:* sic Vind. Ω. accurate; vulgo, *arctaque:* Σ. *atraque;* literis trajectis. Hinc ipse sponte meâ emendaveram prius Horatium, art. poët. 423. quam revocaverim in animum Bentleio quoque correctam esse insulsissimam editorum vulgarium scripturam:

Et spondere levi pro paupere, et eripere *artis*
Litibus implicitum——:

quo nihil verius, et aptius undequaque. Vide Bentleii notam, conjecturam suam longe doctissime defendentis; atque Baxterum, vicissim oggannientem, et cornicantem de solito ineptissime. Pariter turbant in his dictionibus exemplaria Juvenci, hist. evang. i. 202.

Nunc nunc me famulum Dominus, nunc liberet *artis*
Corporis e vinclis——.

Ibid. *leges juraque.* Pro *jura*, Vossius, vel Paschalius, conjicit *jussa*. Libris ego-met omnino steterim. Similiter Horatius, epist. i. 16. 41.

Qui consulta patrum, qui *leges juraque* servat.

Ibid. Significat Lucretius, (ut optime Lambinus dicit) leges esse ab hominibus acceptas, ut sine vi, sineque injuriæ metu, vivere liceret. Sic fere Horatius, sat. i. 3. 111.

Jura inventa metu injusti fateare necesse est,
Tempora si, fastosque, velis evolvere mundi.

Ver. 1148. *concessum est:* Π. *est concessum.*

Ibid. *legibus æquis.* Virgilius, Æn. xi. 321.

—————— et fœderis *æquas*
Dicamus *leges*——.

Ver. 1149. *vi colere:* Π. *incolere.*

Ver. 1150. *Inde:* vulgo, contra libros universos, *Unde;* quod tamen somniculosus editor Vindobonensis negligenter propagavit.

Ibid. *maculat:* i. e. ita turbat, ut lutulet conspurcetque: vide ad iii. 38. Sane, si quovis exemplo manifestum foret, sensum alterum nominis *macula*, pro *rete*, in verbum quoque transferri aliquoties, amplexus essem libentissime, ut cum sequentibus hæc etiam convenirent: aliter, quibus dederim, acquiescendum putem.

Ibid. *præmia vitæ:* i. e. "dulces fructus, sive voluptates atque commoditates, vitæ." Hoc autem dictum est de sententiâ cujusdam meram injustitiam per

1150 Inde metus maculat pœnarum præmia vitæ:
Circumretit enim vis, atque injuria, quemque;
Atque, unde exorta est, ad eum plerumque revortit:
Nec facile est placidam, ac pacatam, degere vitam,
Qui violat factis communia fœdera pacis.
1155 Et si fallit enim divôm genus humanûmque,
Perpetuo tamen id fore clam diffidere debet:
Quippe ubi se multei, per somnia sæpe loquentes,

se non damnantis, uti censebat Epicurus, apud Diog. Laërt. x. 151. quem Lambinus commodissime apposuit: Ἡ ἀδικια ου καθ' ἑαυτην κακον, αλλ' εν τῳ κατα την ὑποψιαν φοβῳ, ει μη λησει ὑπερ των τοιουτων εφεστηκοτας κολασταις. Huc noster respexit.

Ver. 1151. *retit enim vis:* V. ed. *t* pro more in *c* mutato, exemplum aberrationis et confusionis exhibet ob consimiles elementorum ductus, quo non incurri notabilius; *recite munus:* in quibus, si excipias prædictam commutationem, nihil dissidet vulgatis: Δ. *retite nimis;* Π. *nimius.* —*vis:* Vind. *jus.*

Ibid. In hac sententiâ effingendâ Lucretius videtur Hesiodum adhibuisse, in opp. et dd. 265.

Ὁι αυτῳ κακα τευχει ανηρ αλλῳ κακα τευχων·
Ἡ δε κακη βελη τῳ βουλευοντι κακιστη.

Neque aliter capiendum est effatum divini præceptoris, ad S. Matthæum, xxvi. 52. REGIBUS, atque aliis HOMICIDIS in summatu positis, μετα φοβου και τρομου in præcordiis volvendum: Αποστρεψον σου την μαχαιραν εις τον τοπον αυτης· παντες γαρ, οἱ λαβοντες μαχαιραν, εν μαχαιρᾳ απολουνται. Et verbum *circumretio* Arnobius excepit, posuitque in lib. iv. p. 151.— "Hercules, pestiferi tegminis *circumre-* "*titus* indagine—." Alibi quoque. Sidonius Apollinaris, lib. v. epist. 13.—"flex- "uosâ calumniarum fraude *circumretit*—."

Ver. 1152. *unde:* Π. *inde.*—*revortit:* vide Nonium Marcellum, in vii. 68.

Ver. 1153. *facile est:* V. ed. *facilis est;* error ex scripturâ *facilest* derivatus.—*ac:* Π. *atque.*

Ibid. *placidam ac pacatam vitam.* Hinc Arnobium castiges, lib. ii. p. 70. "Idcir- "co animas misit, ut, in *pacatâ* et *pla-* "*citâ* tranquillitate degentes—." Lege, "*placidâ* tranquillitate." Virgilius, Æn. ix. 187.

——— nec *placidâ* contenta *quiete* est:

ubi quidam codd. *placitâ*, Lucretio non probante. Et similiter turbant exemplaria manu scripta ad Æn. iv. 38. quo te recipias.

Ver. 1154. *Qui:* V. ed. *Quis.*—*pacis:* Π. *rebus.*

Ver. 1155. *humanûm:* i. e. humanorum, vel hominum; redeas ad iii. 80. Ita Maximianus, in eleg. v. 113. æquabiliorem habuerit tenorem constructionis:

Hæc genus *humanûm*, *pecudum*, *volucrum*que, *ferarum*que,
Et quidquid toto spirat in orbe, creat.

Ver. 1156. Ut Epicurus, apud Diog. Laërt. x. 151. Ουκ εστι τον λαθρα τι ΠΤΑΙΟΝΤΑ, ὡν συνεθεντο προς αλληλους εις το μη βλαπτειν μηδε βλαπτεσθαι, πιστευειν ὁτι λησει, κἀν μυριακις επι του παροντος λανθανῃ· μεχρι γαρ καταστροφης αδηλον ει και λησει. Sic fors scribendum pro ποιουντα.

Ver. 1157. *per somnia:* ita superius, iv. 1012. Huc facit Juvenalis. xiii. 221.

Te videt in somnis: tua sacra et major imago
Humanâ turbat pavidum, cogitque fateri.

Ver. 1158. *protraxe se:* i. e. ex tenebris in lucem protraxisse; quo nihil aptius, significantius, aut sermone est ve-

Aut morbo delirantes, protraxe ferantur;
Et, celata diu, in medium peccata dedisse.
1160 Nunc, quæ caussa deûm per magnas numina genteis
Pervolgarit, et ararum conpleverit urbeis,
Subscipiendaque curarit solemnia sacra,
Quæ nunc in magnis florent sacra rebus, locisque;
Unde etiam nunc est mortalibus insitus horror,
1165 Qui delubra deûm nova toto subscitat orbi

nustius figurato: confer mox verr. 1387. 1388. i. 410. iv. 1183. Valer. Max. iii. 8. 6. fin. iv. 7. 7. Hoc autem modo sincerissime scriptum conspicitur in Vind. V. ed. L. M. O. Π. probante Bentleio: P. *prograxe;* Δ. et V. ed. pro var. lect. *protrasse;* de solitâ permutatione *των x* et *ss:* Σ. *fortasse;* Ω. *protraxe.* Vulgo, *procraxe:* nos vero non probamus has subtilium ingeniorum argutias, libris emendatissimis planissimam commodissimamque vocem suppeditantibus. Cæterum, breviatæ formæ exemplum in hoc ipso verbo noster dedit ad iii. 650. et Virgilius præbet, Æn. v. 786. quem locum tamen Faber prior indicavit:

——— nec pœnam *traxe* per omnem——.

Ver. 1159. *diu* exsulat Vind. V. ed. O. Δ. Σ. Ω.—*peccata:* Vind. O. Δ. Π. Ω. *et peccata;* Σ. *etiam peccata.* Sane hæ dissimilitudines non possunt non movere suspiciones de loci sinceritate, quamvis omnia videantur in portu navigare. Virgilius, Æn. i. 351.

——— factumque *diu celavit*——.

Ver. 1160. *genteis:* Π. *terras;* quod non deterius. Virgilius, Æn. vi. 58.

——————— *magnas* obeuntia *terras*
Tot maria intravi, duce te——.

Ver. 1161. *Pervolgarit:* V. ed. *Pervulgant;* confusis, ut alibi, *ri* et *n:* Π. *Pervulgavit.*—*ararum:* Vind. *anarum;* unde, errore errorem creante, V. ed. *ranarum.*—*urbeis,* vel *urbis:* Vind. V. ed. O. Π. Σ. *orbis.*

Ver. 1162. *curarit:* Δ. *curant;* Π. *curavit;* Ω. *curam;* et profecto in Longobardicis characteribus, ut *ri* facile migrent in *n*, sic *rit*, si pressius exarentur ductus, *τον* procliviter poterat effingere.

Ver. 1163. *sacra* deest P. M.—*rebus:* P. *rebusque.* In O. Δ. membranis verba ad hunc ordinem locantur:

Quæ in magnis florent *nunc* rebus *sacra*, locisque.

Nihil expiscor vulgatis anteponendum. Bentleius suo calculo Fabri crisin comprobavit, versum esse spurium existimantis.

Ver. 1165. *delubra deûm:* i. e. proprie, "deorum erigit *imagines;*" deinde, progressu solito sermonis et naturali, ad tecta, quæ continerent illas imagines, vox translata est. Ita Virgilius, Æn. ii. 248.

Nos *delubra deûm* miseri——.

Ver. 1166. *Terrarum:* V. ed. *Terram.*

Ibid. *celebrare:* i. e. *crebro adire,* seu frequentare: vide ad i. 4. unde *celeber,* vel *celebris* fit, sensu provectiore, *clarus* et *illustris,* quum talis vir in omnium ore, laudibusque, *creber* versari soleat.

Ver. 1167. *reddere:* V. ed. *redde;* i. e. *reddē.*

Ver. 1170. Permulta sunt veterum scriptorum loca, in quibus deorum et hominum defunctorum corpora narrantur per somnos conspecta, in granditatem humanis majorem amplificata. Sic alicubi Xenophon in Cyropædiâ, et Juvenalis, modo sub ver. 1157. citatus, cujus commentatores consulas. Hoc fit scilicet propter horrorem insitum mortalibus, ver. 1164. omnia ampliantem: adeas annotata

Terrarum, et festis cogit celebrare diebus;
Non ita difficile est rationem reddere verbis.
Quippe et enim jam tum divôm mortalia secla
Egregias animo facies vigilante videbant;
1170 Et magis in somnis, mirando corporis auctu.
Hiis igitur sensum tribuebant propterea, quod
Membra movere videbantur, vocesque superbas
Mittere pro facie præclarâ, et viribus amplis.
Æternamque dabant vitam, quia semper eorum

nobis ad Æschyli Eumen. 44. licet ea Schutzius morosior minus probet. Lucanus, i. 186.

Ingens visa duci Patriæ trepidantis imago,
Clara per obscuram, vultu mœstissima, noctem.

Heinsius volebat *Lugens;* quam infeliciter, vel ob sequens *mœstissima.* Vide Bentleium, cum Reimaro ad Dion. Cass. lv. 1.

Ver. 1172. *movere:* Ω. *videre.* An pro *vigere,* quod leviter deflexum sit a sincerâ Lucretii scripturâ *vegere;* cujus proinde vulgatum *movere* interpretamentum fuerit? Vide Nonium, ad ii. 876.

Ibid. *voces superbas.* Maro, Æn. vii. 544.

Junonem victrix adfatur *voce superbâ.*

Ver. 1173. *facie præclarâ et viribus amplis.* Sallustius, Jug. ii. 2. " Igitur, " *præclara facies,* magnæ divitiæ, ad hoc " vis corporis, alia hujuscemodi omnia, " brevi dilabuntur:" i. e. *diffluunt.* Unus codex, *delabuntur;* pessime, Cortio tamen non improbante. Adi sis iv. 1116.

Ver. 1176. *Et tamen.* Quasi dixerit: " *Et tamen,* vel ob rationem solam, quæ " sequitur, illis æternam vitam facile tri- " buerent; ne confugiam ad præcedentem " caussam." Prorsus eodem modo locutus est poëta superius, ad ver. 1124. Ergo, libenter valedicimus insulsissimis editorum correctionibus, sic contra vetustos libros versum arbitrario constituentium:

(Et *manet* omnino) *et* quod tantis viribus auctos.

Quæ sunt Gratiis indignabundis fabricata.

Ibid. *viribus auctos.* Haud absimilis est phrasis illa Homerea, Il. A. 510.

——— ΟΦΕΛΛΩΣΙ τε ἑ ΤΙΜΗ.

Οφελλωσιν· αυξησωσιν: scholiastes.

Ver. 1177. *ullâ vi:* Vind. V. ed. (unâ tamen vulgatum hæc habet pro var. lect.) L. M. Δ. Σ. *illâ vi;* O. Ω. *illabi.*

Ver. 1178. Desideratur versus in Δ. oculis librarii deceptis simili versûs prægressi fine.

Ver. 1180. *et* posterius abest Π. Idem codex *multum* mox præbet, pro *nullum.*

Ver. 1183. *varia:* Vind. Δ. *varias;* V. ed. *vario.—annorum:* Δ. *anni.* Unde sic tentes licet:

Præterea, cœli rationes ordine certo,
Et *varias anni,* cernebant *tempore* vorti:

i. e. suo quamque tempore.

Ibid. *vorti.* Plenum dictionis sensum libet verbis Virgilianis declarare, ex geo. ii. 401.

——— *redit* agricolis labor actus in orbem,
Atque *in se sua per vestigia volvitur annus.*

Ver. 1186. *illorum:* Vind. *eorum.—facere:* Ω. *facile.*

Ibid. *Illorum nutu flecti:* i. e. " incli- " nari ad illorum caput inclinatum." Vel translatio est ab *aurigatione* accersita. Virgilius, Æn. x. 577.

——— sed frater *habenis*
Flectit equos—.

Ver. 1188. *nox videtur:* editores faci-

1175 Subpeditabatur facies, et forma manebat:
Et tamen omnino, quod tantis viribus auctos
Non temere ullâ vi convinci posse putabant:
Fortunisque ideo longe præstare putabant,
Quod mortis timor haud quemquam vexaret eorum;
1180 Et simul in somnis quia multa et mira videbant
Ecficere, et nullum capere ipsos inde laborem.
Præterea, cœli rationes ordine certo
Et varia annorum cernebant tempora vorti;

norosi, *sol videntur;* libris vetustis reclamantibus: quas lectiones socordia Vindobonensis collatoris propagavit. Π. *mox videtur.*

Ver. 1189. *Luna et nox.* Has repetitiones adamavit Lucretius, frequentavitque: me videas ad iii. 13. et alibi. Voces iterum unâ posuisset haud dubie, nisi metri leges obstitissent. *Nox* et *dies*, *sol* et *luna*, passim poëtis utriusque linguæ promiscue usurpantur.

Ibid. *severa:* Π. *serena*, ut Florentina; quod viris quibusdam doctis placuit; mihi non item: consulas autem i. 143. iv. 462. Liceat poëtis saltem orationem suam subinde variare. *Severa* vult, in hoc loco, "venerabilia cum *horrore* quodam;" propter tenebras utique, et silentium. Euripides, Orest. 174.

Ποτνια, ποτνια Νυξ.

Adeas insuper Casaubonum, doctorum longe doctissimum, in Atheu. deipn. xi. 5. finem: quem laudavit etiam Havercampus.

Ibid. *et nox; et noctis signa severa.* Virgilius huc intendebat oculos, atque hinc emendatione longe elegantissimâ certissimâque restituendus est, de scripti codicis etiam testimonio; quod impensissime quidem triumphamus. Locus est autem in Æn. vii. 138.

—— tum *Noctem*, *Noctis*que HORRENTIA *signa:*

i. e. ἱερα, σεμνα· "*horrorem* sacrum incu-"tientia." Euge! belle! Gratulemini nobis, ubicunque sitis, hominum venustiorum chorus. Vulgo, *orientia:* inepte, frigide, intempestive, et prorsus mendosissime: committas enim scilicet ibid. verr. 26. et seqq. ad locum; et videbis, nisi me quidem ratio prorsus fugerit, hæc omnia die claro geri. Valerius, Argon. v. 333.

—— et *horrendas* lustrantia flumina *noctes.*

Accedat etiam Ovidius, fast. vi. 140.

Est illis strigibus nomen; sed nominis hujus
Caussa, quod *horrendâ* stridere *nocte* solent.

Heinsius, *voce;* sed contra libros.

Ver. 1191. *sol:* editores, insulsissime et audacissime, *ros*, contra vetera omne genus exemplaria.—*imbres:* P. *imber.*—*fulmina:* V. ed. L. M. Π. *flumina.* Unde, tam ob frequentem vocum commutationem, quam ob significata *fulmina* in sequente versu, Lucretius, aut ego fallor, posuit:

Nubila, sol, imbres, nix, *venti flamina*, grando—.

Ipse in superioribus, i. 291.

Sic igitur debent *venti* quoque *flamina* ferri:

et Ovidius, art. am. iii. 99.

Sed me, *flaminibus* venti *majoris* iturum—.

Huc etiam Arnobius certe respexit, lib. ii. p. 59. "Poteritne, si quæras, sol quid "sit, ostendere, terra, maria, sidera, nu-"bes, nebula, pluviæ, tonitrua, nix, gran-"do?"

Ver. 1192. *rapidei fremitus.* Optime

Nec poterant quibus id fieret cognoscere caussis.
1185 Ergo perfugium sibi habebant omnia divis
Tradere, et illorum nutu facere omnia flecti.
In cœloque deûm sedes et templa locarunt,
Per cœlum volvi quia nox, et luna, videtur;
Luna, dies, et nox, et noctis signa severa,
1190 Noctivagæque faces cœli, flammæque volantes,
Nubila, sol, imbres, nix, ventei, fulmina, grando,

noster, si de *ventis* vellet hoc intelligi. Virgilius, Æn. i. 59. de eisdem *ventis:*

Quippe ferant *rapidi* secum, verrantque per auras:

et ibidem, ver. 56. superius:

Illi, indignantes magno cum murmure, montis
Circum claustra *fremunt*——.

Sin autem Carus, uti suspicor, *fulmina* respexerit, (conferas vi. 100.) omnino reponendum aio:

Et *rabidei* fremitus, et *murmura* magna——.

Hoc verum: redi annotata ad ver. 890. hoc libro; et conferas Valer. Flacc. iv. 239. Claudian. in Rufin. i. 75. ac sententiam vix mutem sane, vel si de *ventis* verba posita intelligas. Statius, silv. iii. 2. 72. adscribatur:

Inde *furor ventis*, indignatæque procellæ,
Et *cœli fremitus*, et *fulmina* plura Tonanti.

Porro, vere emendavit vir doctus Petronium, bell. civ. 122. alio demum errore liberandum:

————*fulgure* rupta corusco,
Infremuit nubes, elisosque *obdidit* ignes:

i. e. "ob oculos illis dedit." Vulgo, *Intremuit*, et *abdidit;* nullo sensu. In contextum admitti debuerat nostra emendatio.—Cæterum, Π. habet *numina*, pro *murmura*.

Ver. 1194. *adjunxit:* Π. *conjunxit;* unde elegantem possis conjecturam periclitari:

Quom tribuit facta, atque iras *quom junxit* acerbas.

Quibus committas velim iii. 681. et adi ii. 652.

Ver. 1195. *tum ipsei:* Δ. *tunc homines.* Ibid. *Quantos gemitus, quas lacrumas.* Versuum horumce pulcherrimorum haud immemor erat Mantuanus, ad Æn. vi. 873.

Quantos ille virûm, magnam Mavortis ad urbem,
Campus aget *gemitus;* vel *quæ*, Tyberine! videbis
Funera, quum tumulum præterlabere recentem!

Quæ carmina nimirum dignissima sunt discipulo tanto tanti præceptoris.

Ver. 1197. *ulla est velatum:* sic solus P. sed procul dubio ex recentiorum correctione; reliqui universi, *ulla velatum est.* Quum vero non credibile sit, Lucretium ita cæsurâ temere abuti voluisse, dum se tam opportuna ostenderet elisio, scripsisse arbitror:

Nec pietas *ulli* velatum est sæpe videri.

De quo docti pronuncient.—P. *viderc.* Vulgata suffragatorem habent Lactantium, div. instt. ii. 3. Cæterum, vitavisset ambiguum sermonis noster, si sic scripsisset:

Nec pietas *ulli velato* est sæpe videri.

Et facile profecto illud *velato* abiret in *velatō*, vel *velatom;* i. e. *velatum.* Ut se res nunc habet, in dubio relinquitur an participium hoc respiciat *hominem*, vel *lapidem.* Nos Lambinus mittit ad Plaut. Amph. v. 1. 42. Liv. i. 32. 6. et commit-

Et rapidei fremitus, et murmura magna minarum.
O genus infelix humanum! talia divis
Quom tribuit facta, atque iras adjunxit acerbas.
1195 Quantos tum gemitus ipsei sibi, quantaque nobis
Volnera, quas lacrumas peperere minoribus nostris!
Nec pietas ulla est velatum sæpe videri
Vortier ad lapidem, atque omneis adcedere ad aras:
Nec procumbere humi prostratum, et pandere palmas

tas velim Virg. Æn. ii. 249. iii. 405. 545. Juv. vi. 301. Accedat porro Tibullus, i. 1. 11. ubi videas interpretes:

Nam veneror, seu stipes habet desertus in agris,
Seu vetus in trivio florea *serta lapis*.

Interea, pene in hac persuasione sum, ut existimem poëtam, literis transpositis, dedisse, ad evitandam ambiguitatem constructionis, hoc modo:

Nec pietas ulla est, *lævatum* sæpe videri
Vortier ad lapidem——:

i. e. *expolitum*, vel *oleo lubricatum*. Minucius Felix, cap. iii. impendio eleganter: " Non boni viri est, Marce frater! ho- " minem, domi forisque lateri tuo inhæ- " rentem, sic in hac imperitiæ vulgaris " cæcitate deserere, ut tam luculento die " in *lapides* cum patiaris impingere, effi- " giatos sane, et *unctos*, et *coronatos*." Ubi perlegas doctissimis animadversoribus collata. Siculus Flaccus, de conditt. agrorum, p. 5. " Cum enim terminos dis- " ponerent, ipsos quidem *lapides* in soli- " dam terram rectos conlocabant;—et *un-* " *guento*, *velaminibus*que, et *coronis*, eos " *coronabant*." Arnobius, denique, lib. i. p. 22. " — si quando conspexeram *lu-* " *bricatum lapidem*, et ex *olivi unguine* " sordidatum, tanquam inesset vis præ- " sens, adulabar, affabar—." De his autem, prout eis visum fuerit, sciscant velim candidi et eruditi. Conferant autem Lucian. in Pseudom. 30.

Ver. 1198. *Vortier:* i. e. de mediæ vocis usu, *vertere se;* quod sane scriptum quoque conspicitur in Lactantii multis exemplaribus, ex glossatoris interpretatione scilicet.

Ibid. *adcedere ad.* Quum veri sit simile, Virgilium, ut in aliis omnibus imitatus est, hoc etiam in constructionis schemate non deserturum vestigia præceptoris, assentior exemplari scripto sic Æn. i. 200. exhibenti:

Vos *ad* Scyllæam rabiem, penitusque sonantis
Adcestis scopulos—:

ubi codices reliqui præbent *et*. Tibullum conabor emendatiorem dare, ad iv. 1. 64.

Cimmeriôn etiam obscuras *accessit ad* arces;
Queis nunquam candente dies apparuit *axe*,
Sive supra terras Phœbus, seu curreret infra.

In secundo versu, quidam codd. *æstu;* quod nihili est: vulgo, *ortu;* quod absurdum; quum, ut in Homeri loco, sensus generalior poscatur, qui utramque clausulam sequentis versûs æque respiciat, et anticipet neutram. Neque erat Græca inflexio vocis *Cimmeriôn* doctis viris reformidanda.

Ver. 1199. *Nec:* Lactantius, *Et*. Parum interest; sed receptum videtur doctius.—Δ. *pondere*.

Ibid. *procumbere humi prostratum*. Arnobius, lib. i. p. 29.—" cum per omnia " supplices irent templa; cum, deorum " ante ora *prostrati*, limina ipsa converre- " rent osculis—." Idem, lib. iv. p. 133. —" quia non supplices *humi* Mutuno " *procumbimus*, atque Tutuno—?" Maro, Æn. v. 481.

1200 Ante deûm delubra, neque aras sanguine multo
Spargere quadrupedum, nec votis nectere vota;
Sed mage placatâ posse omnia mente tueri.
Nam, quom subspicimus magni cœlestia mundi
Templa super, stellisque micantibus æthera fixum;
1205 Et venit in mentem solis, lunæque, viarum;
Tunc, aliis obpressa malis, in pectora cura

Sternitur, exanimisque tremens *procumbit humi* bos.

At enim quis neget nasutior hominum ac venustior, *τα exanimis* et *tremens*, copulis indiscreta, longe infra nitorem et *ακριβειαν* Virgiliani sermonis cadere, atque politissimi castissimique ingenii poëtæ statim esse abjudicanda? Nimirum, de metro timor, quum summus vates non alibi primam syllabam verbi *procumbo* corripuerit, labefecit scribas, deturpavitque versum, sic elegantiis suis, ut opiner, redonandum:

Sternitur; exanimisque, tremens*que*, procumbit humi bos.

Confer nostrum, iv. 195. iii. 161.

Ibid. *pandere palmas.* Neque hanc phrasim præteriit Virgilius, ad Æn. iii. 263.

At pater Anchises, *passis* de litore *palmis*—.

Præcessit Ennius, apud Nonium, iv. 364. sic disponendus, et fortasse rescribendus:

——————————————— ægro
Corde *gemens*, *passis* late *palmis* pater—.

Lambinus utique crasse exposuit per *tendere.*

Ver. 1200. *neque:* sic non dubitavi rescribere, libri quamvis repugnent, pro vulgato *nec;* de constantissimo Lucretii more ante vocalem, si in contiguâ clausulâ *nec* semel ponatur, atque potissimum si bis; ut in hoc loco factum.

Ibid. *aras sanguine spargere.* Ita locutus est Mantuanus quoque, Æn. xi. 82.

Vinxerat et post terga manus, quos mitteret umbris
Inferias; cæso *sparsurus sanguine flammam.*

Sic reponendum ex libris emendatissimis, longe *ποιητικωτερως* et exquisitius. Vulgo, *sparsuros.*

Ver. 1201. *quadrupedum*, *τετραβαμονων*· sicut Euripides, in Elect. 476.

Ver. 1202. *mage:* Ω. *magis.*—*placatâ:* sic universa exemplaria, si Vind. excipias; verum collator somniculosus vapulet: i. e. animo *πραει* et *εξηυμενισμενῳ*, vel *quieto;* cujus perturbationes utique sedatæ sunt atque emollitæ. De suo reponere non erubuerunt editores *pacatâ;* cum nullo fructu. Virgilius, Æn. xi. 300.

Ut primum *placati animi*, et trepida ora *quierunt.*

Ubi nonnulla exempla *pacati;* prout in his vocabulis passim variatur. Nos hinc verissime emendavimus Horatium, epist. i. 2. 45. ut videtur. Ovidius, fast. i. 3.

Accipe placato, Cæsar Germanice! vultu
Hoce' opus; et timidæ dirige navis iter.

Vulgo, *Excipe pacato;* sed quomodo *τω Excipe* stationem suam tueri possit, nullus intelligo, et alii velim dicant: vide nos supra, ad ver. 827. *Placato* autem, *placido*, benigno et vacante: vide nostrum Carum, i. 45. 46. *Pacato* bene, si Germanicus prius fuerit infensus et *hostilis* Ovidio. Cæterum, poëta loquitur, quasi veniret ad præsentem *deum:* nam in sacris verbum *placo* passim solet adhiberi. Conferas ibid. ver. 17. et ii. 17. met. xiv. 593. ubi codices similiter turbant.

Cæterum, geminissima locorum indoles me cogit credere Venusinum memorem Lucretii fuisse, ad epist. i. 6. 3. hanc ani-

Illa quoque expergefactum caput erigere infit:
Ne quæ forte deûm nobis inmensa potestas
Sit, vario motu quæ candida sidera vorset.
1210 Tentat enim dubiam mentem rationis egestas:
Et quænam fuerit mundi genitalis origo?
Et simul, et quæ sit finis, quoad mœnia mundi
Et taciti motûs hunc possint ferre laborem?

mi tranquillitatem super eisdem rebus prædicantem suavissime:

Hunc solem, et stellas, et decedentia certis
Tempora momentis, sunt qui, formidine nullâ
Imbuti, spectent—.

Epicureos tangit scilicet. Ineptus est, nec præter solitum tamen, Baxterus.

Ver. 1203. Constructio est: "Quom "subspicimus templa mundi, *quæ sunt* "super:" nam vix noster voluerit "*sub*-"*spicere* super templa;" quamvis præpositionem *in* cum hoc verbo usus sit, ad ii. 1038. et M. Tullius, somn. Scip. initio.

Ver. 1204. *micantibus:* V. ed. *mirantibus.*

Ibid. *stellis micantibus:* i. e. tremulis, vibrantibus, coruscantibus; vide ad ii. 195. 320. Ammianus Marcellinus floride cognatam vocem adhibuit, in xx. 4.—"ex-"spectareque coacti, dum *lux promicaret*, "tandem progredi compulerunt." Jam dixerat similiter, xix. 7.—"*exsiliente* lu-"cifero—." Virgilius, Æn. i. 90.

Intonuere poli, et crebris *micat* ignibus æther:

i. e. vibrat, scintillat.

Ibid. *stellis micantibus æthera fixum.* Ad Ennii normam, ann. i. apud Macrobium:

Qui *cœlum* vorsat *stelleis fulgentibus aptum:*

quem versum Maro mutuatus est, Æn. ix. 202.

Ver. 1205. *viarum:* Δ. *meatus;* ex glossâ: alioqui non male, vel in casu recto. Sic Horatius, epist. i. 11. 5.

An *venit in votum* Attalicis ex urbibus *una?*

Ibid. *solis viarum.* Mantuanus, Æn. vi. 797.

Extra anni, *solis*que, *vias*—.

Ver. 1206. *in pectora:* i. e. *contra* pectora expergefactum, et excitatum. Sic legitur in V. ed. L. M. Σ. Ω. vulgo, *pectore.* Vel satius fortasse fuerit cum *erigere* voces *in pectora* consociare; ut translatio sit a *serpente* iracundo, atque impetum meditante.

Ver. 1208. *Ne quæ:* P. *Et quæ;* Σ. *Nec quæ;* plures Pii codd. *Ecquæ;* quod perperam placuit editoribus, libris antiquissimis obstantibus, purissimisque.

Ibid. *nobis sit:* quod Atticæ est elegantiæ; redeas ver. 261. Valeat gerro Faber cum argutiis suis; *τα endo polis*, si dîs placet, lectoribus commendans.

Ver. 1211. *Et quænam:* ita P. Vind. V. ed. O. Δ. Π. Σ. Ω. atque, ut suspicor, omnes alii manu scripti. Vulgo, *Ecquænam.*

Ver. 1212. *et quæ:* i. e. *etiam* quæ. Sic autem exhibetur in P. Vind. V. ed. O. Δ. Π. Σ. Ω. Edi solet, *ecquæ;* haud dubie contra vetusta exemplaria, ut ut ignavi taceant MSS. collatores.—*quoad:* Δ. *quod;* V. ed. Ω. *quo ad*, divisim; me probante.

Ver. 1213. *Et taciti motûs:* i. e. "*vel* "taciti motûs; qui nempe, licet non ca-"dat in observationem sensuum, necesse "conterat atque labefactet tamen." Hæc nobis videtur vera loci ratio; quâ nulla luculentior ac simplicior, aut elegantior denique, desiderari potest. Nonnullis placuit *το motus* accipere pro casu primo numeri pluralis, et scribere *tanti*, pro *ta-*

An, divinitus æternâ donata salute,
1215 Perpetuo possint ævi labentia tractu,
Inmensi validas ævi contemnere vireis.
Præterea, quoi non animus formidine divôm
Contrahitur? quoi non conrepunt membra pavore,
Fulminis horribili quom plagâ torrida tellus
1220 Contremit, et magnum percurrunt murmura cœlum?

citi; uti conspicitur in P. et Π. quæ vox, si primo intuitu planior fortasse videatur, correctorem resipit.—*hunc:* M. *hinc;* quod satis refellerit, ut etiam insulsas divinationes Fabri, haud dignas, quæ recenseantur, imitatio Virgiliana, ad geo. ii. 343.

Nec res *hunc* teneræ *possent perferre laborem*—.

Ibid. *Et taciti.* Lege, *Soliciti:* vide i. 344. vi. 1036. BENTLEIUS.

Mihi charus est Bentleius, sed in tali re chariores libri vetusti consentientes.

Ver. 1215. Idem versus legitur in i. 1003. et, qui statim sequitur, superius in hoc libro, ver. 380. Minus placet illud *ævi* repetitum; et forsitan error lateat.

Ver. 1216. *validas ævi:* O. et Σ. *valida sævi.*

Ver. 1217. *non animus:* Vind. *nonanimis;* V. ed. Σ. *nova nimis:* nimirum, vocibus semel distractis, librarius ex *nimus,* dictione nihili, fecit *nimis.*

Ibid. Huic argumento Lucretii lucem inferet Petronii fragmentum:

Primus in orbe deos fecit timor: *horrida* cœlo
Fulmina quum caderent, discussaque mœnia flammis,
Atque ictu flagraret Athos.

Horrida scilicet, " horrorem membris ita " incutientia, ut correpere videantur." Sic noster statim γραφικως:

——————— *conrepunt* membra *pavore,*
Fulminis horribili quom plagâ—.

Sic enim legendum: vulgo, " *ardua* " cœlo."

Ver. 1218. *Contrahitur:* i. e. πτησσει και συνειλειται· uti solent animalia se submittere atque in spatium minimum conducere, ut oculos effugiant, vel ictum evitent interminantis. Nihil evidentius, felicius, et electius, horum versuum sermone. Sic eundem prorsus sensum Maro uberius declaravit, ad geo. i. 331.

——————— mortalia corda
Per gentes *humilis stravit pavor*—.

Ibid. *conrepunt pavore:* horrore scilicet superveniente membra, atque perreptante. Arnobius, lib. v. p. 162.—" ad furta illa " flagitiosa *correpens* ibat, *pavens* ac trepi- " dus—." Et Lambinus pulchre dicit: " Tralatio est mirabilis et audax." Exquisitissimos Lucretiani carminis lepores in consimili materie majestas Virgilii non adæquavit, Æn. iii. 29.

——————— mihi frigidus horror
Membra quatit; gelidusque coit formidine sanguis.

Potens nimis et efficax verbum το *quatit,* et cum subtilissimâ proprietate τω *conrepunt* minime comparandum.

Ver. 1219. *Fulminis:* Vind. V. ed. O. Δ. Π. Σ. Ω. *Fulmine.* Nimirum, Lucretius scripsit:

Fulmineâ horribili quom plagâ—.

Horatius haud dissidet, od. iii. 16. 11.

Et perrumpere amat saxa, potentius
Ictu fulmineo—.

Ver. 1220. *Contremit murmura:* Π. *Conterrit nubila.*

Ver. 1221. *Non:* Π. *Nam;* nec absurde.

Ibid. *populei gentesque.* Maro, Æn. vii. 236.

Non populei, gentesque, tremunt? regesque superbei
Conripiunt divôm perculsei membra timore,
Ne quod ob admissum fede, dictumve superbe,
Pœnarum grave sit solvundi tempus ad auctum?
1225 Summe etiam quom vis violenti per mare venti
Induperatorem classis super æquora verrit,
Cum validis pariter legionibus, atque elephantis;

Multi nos *populi*, multæ ————
Et petiere sibi, et voluere adjungere, *gentes*.

Ibid. *reges superbei*. Idem, ibid. xi. 15.

——— hæc sunt spolia, et de *rege superbo*
Primitiæ——.

Ver. 1222. *Conripiunt:* quidam Pii codd. *Correpunt;* vitiose.—*perculsei:* sic Florentina, Juntina, Vind. B. O. Δ. Π. omnino verissime; quamvis exemplaria præstantiora ac vetustiora habeant, *percussi;* hæc enim vox ad efficaciam sensûs appositi non assurgit: redeas annotata in i. 13. et manum dabis. Consulas autem Heinsium ad Virg. Æn. i. 513. cui nolim equidem in omnibus auscultare; et Oudendorpium, ad Lucan. i. 487. Claudianus, in Rufin. ii. 130.

At procul exsanguis Rufinum *perculit* horror:

i. e. *concussit*, quassavit, ad imitationem Virgilii, ad ver. 1218. nuper collati. Ita vulg. vers. bibl. in Exod. xx. 18.—" per-" territi, ac *pavore concussi*, steterunt pro-" cul—." Pacatus, paneg. Theodos. Aug. xxii. 1.—" et, si qui forte sunt barbaro-" rum, qui nondum virtutis tuæ *fulmen* " exceperint, nominis terrore *perculsi*, et " velut adflati, quiescant." Libri quidam, *percussi:* et viri docti ad locum diversam dictionum potentiam minime perceptam habuerunt. Vocem efficaciâ pari redonabimus Ammiano Marcellino, xxx. 6. " Cumque *membris incurvatis* starent, " *metu* debiles et *perstricti*." Vulgo, " *præstricti*. Hic autem locus multum lucis injicit Lucretio.

Ver. 1223. *Ne:* O. *Nec.*—*admissum:* Π. *omissum*.

Ver. 1224. *sit ad auctum:* i. e. " ad " plenam maturitatem suam perductum;" τελειον τε οντος του καιρου, και πεπληρωμενου. Sic autem diserte scriptum conspicitur in Ω. atque in aliis universis *adauctum*, præter P. qui sponte et tacitus scriptorum lectiones haud dubie sæpius immutavit. Nec mihi profecto de castitate, ac Latinitate saltem, phraseos *solvendi tempus adactum* satis liquet, ut patienter admittam contra fidelissimorum exemplarium auctoritatem.

Ibid. *Pœnarum solvundi tempus*. Hanc formulam Lambinus erudite illustravit ex Plaut. Capt. iv. 2. 72. Terent. Heaut. prol. 29. Sueton. August. 98. aliisque locis veterum; quos non appono.

Ver. 1225. *Summe violenti;* ut *summe celeri*, iv. 255. Plautus, mil. glor. iv. 4. 29. et alii plures. Hæc autem lectio est librorum Vind. V. ed. O. Δ. Π. Ω. et reliquorum fortasse veterrimorum, si collatores fideliter rem gessissent. Vulgari solet, *Summa*. Nobis interea viam saltem tutissimam placuit inire.

Ibid. *vis venti;* ut i. 272. ad Homeream dictionem, ανεμων μενος, Od. E. 478.

Ibid. *violenti venti*. Maro, geo. ii. 107.

——— ubi navigiis *violentior* incidit *Eurus*——.

Ver. 1226. *classis:* Π. Σ. *clausis.*—*æquora:* P. V. ed. *æthera.*—*verrit:* V. ed. *vertit*, et Ω. secundâ manu; perperam: vide i. 280. et ver. 267. hujusce libri. Virgilius, geo. iii. 201. de *Aquilone:*

Ille volat, simul arva fugâ, simul *æquora, verrens*.

Non divôm pacem votis adit, ac prece quæsit
Ventorum pavidus paces, animasque secundas?
1230 Nequidquam: quoniam, violento turbine sæpe
Conreptus, nihilo fertur minus ad vada leti.
Usque adeo res humanas vis abdita quædam
Obterit; et pulchros fasces, sævasque secures,
Proculcare, ac ludibrio sibi habere, videtur.

Ver. 1228. *adit ac:* Vind. *adit;* V. ed. *adyta;* Δ. Π. Σ. *addita.*

Ibid. *divôm pacem.* Mantuanus, Æn. iii. 370.

Exorat *pacem divôm*——.

Ibid. *pacem adit.* Phrasis templa respicit, quæ consultores deorum ingrediuntur. Idem Virgilius, Æn. iv. 56.

Principio, *delubra adeunt, pacem*que per aras
Exquirunt——.

Ibid. *pacem votis ac prece quæsit.* Omnes Lucretii locutiones Virgilius studiosissime absumpsit. Sic enim ille iterum ibidem, iii. 261.

Sed *votis, precibusque,* jubent *exposcere pacem.*

Ibid. *quæsit.* Adeas ad Festum in voce *Quæso;* et Phocam, art. gramm. p. 1718. Similiter Plautus, Bacch. ii. 2. 1.

Mirum est, me, ut redeam, te opere tanto
quæsere.

Neque in hac etiam vetustioris sermonis formulâ non voluit magistrum sequi propter impensissimum amorem vates Mincianus, in Æn. iii. 358.

His vatem adgredior dictis, ac talia *quæso.*

Adjungam Ciceronem in Arato, ver. 84.

Andromedæ lævo ex humero si *quæsere* perges.

Quærere recentiores editos perperam occupavit.

Ver. 1229. *Ventorum:* O. Δ. *Aurarum;* quod vero simillimum arbitror, quum noster varietatem phraseos opere maximo sectari soleat. Obstat tamen aliquantulum Arnobius, lib. i. p. 2. "Num "quid suas *animas* exspiraverunt *ven-* "*ti*—?" quæ sunt impendio venusta. V. ed. *Veniorum;* Π. *Venorum;* Σ. *Veniarum.*

Ibid. *paces.* Sic etiam Plautus in numero multitudinis, "*pacibus* perfectis," Pers. v. 1. 1. ubi videas interpretes, et Nonium, ii. 621.

Ibid. *animas,* ανεμους: redi ver. 237. unde forsitan illa varietas *Aurarum* sit invecta.

Ver. 1230. *turbine Conreptus.* Maro, Æn. i. 45.

Turbine conripuit——.

Ver. 1231. *ad vada leti:* Vind. V. ed. Δ. Σ. *aqua daleti:* quidam Pii codd. *ad vada lethes;* Heinsius, in Anthol. Lat. Burm. iv. 13. 21. *ad vada Lethæ.* Mordicus egomet vulgatum teneam.

Ibid. *fertur ad vada.* Maro, Æn. i. 536.

Quum, subito adsurgens fluctu, nimbosus Orion
In vada cæca *tulit*——.

Sed nullus dubitem, quin vel hic *ad* scripserit, vel noster *in;* usque adeo in omnibus consentire sibi solent:

——————— pene gemelli,
Fraternis animis; quicquid negat alter, et alter.

Ver. 1233. *Obterit:* M. *Operit;* qui migravit error ex orthographiâ *Opterit:* nam ea vox conspicitur in O. Δ.

Ver. 1235. *sub:* Vind. *sui;* Σ. *sin.* An pro *sis?* Nempe, *sis pedibus,* pro suis *radicibus;* ut *pedes montis,* alii: quod elegantissimum fuisset.

1235 Denique, sub pedibus tellus quom tota vacillat,
Concussæque cadunt urbes, dubiæque minantur;
Quid mirum, si se temnunt mortalia secla,
Atque potestates magnas mirasque relinquunt
In rebus vireis divôm, quæ cuncta gubernent?
1240 Quod super est, æs atque aurum ferrumque repertum est,
Et simul argenti pondus, plumbique potestas,

Ibid. *sub pedibus tellus vacillat.* Non alienus est Virgilius, Æn. vi. 255.

Sub pedibus mugire *solum*, et juga cœpta *moveri*——.

Ibid. *tota.* Cogitare poteras de *mota;* vide Virg. geo. i. 329. Ovid. met. xv. 798. et Arnobius, lib. iii. p. 118.—" rex " —*tremebundi motator* sali." Sed receptam Virgilius lectionem videtur vindicare, Æn. iii. 581.

Et, fessum quoties mutet latus, *intremere omnem* Murmure Trinacriam——.

Ver. 1236. *dubiæque.* Lege, dubiæve.

BENTLEIUS.

Et ita passim critici volunt immutare; sæpius infeliciter et sine caussâ, ut hoc tempore vir maximus. Sic locus est integer concipiendus: " Et urbes (aliæ) " concussæ cadunt, et (aliæ) dubiæ mi- " nantur." Vel, " Eadem urbs ex parte " concidit, et ex parte casum minitatur." Lucretii mentem sic Arnobius repræsentat, lib. i. p. 4. " Terrarum validissimis " motibus tremefactæ, nutant usque ad " periculum civitates."

Ibid. *Concussæ urbes.* In translato sensu Mantuanus, Æn. iv. 666.

—— *concussam* bacchatur fama per *urbem.*

Ver. 1237. *mirum:* Π. deest; O. *mirunt;* quod provenire potuerit ex *mirust*, pro *mirum est;* sed errorem potius imputem sane permutationi elementorum *m* et *nt.*

Ver. 1238. *potestates:* P. V. ed. Δ. Ω. *potestatis.*

Ver. 1239. *vireis*, vel *viris:* V. ed. Δ. *juris;* eisdem cum vestigiis literarum.—*gubernent:* Δ. Π. *gubernant.*

Ver. 1240. *æs atque:* Vind. *atque;* V. ed. L. M. O. Δ. Π. *æque;* Σ. Ω. *eque.*

Ver. 1241. Vir egregius et eleganter eruditus, Jortinus nostras, locum sic commodius interpungi posse existimavit:

Et simul argenti pondus, plumbique, potestas
Ignis ubi——:

nos mittens ad Virg. geo. i. 92. Æn. xii. 396.—Egomet huic crisi subscribere non possum; tam quod numeri carminis hinc fiant magis inconcinni, quam quod *plumbi potestas* optime conveniat τῷ *argenti pondus*, et sit phrasis lepidissima, atque poëtice figurata, pro *plumbum potens;* cui scilicet ob *pondus*, et *momentum*, multa vis inest atque efficacia. Lucanus appositus est, ad iii. 711.

—— *solido* fregit cava tempora *plumbo.*

Dixisset nimirum poëta Græcus:

—————— μολίβου κρατερῆς:

ut Ovidius, met. xi. 142. *vis aurea.* Conferas etiam nostrum supra, ver. 878. et mox, verr. 1270. 1285. in hoc libro.

Ver. 1242. *ingenteis sylvas:* ut *ingens sylva*, Æn. vii. 676. Et dignus est, qui adscribatur, super hoc argumento Marii Victoris locus, in gen. ii. 98. de Evâ et Adamo, serpentem persequentibus:

Dixit; et elapsum cursu petrisque secuta est
Missilibus: quin et duras per robora cautes,
Quo se reptando condebat callidus anguis,
Ambo projiciunt; quarum rigido una lacerto
In nudum casu silicem dimissa resultat,
Scintillamque ciet, sicco quæ e fomite nata
Exsilit in flammam; et, crinita incendia late
Extendens, *totam* jam *sylvam* ardebat adepta——.

Ignis ubi ingenteis sylvas ardore cremarat
Montibus in magnis; seu cœli fulmine misso:
Sive quod, inter se bellum sylvestre gerentes,
1245 Hostibus intulerant ignem, formidinis ergo;
Sive quod, inductei terræ bonitate, volebant
Pandere agros pingueis, et pascua reddere rura;
Sive feras interficere, et ditescere prædâ:
Nam foveâ, atque igni, prius est venarier ortum,
1250 Quam sæpire plagis saltum, canibusque ciere.
Quidquid id est, quâquomque ex caussâ flammeus ardor

——— radices immersus tendit in imas
Ignis edax penitus; sumpto quo victa calore
Terra suas pandit generosa ad munera venas—.
Mox fieri liquor incepit, rivisque metalla
Fundere quæque suis: fulvo hinc torrente coruscat
Auri summus honos: candenti lacte renidens,
Effluit argentum; rigor æris lubricus errat,
Et *coit* in mollem resoluto corpore massam.

Ita versus castigandi sunt; vulgo, *Exiit, tota sylva*, et *cogit*. Lambinus autem opportune citat Aristotelem, περι θαυμ. ακουσμ. p. 102. ed. Sylburgii: Εν τῃ Ἰθηρια λεγουσι, των δρυμων εμπρησθεντων ὑπο τινων ποιμενων, και της γης διαθερμανθεισης ὑπο της ὑλης, φανερως αργυρῳ ῥευσαι την χωραν—. Creechius insuper bene provocat ad Strabon. lib. iii. p. 147. Athen. deipn. vi. 4. p. 233. et Havercampus ad Servium, Lucretii memorem, in Æn. xii. 87. qui videndi sunt, ne nos plus æquo prolixi simus.

Ver. 1245. *intulerant ignem.* Sic Virgilius, Æn. ix. 522.

——— fumiferos *infert* Mezentius *ignis*.

Ver. 1246. *volebant:* Vind. *valebant.*— Mox, V. ed. *redde:* i. e. *reddē*, vel *reddere.*

Ver. 1247. *pascua rura.* Plautus, Truc. i. 1. 47.

Non arvus hic, sed *pascuus*, est *ager*.

Isidorus, origg. xv. 13. "Aut enim *arvus* est *ager*, id est, sationalis:—aut "*pascuus*, qui herbis tantum et animali-"bus vacat."

Ver. 1249. *prius:* V. ed. *privis:* et Ω. *verarier;* de quâ commutatione literarum *n* et *r*, monuit Drakenborchius, ad Liv. viii. 21. 5.

Ver. 1250. *sæpire saltum canibus.* Haud injucunda fuerit Virgilii comparatio, ad ecl. x. 57.

——— non me ulla vetabunt
Frigora Parthenios *canibus circumdare saltus*.

Ver. 1251. *ex:* ita Π. et reposui, quum præpositionem plenam Lucretius deamet ac frequentet: cæteri, *e*.

Ver. 1252. *Horribili sonitu:* Vind. V. ed. O. Δ. Π. Σ. Ω. *Horribilis sonitus;* τῳ sigma proximarum vocum adhærente. —*altis:* P. *altas.*

Ver. 1253. *Ab:* sic Florent. Ald. et Σ. probe, ni fallor; licet exemplaria reliqua in *A* consentiant: vide i. 353. Sic Virgilius, *ab radice*, geo. i. 20. ii. 17. Idem, Æn. xii. 787.

Adcessit, telumque *altâ ab radice* revellit.

Ver. 1254. *venis:* Vind. *venit;* Π. *venæ.*

Ibid. *Manabat venis.* Ovidius, ex Pont. ii. 5. 21.

Ingenioque meo, *venâ* quod paupere *manat*——.

Et voces Lucretianas hausit Maro, geo. ii. 165.

Horribili sonitu sylvas exederat altis
Ab radicibus, et terram percoxerat igni;
Manabat venis ferventibus, in loca terræ
1255 Concava conveniens, argenti rivus, et auri;
Æris item, et plumbi: quæ, quom concreta videbant
Posterius claro in terras splendere colore,
Tollebant, nitido captei lævique lepore;
Et simili formata videbant esse figurâ,
1260 Atque lacunarum fuerant vestigia quoique:
Tum penetrabat eos, posse hæc, liquefacta vapore,

Hæc eadem *argenti rivos*, *æris*que metalla,
Ostendit *venis;* atque *auro* plurima *fluxit.*

Ver. 1256. *concreta;* in *glaciem* scilicet, vi frigoris: confer sis nostrum, ad i. 494.

Ver. 1257. *in terras:* i. e. super terras; hodiernorum autem editorum inverecundæ manus rescripserunt *in terris*, contra omnia exemplaria vetusta, tam manu exarata, quam impressa typis. Revertaris annotata in i. 889.

Ver. 1258. *captei:* L. M. O. Δ. Π. *capiti.—lævi:* Π. *leni.*

Ibid. *lepore:* i. e. jucundâ venustate; ἡδυτητι.

Ver. 1259. *videbant:* Vind. Σ. Ω. *videbat;* V. ed. *videbunt.*

Ver. 1261. *vapore:* Pius monet nonnullos sic ætate suâ legisse; quâ scripturâ nihil verius, aut usui Lucretiano convenientius. Ejus corruptela est satis obvia τὸ Pii *favore*, ex *pavore* derivatum: vide nos ad iii. 306. et var. lectt. ad Sil. It. iii. 690. ne locos alios allegem: et τὸ *calore* reliquorum exemplorum haud dubie est ex glossâ minus pervagatæ vocis. Videri tamen possit Virgilius obstare, ad geo. iv. 36.

——— eademque *calor liquefacta* remittit.

Ibid. *penetrabat:* εἰςῄει, εἰςηρχετο. Turnebus; bene. Tacitus, ann. iii. 4. "Nihil tamen Tiberium magis *penetravit*, "quam studia hominum accensa in A-"grippinam:" i. e. nulla alia cogitatio se menti penitius infixit, atque in præcordia descendit.

Ver. 1264. *procudendo:* Π. *producendo.* Similiter adhibuit vocem Virgilius, geo. i. 261.

——— durum *procudit* arator
Vomeris obtusi dentem———.

Ver. 1265. *et cædere:* P. O. Δ. Π. *excidere;* uti in editis vulgari solet, optimis libris contra stantibus. Sane non dubitem hanc diversitatem correctoribus inscitis imputare, structuram non callentibus, neque pulchram proportionem clausularum dispicientibus. Aliter cogitavissem de vetustioris scripturæ depravatione, per usitatissimam formarum *c* ac *t* commutationem; ita ut *et cædere* effluxerit ab *eccædere*, vel *ecscædere.* Virgilius, geo. i. 173.

Cæditur et *tilia* ante jugo levis———.

Ver. 1266. Non ausus sum emendatissimis exemplaribus me opponere, quorum scripturas quam proxime repræsentatas habes. Intelligas igitur necesse est τὸ *levare* sensum habere "frondium exspo-"liandarum, atque ramorum superfluo-"rum." Ita Mantuanus, geo. ii. 400.

——————— omne *levandum*
Fronde nemus———.

Neque his alienus est, ut videtur, Marius Victor, in gen. ii. 77.

Quam lubet in formam et faciem decurrere rerum;
Et prorsum quam vis in acuta ac tenuia posse
Mucronum duci fastigia procudendo,
1265 Ut sibi tela parent; sylvasque et cædere possint,
Materiemque dolare, levare ac radere tigna,
Et terebrare etiam, ac pertundere, perque forare.
Nec minus argento facere hæc auroque parabant,
Quam validi primum violentis viribus æris:
1270 Nequidquam; quoniam cedebat victa potestas,
Nec poterant pariter durum subferre laborem.

Jussisti motâ victum me quærere glebâ,
Et steriles spinas sparsâ pro fruge *levandas*.

i. e. tollendas, demetendas. In vulgaribus editionibus ita scribi solet versus:

Materiem lævare, dolare, ac radere tigna.

Sententiam certiorem quibus ferre, cum tibi recensitam dedero lectionis dissimilitudinem.—*Materiem:* Π. *Materiam.*—*dolare:* Vind. *dolarent;* quod corruptum est ex *dolar̃ et*, cod. Ω. scripturâ: V. ed. *delere;* Π. Σ. *dolaret.*—*levare ac:* P. *ac lævia;* sed ejus prisci codd. receptis lectionibus conspirant.—*ac:* B. L. M. O. Δ. Ω. *et.*—*tigna:* V. ed. *signa.* Malim equidem *ligna;* sed videas vi. 102. Virgilius, geo. i. 144.

Nam primi cuneis scindebant fissile *lignum*.

Sic denique commodissime scribi posse versum mea fert sententia, qualiter video ferme Lambino placuisse:

Materiemque dolare, ac *lævia reddere ligna*.

Nec tamen satis caussæ apparet, ob quam purissima exemplaria proculcemus.

Ver. 1267. *pertundere:* V. ed. *percudere;* i. e. *pertŭdere*, si *t* cum c tantummodo mutes.

Ver. 1269. *validi æris:* χαλκος ατειρης, Hom. ad Il. E. 292. i. e. στιρεος, *validus*, ex interprete Hesychio.

Ver. 1270. *potestas:* i. e. robur, vis, ac firmitas, auri argentique: compares verr. 1241. 1285. ibique annotata.

Ver. 1271. *poterant:* sic universi libri, præter B. Δ. Π. qui habent *poterat*, ad gustum insulsissimum editorum. Tacita constructio ea est, qualem sæpe offendimus in Lucretii carmine, suavissimas sermonis varietates indefesso studio aucupantis: "*Nec* potestas auri atque po-"testas argenti poterant:" hæ *duæ* scilicet potestates.—Et Virgilius, geo. ii. 412. ut noster, *durus labor.*

Ver. 1272. *æs* exsulat Vind. V. ed. Σ. —*jacebat:* Ω. *jacebant.* Et *nam* in hoc loco potestatem habet exquisitiorem, transitioni orationis solummodo inservientem: vide sis dicta ad iii. 7. et Priscianum, lib. xviii. p. 1170.

Ibid. *aurum jacebat.* M. Tullius, Tusc. dispp. i. 2. "Honos alit artes, omnesque "incenduntur ad studia gloriâ; *jacentque* "*ea semper, quæ apud quosque impro-*"*bantur.*"

Ver. 1273. *retusum:* V. ed. *recusum;* Ω. *recussum.* Eadem est varietas ad Horat. od. 35. 39.

Ver. 1275. *volvunda:* P. Vind. V. ed. *volvendo;* male, quod satis ex Virgilio patuisset, qui formulam sublegit: redi ver. 515. i. e. *ætas* mobilis, vel *volubilis.*

Ibid. *tempora rerum:* i. e. conditiones, ac *tempestivitates* quasi, rerum. Virgilius, Æn. vii. 37.

—— qui reges, Erato! quæ *tempora rerum:*

i. e. peculiarem statum. Vide Servium.

Nam fuit in pretio magis æs, aurumque jacebat
Propter inutilitatem, hebeti mucrone retusum;
Nunc jacet æs, aurum in summum subcessit honorem.
1275 Sic volvunda ætas commutat tempora rerum:
Quod fuit in pretio, fit nullo denique honore;
Porro aliud subcedit, et e contemptibus exit,
Inque dies magis adpetitur, floretque repertum
Laudibus, et miro mortaleis inter honore est.
1280 Nunc tibi, quo pacto ferri natura reperta
Sit, facile est ipsi per te cognoscere, Memmi!

Ver. 1277. *e:* Ω. *jam;* omittunt V. ed. L. M. Π. Σ. unde arbitrer conjecturale esse supplementum doctorum, sed necessarium tamen, ex ver. 831. supra transvectum.

Ver. 1278. Rescribendum esse opinor:

Inque dies magis adpetitur, floretque *refertum*
Laudibus:

non enim de *novis inventis* poëta loquitur, sed de honoribus notarum rerum commutatis, et ex desuetudine in æstimationem vicissim venientium. Sic Valerius Maximus, iv. 3. 6. dixit, " domus *gloriâ refer-* " *ta;*" et Cicero, de orat. i. 26. " orator " *laude cumulatus:*" atque alii similiter. Hoc autem linquimus eruditis dijudicandum.

Ver. 1279. *Laudibus:* V. ed. *Claudibus;* et pro var. lect. *Clauditur:* Ω. *Cladibus.*—*est* post *miro* deest Π. et omisissem, si codex alius favisset, ut *honore* ad *floret* referretur; me judice, multo elegantius.—*honore:* Vind. Π. *honores:* i. e. nisi fallor, *honorest*, vel *honore est.* Et sic posui.

Ibid. *miro honore.* Virgilius, Æn. iv. 458.

——— *miro* quod *honore* colebat.

Ver. 1281. Sic mallem dedisset noster:

——— quo pacto ferri natura reperta,
Sic facile est——:

ex subjectis utique rationibus; quum passim *c* et *t*, sæpiuscule insuper *sic* et *sit*, confundi soleant: neque aliter profecto scriptum offendi postea in O. Sed nihil ausus sum novare; nam recepta videri possint simpliciora, atque adeo Lucretium penitius resipere.—*ipsi:* P. *ipsum;* ex arbitrariâ haud dubie correctione, quoniam reliqua omnia exemplaria, etiam Junt. et Ald. adversentur. Miror hanc temeritatem in his inficetiis importandis complacere potuisse editoribus.

Ver. 1282. *Arma manus ungues ramei.* Quemadmodum fere Venusinus, sat. i. 3. 99.

Cum prorepserunt primis animalia terris,
Mutum et turpe pecus, glandem atque cubilia propter
Unguibus, et *pugnis*, dein *fustibus*, atque ita porro
Pugnabant *armis*, quæ post fabricaverat usus.

Ver. 1283. *sylvarum:* O. Π. *lignorum;* male.

Ver. 1284. *Et flamma atque:* sic optime P. Vind. M. Ω. vulgo, *Et flammæ atque:* V. ed. *Efflammant;* O. *Et flammam;* Δ. *Et flammati;* Π. *Et flamina atque;* quorum ultimum nostris consentit, τῷ *m* in *in* converso.

Ibid. Hoc dicit noster, uti Bentleius quoque viderat: " Ignibus jam cognitis, " æs et ferrum sunt reperta;" vide ver. 1240—1244. non autem dicit, homines flammis et ignibus pugnavisse; quod perperam intellexerunt interpretes. Cæte-

Arma antiqua, manus ungues dentesque fuerunt;
Et lapides, et item, sylvarum fragmina, ramei;
Et, flamma atque ignes post quam sunt cognita primum,
1285 Posterius ferri vis est, ærisque, reperta.
Et prior æris erat, quam ferri, cognitus usus;
Quo facilis magis est natura, et copia major.

rum, vir sagacissimus scribendum proponit, " *At* flammæ;" quod minime necessarium existimo: imo censet versum esse delendum; cui sane crisi multo minus egomet assenserim. Laudat etiam versus Horatii, a me modo citatos.

Ibid. *Et flamma atque ignis.* Non dubitabam, quin Mantuanus alicubi pulchram Lucretiani sermonis ubertatem expresserat, et conjecturâ mihi videbar vere restituisse versum in Æn. ii. 600. nec tamen quempiam exspectavissem adstipulaturum mihi, nisi divinationi meæ codex unus luculentissime suffragaretur:

——— quos omnis undique *Graiæ*
Circum errant *acies;* et, ni mea cura resistat,
Jam *flammæ* tulerint, inimicus et hauserit *ensis.*

Videsne illud *ensis* supervacaneum accedere, frigidumque, propter præcedentia *Graiæ acies?* Ocyus igitur, hortante Lucretio, reponas:

Jam *flammæ* tulerint, inimicus et hauserit *ignis.*

Conferas ibid. viii. 375. geo. iv. 330. Quid, quod sit luce meridianâ clarius, Servium aut hanc varietatem respexisse, aut etiam non aliter legisse? En! ejus commentarium: " *Hauserit:* aut per- " cusserit, ut x. 314. aut *voraverit.*" De *luce* quidem, et *igne*, res *ferientibus*, nos centies in his notis egimus: et anne *ensis* VORET hominem, aut rursus EDAX *ignis?* Porro, receptæ lectioni nihil favet locus in Æn. x. 314. nec quos plures Drakenborchius congessit ad Sil. It. v. 524. nam, quantumvis gladius hauriat *latus*, vel *pectus*, hominis, quod inde sanguinem *trahat*, et evacuet; *corpusne integrum* gladius absorpserit, insumpseritque? Tacitus, ann. xv. 38.—" per tabernas, quibus " id mercimonium inerat, quo *flamma* " alitur, simul cœptus *ignis*—." Mox, ibid. 39.—" Nero—non ante in urbem " regressus est, quam domui ejus—*ignis* " propinquaret: neque tamen sisti potuit, " quin et palatium, et domus, et cuncta " circum *haurirentur.*" Q. Curtius, iv. 3. 4.—" etiam summa tabulata concepe- " rant *ignem;* quum ii, qui in turribus " erant, partim *haurirentur incendio*, par- " tim, armis omissis, in mare semet ipsi " immitterent." Alii pariter non raro: vide nos infra, vi. 660.

Ver. 1285. *ferri vis;* βια σιδηρου: ut modo superius, *potestas plumbi*, ad ver. 1241. Aliter Virgilius, geo. i. 143. *ferri rigor;* et Æn. vii. 609. *ferri robora;* quæ sunt nihilominus formulæ consimiles, et Græco more fabricatæ.—Mox, V. ed. *quia*, pro *quam.*

Ver. 1286. Sic Ovidius, fast. iv. 405. laudante Lambino:

Æs erat in pretio: chalybeïa massa latebat.

Ver. 1287. *facilis;* ad sensum maxime proprium ac primarium, quocum quid *facere* valeas: πρακτικη, ευεργης, tractabilis.

Ver. 1288. Imitatus est noster Hesiodum, ad opp. et dd. 150.

Τοις δ' ην χαλκεια μεν τευχεα, χαλκεοι δε τε οικοι·
Χαλκῳ δ' εργαζοντο· μελας δ' ουκ εσκε σιδηρος—.
Lambinus.

Ibid. *solum terræ:* ut Cæsar, bell. Gall. i. 11. *agri solum;* et Ennius, apud Festum: vide sis nos, ad i. 213.

Ibid. *tractabant:* i. e. moliebantur: redeas ver. 932. et ibi dicta.

Ære solum terræ tractabant, æreque belli
Miscebant fluctus, et volnera vasta serebant,
1290 Et pecus atque agros adimebant; nam facile ollis
Omnia cedebant armatis nuda, et inerma.
Inde minutatim processit ferreus ensis,
Vorsaque in obscenum species est falcis ahenæ,

Ver. 1289. *vasta:* V. ed. Π. Σ. *fasta;* O. *fessa;* Δ. *festa.* An *feda?* Sic saltem Ovidius, met. xii. 366.

——— *fedo* disjectum *vulnere*———.

Ibid. *fluctus et volnera.* Lego:

Miscebant *luctus*, et *funera* vasta serebant.

Quemadmodum Virgilius, Æn. x. 755.

Jam gravis æquabat *luctus* et mutua Mavors
Funera———.

Et rursus ibidem, xii. 805.

——— *luctu miscere* hymenæos.

Noster Lucretius, vi. 1223.

Incomitata rapi certabant *funera vasta.*

Sed vide mox, ver. 1434. Accius:

Propter te tot tantasque habemus *vastitates funerum.*

BENTLEIUS.

Idem tamen, pro vulgatis agens, apposite provocavit ad Euripidis Ion. 60. ubi me videas:

Ην ταις Αθηναις———πολεμιος κλυδων.

Idem alibi tragicus habet κλυδων ερινος, atque δορος κλυδων: et multi sunt in hac nobili translatione poëtæ sermonis utriusque grandiores, Æschylus potissimum: adeo ut Lucretius minime sit solicitandus. Sane vocabula *vulnus* et *funus* librarii sæpenumero permiscuerunt; adi nos in iii. 893. sed nihil hic demutatum velim: nam *volnera vasta* sunt βαθεα τραυματα, de quibus egimus ad Silv. Crit. iv. p. 60. *patentia, ingentia,* atque *immania, vulnera* Maronis. Etiam intelligere possis ingentia *numero* non minus, quam *specie;* quum solitudinem quasi, et *vastitatem,* faciant hominibus. Quadrigarius apud Gellium, v. 17. "Cladem illam *vastissimam* pugnæ Cannensis:" i. e. maxime desolantem; adeas nostrum in vi. 1138. 1223.

Ibid. *volnera serebant:* i. e. "promiscuo atque tumultuario impetu inferebant;" ad quam notionem *spargere tela, sagittas,* et similia, poëtæ passim dicunt. Lucanus, viii. 352.

——————— quid *vulnera* nostra
In Scythicos *spargis* populos?

Sic alii: nec Maro non appositus est huic loco, Æn. xii. 720.

Illi inter sese multâ vi *vulnera miscent.*

Eleganter Valerius, Argon. vi. 193.

——————— Dypsanta Caresus,
Strymonaque, obscurâ *spargentem vulnera* fundâ,
Dejicit———.

Silius Italicus sic certissime castigandus est, ad v. 236. ubi perlegas velim animadversores doctos, nisi lectionem alteram, *ferebat,* fortasse malis:

Immitemque Bagam, qui jam vicina *serebat*
Vulnera pugnantum tergo, velocior hastâ
Occupat———.

Libri, *pugnantis:* confer Virg. Æn. iii. 242. vii. 94. ne phrasim *pugnantum tergo* cavilleris. Idem Silius alteram quoque Cari locutionem asserit, ad Pun. vi. 275.

Jam patulis *vasto* sub *vulnere* faucibus aër
Tabificam exspirat saniem———.

Ver. 1291. *cedebant:* V. ed. *credebant;*

Et ferro cœpere solum proscindere terræ;
1295 Exæquataque sunt creperi certamina belli.
Et prius est armatum in equi conscendere costas,
Et moderarier hunc frenis, dextrâque vigere,

Π. *celabant.*—*armatis:* Π. *celatis.*—*nuda:* Ω. *unda.*

Ver. 1292. *ferreus:* Π. *ferus.*—Et cogitaveram de *procusust*, vel *procusus est*, vice *processit;* sed hoc vocabulum sonat simplicius, signatius, atque ποιητικωτερον: quasi nempe, postquam sæpiuscule conatus esset progredi, et se partim ostendisset, tandem plenus et integer in ora hominum prodierit. Divinationi tamen meæ favet Macrobius, Sat. vi. 1. fin. quum hos versus Virgilianos apposuerit, quasi quos ad Lucretianum adumbraverit, Æn. vii. 636. geo. i. 508.

——— *recoquunt* patrios *fornacibus* ensis——:
Et curvæ *rigidum falces* CONFLANTUR in *ensem.*

Ver. 1193. *obscenum:* sic conspicitur in Macrobii l. c. omnia autem exempla Lucretiana, *obprobrium;* sed, quum illa vox minus videatur resipere glossatorem, accipiendam esse arbitratus sum. Poëta dicit, " falcem ahenam, ut instrumen-" tum militare, in desuetudinem abiisse, " ad usus magicos conversam." Interpretes nihil viderunt. Hinc pendet Horatius, epod. v. 98.

Vos turba vicatim, hinc et hinc saxis petens,
Contundet *obscenas anus:*

i. e. *veneficas;* ut Ascensius pulchre intellexit.

Ibid. *obscenum*, apud Macrobium, vi. 1. et profecto ita scripsit Lucretius. Falx ænea in *obscenum* versa, quod ejusmodi falcibus veneficæ noxias herbas secabant. Virgilius, Æn. iv. 513.

Falcibus et messæ ad lunam quæruntur *ahenis*
Pubentes herbæ, nigri cum lacte veneni.

Ovidius etiam, met. vii. 227.

——— et placitâ partim radice revellit,
Partim succidit curvamine *falcis ahenæ.*

Ita Sophocles, et alii.—BENTLEIUS. Locos Sophoclis quos innuit vir eximius, sunt fabulæ Ῥιζοτομοι inscriptæ fragmenta, Macrobio conservata, in Sat. v. 19. qui videndus est.

Ver. 1294. *ferro solum proscindere terræ:* redi ver. 210. Accius, apud Nonium, iv. 427.

Facite, ante Auroram radiorum *ardentum* indicem,
Insomnus in segetem agrestis *cornutos ciat;*
Ut *rorulentos terraï ferro sinus*
Proscindant, glebasque arvo *de* molli excitent.

Ita versus hice longe inquinatissimi videntur diffingendi. Vulgo, *Ferte*, *ardentem*, *Cum somno*, *cornuto scient*, *rorulentas terras*, *fidas*, *cx.* Lucilius, ibid. sect. 439.

Tune jugo jungas me *autem*, et subcedere aratro,
Invitum, et *glebas* subigas *proscindere ferro?*

Sic scribendum, pro *ante.* Lambinus etiam vidit. Nec minus apte de navi Catullus, lxii. 12.

——— rostro ventosum *proscidit* æquor:

unde Virgilius, qui plures flosculos istius carminis in proprias areolas transportavit, geo. i. 97.

——— *proscisso* quæ suscitat *æquore* terga—.

Ver. 1295. *sunt:* omittit V. ed.—*creperi:* Δ. *dubii;* ex glossâ, nam in voce Festus *creperum* per *dubium* interpretatus est; et Nonius, i. 45. " *Crepera* res pro-" prie dicitur *dubia;* unde *crepusculum* " dicitur *lux dubia;* et *senes decrepiti* die-" ti in *dubio* vitæ constituti. *Creperum* " *bellum*, anceps et dubium." Deinde Lucretii versiculum laudat, et exempla vocis ex Accio, Pacuvio, Lucilio, et Varrone, congerit. Apuleius, de deo Soc. p. 693.—" rebus *creperis* et afflictis—." Hinc correxeram Avienum, Arat. 325.

——— *creperâ* ut late vomeret convicia voce:

Quam bijugo curru belli tentare pericla.
Et bijugom prius est, quam bis conjungere binos,
1300 Et quam falciferos armatum adscendere currus.
Inde boves Lucas, turrito corpore, tetros,

quod sero intellexi Grotio pariter innotuisse. Idem Avienus, ibid. 990.

——— *creperi* succendens stagna profundi:

i. e. *dubii;* periculosi. Ausonius, epist. iii. 9.

——— *crepero* sub lucis Eoæ——.

Addam Marcianum Capellam, lib. ii. poëm. 2.

Cum *creperum* lux alma micat——.

Ibid. *creperi belli;* ut Virgilius, geo. ii. 283. *dubius Mars:* ubi consulas Burmannum.

Ver. 1296. *est* exsulat Ω.—*armatum:* Lambinus, ex codd. scriptis, ut dicit, *reppertum;* quem errorem Vindob. editoris supinitas propagavit.—*costas:* V. ed. *costris.*—Π. etiam, *descendere.* Constructio sic procedit: "*το* armatum conscendere "est prius, quam—."

Ibid. *in equi conscendere costas.* Committas Virg. geo. i. 273. Idem, Æn. xii. 735.

——— cum prima in prælia junctos
Conscendebat equos——.

Ver. 1297. *vigere:* vetera Pii exemplaria, *viere;* quæ dictio nihil ad hujusce loci scopum facit. Vide Nonium, ii. 925.

Ibid. *moderarier:* nempe, lævâ manu; dum dextra, vegeta et expedita, pugnaret efficaciter: nam in curru bijugo *manibus ambabus* bellator, aurigante altero, vigebat. Faber illud memoratum *viere* maluit, cui sic responsum Bentleius dederit: "Hoc perperam judicas, mi homo! "*Viere* est vincire, plectere sertum, vi-"men. Ennius: Ibant malacam *viere* ve-"neream corollam. Varro: Ut habeas "vimina, unde *viendo* quid facias."

Ver. 1298. *curru belli tentare pericla.* Phrasim speciosam excepit Mantuanus, Æn. xi. 505.

Me sine prima *manu tentare pericula belli.*

Ver. 1299. *bijugom:* i. e. "conjunge-"re currum bijugum prius est, quam "conjungere currus quadrijugos:" vide Virg. geo. iii. 18. Mihi autem videor sic feliciter elegante nec dubitandâ conjecturâ hunc versum restituisse. Nimirum, libri veteres impressi, et exarati manu, dant *bijugo;* i. e. nisi fallar, *bijugō:* quæ formula venerandæ vetustatis facile caderet in scribarum importunitatem. Sane, quum illud *bijugo* bonæ loci structuræ refragaretur, Faber conjectavit, *bijugos;* me judice, minus probabiliter, quamvis collaudent Creechius Bentleiusque. Unde enim tam facilis lectio libris universis sit elapsa? Postmodo, in cod. Π. inveni *bijugem:* glossatore quopiam scilicet cum recentiore orthographiâ, uti passim factum est, vetustissimam mutante.

Ver. 1300. *armatum.* Exemplaria crepat Pius, sed an MSS. non dicit, quæ exhibent *inventum:* quod perperam placuit editoribus, contra librorum omnium auctoritatem.—*adscendere:* J. F. Gronovius, ad Liv. ii. 28. 6. *escendere*, quasi de codice Vossiano: sed cum esse opinionis falsum Havercampi silentio coarguitur.

Ver. 1301. *Lucas turrito:* P. *Lucas aurito;* sed ejus exemplaria prisca vocem receptam exhibebant: V. ed. *castarrito;* et similiter depravati sunt libri Vind. Δ. Π.

Ibid. *boves Lucas.* Scilicet *elephantes* hoc nomine donati sunt Romanis, qui majus animal *bove* non ante viderant, quia in Lucaniâ belua hæc primum sit iis conspecta. Pari prorsus ratione Achilles Tatius, iv. 3. Αλλ' εστιν, ὡς ειπειν, ελεφας Αιγυπτιος: *hippopotamus* nempe. De *Lucis*

Anguimanos, belli docuerunt volnera Pœnei
Subferre, et magnas Martis turbare catervas.
Sic alid ex alio peperit discordia tristis,
1305 Horribile humanis quod gentibus esset in armis;
Inque dies belli terroribus addidit augmen.
Tentarunt etiam tauros in munere belli,
Experteique sues sævos sunt mittere in hosteis;

autem *bovibus* omnia protrita sunt ac vulgata: vide Hessel. ad Enn. fragm. p. 305. Senec. Hippol. 352. Isidor. origg. xii. 2. Plin. nat. hist. viii. 6. interpretes ad Veget. de re milit. iii. 24. Solin. cap. xxv. fin. Nec Lucilius mihi videtur de *elephantis* non recte capiendus, apud Nonium, iv. 349.

Quem neque *Lucanis* oriundi *montibus tauri*
Ducere protelo *validis cervicibus* possent.

Ex simili caussâ, *magnitudine boum* scilicet, tot compositæ voces Græcorum emanavere; ut βοωπις, βυπαις, et similia. Ad has autem observationes pertinent ea, quæ protulit Eustathius de vocabulorum inventione, in comment. Homer. ad Il. A. p. 29, 45. et seqq. ed. Basil. quem adeas.

Ibid. *turrito corpore.* Silius, Pun. iv. 601.

Vis *elephantorum*, *turrito* concita *dorso.*

Ibid. *tetros:* interpres, *horrendos;* perperam: imo, "cutis colore *nigricantes.*" Arnobius, lib. ii. p. 52.—"flumina torrentia flammarum globis, et cœnosis voraginibus *tetra:*" æmulatus Virgilium, ad Æn. ix. 103. quem consulas; et nostrum, iv. 173. Ita Silius, iv. 620. et alibi sæpenumero: Horat. epod. xii. 1. "*nigris* barris;" Sidon. Apoll. ii. 375. et xxii. 58. "*nigrantes* elephanti;" ut Claud. de cons. Stil. iii. 351. Martial. i. 105. 10. vi. 77. 8. Lucian. Zeuxis, sect. 10. Prudent. apoth. 1084. Alcim. Avit. i. 199. 200. Anthol. Lat. Burm. i. 107. 2. v. 104. 2. et ibidem notas.

Ver. 1302. *Anguimanos:* P. Vind. V. ed. O. Π. Σ. Ω. *Anguimanus:* forte volebant *Anguimanes;* redeas ad ii. 537. Δ. *Ignivomis;* et pro var. lect. *Ignaros.* Lactantius, de opif. Dei, cap. v. "Jam enim manus, amissâ dignitate, quam nunc habet, mobilitate nimiâ proboscidi similis videretur, essetque homo plane *anguimanus:* quod genus in illâ immanissimâ beluâ mirabiliter effectum est."

Ver. 1303. *magnas catervas.* Maro, Æn. i. 497. *magnâ catervâ.*

Ver. 1304. *alid:* Vind. V. ed. Δ. Π. Σ. *alii;* in quorum ultimo tamen postrema litera erasa est: O. *aliud.*

Ver. 1306. *belli:* Vind. V. ed. L. M. *bellis.*—*augmen:* Π. *angucm.*

Ver. 1307. *munere:* sic P. Vind. V. ed. O. Δ. Π. Σ. Ω. vulgo, *mœnere;* sed, ut reor, contra libros. Mallem, *munera;* quod et aliis placuisse video: redi ad i. 33. *Munera* autem sunt exquisitius posita, pro officia, vel negotia; quo sensu nec Virgilius nolebat uti, ad geo. iv. 40.

—— conlectumque hæc ipsa ad *munera* gluten:

nimirum, "ad *officia* coangustandarum cavernarum." Servius.

Ver. 1308. *sunt:* Π. *in;* nec displiceret præpositio, conjuncta verbo scilicet. Sic etenim Maro, Æn. xii. 521.

—— *inmissi* diversis partibus ignes
Arentem *in* sylvam——.

Ibid. *sucs sævos.* Idem vates, ad geo. iii. 248. *sævus aper.*

Ver. 1309. *Parthi:* sic L. M. Δ. Ω. cum castis Pii exemplaribus; reliqui libri. *partim;* etiam bene: i. e. *nonnulli;* vide supra, verr. 838. 950. 1082. 1142. Constanter tamen in nominibus propriis librarii peccant. *Parthos* autem potissi-

Et validos Parthei præ se misere leones,
1310 Cum doctoribus armatis, sævisque magistris,
Quei moderarier hiis possent, vinclisque tenere:
Nequidquam; quoniam, permixtâ cæde calentes,
Turbabant sævei nullo discrimine turmas,
Terrificas capitum quatientes undique cristas:
1315 Nec poterant equites, fremitu perterrita, equorum

mum ideo dicit, quod populi orientis essent militari gloriâ longe præclarissimi, Romanisque maxime formidabiles: unde porro locus hic et ver. 1302. concinnius invicem respondent: adi nos in iii. 845.

Ver. 1310. *doctoribus:* qui *docuerunt* eos utique tumultus bellicos sufferre; ut in ver. 1302. et ubertatem Lucretiani sermonis nativam resipiunt phrases consociatæ *doctoribus armatis* atque *sævis magistris.* Hæc autem scriptura est exemplarium Vind. M. O. Ω. cætera, *ductoribus:* at locutionem doctiorem vulgata facile loco emoveret.

Ibid. *sævis:* i. e. durum atque absolutum in beluas imperium exercentibus. Horatius, epist. i. 18. 13.

Ut puerum *sævo* credas dictata *magistro*
Reddere——.

Ver. 1311. *hiis:* ita exquisitius P. Vind. V. ed. L. O. Π. Ω. vulgo, *hos;* Δ. *iis:* vide Plaut. mil. glor. iv. 5. 16. Ovid. met. ix. 652. Tritum est.

Ibid. *vinclisque tenere.* Virgilius, geo. iv. 405.

——— manibus, *vinclisque, tenebis*——.

Ver. 1313. *nullo discrimine.* Maro, Æn. x. 108.

Tros, Rutulusve, fuat, *nullo discrimine* habebo.

Ibid. *turmas:* i. e. "agmina *equestria;*" vide Varron. de ling. Lat. iv. 16. "*Legiones peditum* sunt, *turmæ* vero "*equitum:*" Servius, ad Æn. ix. 362. quem videas insuper ibid. x. 428. xi. 500. cum annotatis superius, ad iii. 1045. Vetus onomasticon: "*Turma, ἱππικὴ ταξις.*" Horatius, od. ii. 16. 22. similiter:

Scandit æratas vitiosa naves
Cura, nec *turmas equitum* relinquit——.

Hinc difficilem Lucani locum emendatione certissimâ emaculabimus, Phars. ix. 400.

——— sitiat, quicumque bibentem
Viderit; aut umbras nemorum quicumque petentem,
Æstuet; aut *equitum peditem* præcedere turmas,
Deficiat: si quo fuerit discrimine notum,
Dux, an miles, eam——.

His nihil dilucidius; adeo ut demirer Burmannum, in simpulo tot fluctus excitantem. Sensus est: "Ille *sitiat,*" (i. e. ei concedatur sitim sentire, adeoque de eâ queri, ac velle bibere) "qui me vide-"rit bibentem: ille se refrigeret, qui me "viderit umbras petentem: ille *deficiat,* "sive defatigationem crepet, qui viderit "me peditem vel equitibus post tergum "linqui: ille denique deficiat, qui distin-"guere valuerit, dux, an miles, sim." Vulgo, *equitem peditum.* Conferas ibidem, verr. 587. 588.

Ver. 1314. *capitum quatientes cristas:* i. e. villosas jubas, hirsutasque; eleganter et magnifice. Locutiones immutavit, nec cum nullo successu tamen, Mantuanus, Æn. xii. 6.

Tum demum movet arma *leo,* gaudetque *comantis*
Excutiens cervice toros——.

Adde Nonnum lepidissimum, in Dionys. xv. 203.

Αυχενι λαχνηεντι λεων——:

Ver. 1315. *perterrita:* Vind. V. ed. M. *perterrit;* Δ. *perterriti;* Σ. *perterriet.*

Pectora mulcere, et frenis convortere in hosteis.
Inritata leæ jaciebant corpora saltu
Undique, et advorsum venientibus ora petebant;
Et nec opinanteis a tergo diripiebant,
1320 Deplexæque dabant in terram volnere victos,
Morsibus adfixæ validis, atque unguibus uncis.

Ibid. *fremitu;* ut iii. 298. Itidem de *leone* Virgilius, Æn. ix. 339.

——— *fremit* ore cruento.

Ver. 1316. *Pectora mulcere.* Idem Virgilius, ad Æn. i. 153.

Iste regit dictis animos, et *pectora mulcet.*

Ibid. *convortere in hosteis.* Idem, ib. xii. 377.

——— clypeo objecto *conversus in hostem.*

Ver. 1317. *leæ:* V. ed. pro var. lect. *iræ.* Poteras *irâ* conjectare, si verr. 1320. 1321. non obstitissent: vide sis Virg. Æn. iv. 178.

Ibid. *jaciebant corpora saltu.* Hinc mutatam nolim de Heinsii judicio lectionem meliorum codicum ad Virgilii Æn. viii. 257.

Non tulit Alcides animis, *se*que ipse per ignem
Præcipiti *jecit saltu*——.

Vulgo, *injecit.* Nec minus ibid. ii. 408.

Et *sese* medium *injecit* moriturus in agmen:

quædam exemplaria dant *jecit;* at ibi tamen vulgatis malim stari, quum syllabam *in* τo *m* facile absorpserit.

Ver. 1318. *petebant:* P. Vind. V. ed. O. Ω. *patebant;* nec displicet, quum noster has constructionis varietates neutiquam defugiat: sed profecto clarissime veram poëtæ manum conjecturâ deprehendi; et, si constitisset, quidnam codd. L. M. exhiberent, in quibus me persuasum habeo τo *patebant* comparere, divinationem meam in contextum intulissem:

——— et advorsum venientibus *ore patebant.*

Appositus est in primis Seneca, Herc. fur. 666.

Ingens vorago *faucibus* vastis *patet.*

Cæterum, Π. exhibet *jacebant.*

Ver. 1319. *diripiebant:* L. *deripiebant;* i. e. "vi detrahebant equis:" minus recte, quum aptissime opponantur invicem *ora petebant*, a *fronte* facere impetum scilicet, atque *a tergo diripiebant;* i. e. a *posticâ parte* subinde lacerabant. His statim pulchre subjicitur *tertia* lædendi via: adeo nihil supervacaneum est, nihil non integrum, et æquali rotunditate concinnatum. Verba *deripio* et *diripio* passim confusa sunt in libris veterum MSS. Ad Virgilium, Æn. iv. 593.

Non arma expedient, totâque ex urbe sequentur;
*Deripient*que ratis alii navalibus?

errant turpissime, qui ponant *Diripient*, quamvis hæc videatur scriptorum lectio.

Ver. 1320. *volnere:* Δ. Π. *volvere.*— *victos:* editores vulgo dant, *vinctos;* inscite et impudenter, contra libros veteres universos: vide notata nobis supra, ad i. 55.

Ibid. *Deplexæ:* i. e. valide ambientes, stricte amplexæ. Tempestive glossator vetustus: "*Deplectitur,* περικαμπτεται."

Ver. 1321. *adfixæ:* i. e. inhærentes, *sese affigentes;* ad mediæ vocis usum. Neque aliter Virgilius, geo. iv. 238. Lucretianos versus in animo repetens; quibus turbæ, viris doctis inscite satis ad Mantuani locum concitatæ, in æternum jam componantur:

Illis ira modum supra est; læsæque venenum
Morsibus inspirant, et spicula cæca relinquunt,
Adfixæ venis; animasque in *volnere* ponunt.

Æmulati sunt summi poëtæ Græcos scilicet. Sic Homerus, Il. Ω. 212.

Jactabantque suos taurei, pedibusque terebant;
Et latera, ac ventres, hauribant subter equorum
Cornibus, et terram minitanti mente ruebant.
1325 Et validis socios cædebant dentibus aprei,
Tela infracta suo tinguentes sanguine sævei;
[In se fracta suo tinguentes sanguine tela]

——— τὴν ἐγὼ μέσον ἡπαρ ἐχοιμι
Εσθιμεναι, ΠΡΟΣΦΥΣΑ———.

Scholium: Προσελθεσα. Forte, προσδοθεισα. Conferas autem velim Sophoc. Œd. Col. 1113.

Ver. 1322. *suos:* P. V. ed. B. L. Δ. *sues;* longe ineptissime: ad gustum multorum tamen.

Ver. 1323. *ac:* V. ed. *ad;* O. *et.*

Ibid. *latera ac ventres hauribant Cornibus:* i. e. " aperiebant, et extrahebant " sanguinem atque inclusa viscera;" vide notata ad ver. 1284. Virgilius phrasin sublegit, Æn. x. 313.

——— huic *gladio*, perque ærea suta,
Per tunicam, squalentem auro, *latus haurit* apertum.

Solus accedat ex aliis multis Statius, Theb. ii. 46.

——— prior *haurit* arenas
Ungula:

i. e. effodit, cavat, ut Virg. geo. iii. 87. Hinc audaculus videri possit sermonis idem, Theb. iii. 38.

——— et jam media orsa loquentis
Abstulerat plenum capulo *latus:*

i. e. *hauserat*, et quasi in vulnere consumpserat.

Ver. 1324. *Cornibus, et terram ruebant.* Sic passim de *tauris* poëtæ. Virgilius, ecl. iii. 86.

——— pascite *taurum*,
Jam *cornu* petat et *pedibus* qui *spargat arenam.*

Ruebant autem active, ut i. 273. et pervagatum est. Admireris interea, lector! et averseris, insignem temeritatem editorum, ita ex arbitrio versiculum refingentium, ne monitis quidem de hac audaciâ lectoribus, omnibusque omne genus vetustis exemplaribus obnitentibus:

Cornibus, *ad* terram*que minanti* mente ruebant.

Ver. 1325. *Et:* editores, *At;* contra libros, uti suspicor.—*cædebant:* P. Vind. Ω. *cedebant;* V. ed. *cedebat.*

Ver. 1326. *Tela infracta suo tinguentes sanguine.* Sic Virgilius, Æn. x. 730.

Sterniter infelix Acron, et calcibus atram
Tundit humum exspirans, *infracta*que *tela cruentat.*

BENTLEIUS:

qui tamen videtur suspectum habuisse utrumque versum, et posteriorem aperte damnat. Ipse volui uncinis circumsæptum ponere, ut adulterinum plane, et insulsum; non inducturus tamen, si sequeretur ver. 1324.

Ver. 1328. *dabant ruinas.* Idem Maro ibidem, xii. 453. similiter:

——— *dabit* ille *ruinas*
Arboribus, stragemque satis: *ruet* omnia late.

Ver. 1329. *dentis ad actus.* Locus est valde lubricus, ac difficilis in primis; in cujus lectionibus constituendis diu multumque hæsitavimus. P. Vind. M. habent, *dentis ad auctus; actus* autem et *auctus* alibi confusa sunt: V. ed. L. Σ. *dentibus adauctus;* O. *dentibus ictus;* Δ. *dentibus adauctas;* Ω. *dentibus ad auctas;* Π. et editi Florent. Ald. *dentis adactus;* quod pluribus Lucretii curatoribus arrisit, sed vox exemplo caret. Nos videmur nobismetipsis plauissimam viam inivisse.

Ibid. *exibant:* i. e. " solebant dare " operam exire," neque exierunt tamen; quæ vis est hujusce temporis minime inu-

Permixtasque dabant equitum, peditumque, ruinas.
Nam transvorsa feros exibant dentis ad actus
1330 Jumenta, aut pedibus ventos erecta petebant:
Nequidquam; quoniam ab nervis subcisa videres
Concidere, atque gravi terram consternere casu.
Si quos ante domi domitos satis esse putabant,
Ecfervescere cernebant in rebus agundis,
1335 Volneribus, clamore, fugâ, terrore, tumultu:

sitata, ut mirer Marklandum se gravissimo errore implicari passum esse ad Statii silv. v. 2. 102.

——— et castum *vibraret* Julia fulmen:

i. e. *pararet vibrare.* Hinc etiam elucescet vera loci ratio apud Longum, lib. iii. p. 75. Ανεζητησαν τε και ανθη, στεφανωσαι θελοντες τους θεους· τα δε αρτι ὁ Ζεφυρος τρυφων, και ὁ ἡλιος θερμαινων, ΕΞΗΓΕΝΟΜΩΣ δε εὑρεθη και ια, και παρκισσος—. *Zephyrus eos* EDUCEBAT *tantum: nihilo minus*—. Male retulit efficaciam sententiæ Villoisonus ad verbum *αρτι.* Multa mihi sunt ad manus non pretii nullius, hanc disputationem attingentia; quibus tamen ut supersedeam, limites operis hujusce suadent, coguntque.

Ibid. *exibant:* nimirum, *apros.* Formulâ Mantuanus quoque usus est, in Æn. v. 438. ad quem locum Servius et interpretes consulendi sunt:

Corpore *tela* modo, atque oculis vigilantibus, *exit.*

Hos Ausonius, Mosell. 184. feliciter æmulatus est, in loco singularis plane elegantiæ:

Tunc insultantes sua per freta ludere Nymphas,
Et Satyros mersare vadis, rudibusque natandi
Per medias *exire* manus; dum lubrica falsi
Membra petunt, liquidosque fovent pro corpore fluctus.

Conferas Lucan. i. 212. laudatum Havercampo; Stat. Theb. ii. 138. iv. 601. Grat. cyneg. 495.

Ibid. *ad actus.* Vetus onomasticon apposite: "*Actus;* ελασις." Seneca, Agam. 432.

——— unda vix *actu* levi
Tranquilla, *Zephyri* mollis afflatu, tremit.

Sic Gronovius, qui videndus, reposuit ex Florent. pro vulgato *tactu;* sed infeliciter reposuit: quum nullæ voces cordatiorem ineant societatem, quam *Zephyrus* et *tactus:* nos adeas in Sophoc. Trachin. 685. nam parum interest, quo demum sit *aura* ista genere. Sane *τῳ actu* facile prætulerim egomet *ictu:* confer Herc. Œt. 1109. nostrum ver. 955. et alibi sæpissime. Sed Virgilius nequaquam præteriri debet, ad Æn. xii. 687.

Fertur in abruptum magno mons inprobus *actu:*

ubi multi codices habent *ictu.*

Ver. 1330. *ventos erecta:* V. ed. O. Σ. *vento se recta;* Ω. *ventose recta.*—*petebant:* V. ed. *parebant;* sed primus depravationis gradus haud dubie fuerit *patebant.*

Ibid. *pedibus ventos petebant:* i. e. feriebant: et sermo est poëtice coloratus. Hinc capiendus Virgilius, geo. iii. 233.

——— *ventos*que *lacessit*
Ictibus——:

i. e. ferit, verberat. Sed Mantuanus ad imitationem magistri strictiorem se composuit, in argumento simili versatus, ad Æn. x. 892.

Tollit se *adrectum* quadrupes, et *calcibus auras*
Verberat——.

Ver. 1331. *ab:* vulgo, *a;* contra libros MSS.

Nec poterant ullam partem reducere eorum;
Diffugiebat enim varium genus omne ferarum,
Ut nunc sæpe boves Lucæ, ferro male mactæ,
Diffugiunt, fera facta suis quom multa dedere.
1340 Si fuit, ut facerent: sed vix adducor, ut ante
Non quierint animo præsentire, atque videre,
Quam conmune malum fieret fedumque, futurum:
Et magis id possis factum contendere in omni,

Ibid. *a nervis subcisa.* Idem, ibid. 700.

——————— poplite Palmum
Succiso volvi segnem sinit——.

Ver. 1332. *Concidere:* αὔρως πιπτειν. Et, rem cognatam tractans, ad Æn. v. 444. totum hunc Cari nostri locum Mantuanus ille tam sensu demessuit, quam sermone:

——— ille ictum venientem a vertice velox
Prævidit, celerique elabsus corpore cessit.
Entellus vires in *ventum* effudit; et ultro
Ipse *gravis, graviterque*, ad *terram* pondere vasto
Concidit——.

Ibid. *terram consternere casu.* Itidem magnus ille conditor Æneïdos, xii. 543.

Te quoque Laurentes viderunt, Æole! campi
Obpetere, et late *terram consternere tergo.*

Sed illud *tergo*, sic nude positum, humile est, nec artifice tanto dignum; unde, quum codd. exhibeant etiam *lato*, et Venetus *terræ*, ne dubites, quin antiquior orthographia corruptelas importaverit, et Virgilius dederit:

——— et *latom terræ consternere tergom.*

Nihil loco commodius, nihil certius, hac emendatione scilicet: confer nostrum, vi. 539. Virg. geo. i. 492. iv. 522. et, nisi fallar, lector laute! te habiturus sum suffragatorem. Exquisitissimum poëtarum morem divinatio mea resipit.

Ver. 1333. *Si:* editores Lucretii, gens odiosa et inficeta, de suo intruserunt *Sic*, cum postpositâ distinctione; quo quid temerarium magis, insulsumque? Hanc tamen, et alias longe turpissimas poëtæ summi depravationes, de codice nihil monens, editoris Vindobonensis socordia patientissime nobis propagavit.

Ver. 1334. *agundis:* sic fideliter vetera exempla, non *agendis;* Π. *angustis.*

Ibid. *Ecfervescere:* i. e. nativam ferociam ebullire. Et contra libros nonnulli, *Effervescere.*

Ver. 1336. *reducere:* P. Π. Ω. *reddducere.*

Ver. 1337. *varium genus omne.* Apage ocyus a nitidissimo poëtâ hanc fedam scabitudinem orationis: et verissimam scripturam redde, ex indubitatâ correctione:

Diffugiebat enim *variûm* genus omne *ferorum:*

i. e. "genus omne variarum ferarum:" sed illud *ferorum* paullo rarius librarios in errorem facile induceret; adi Nonium, iv. 198. Tritum est. Similiter fluctuant libri ad Virg. Æn. vii. 439. Conferas autem Virg. geo. iii. 242. Æn. vi. 285. Me docti, ut auguror, incusabunt, quod hanc conjecturam timidule vitaverim admittere in Lucretii contextum.

Ver. 1338. *ferro male mactæ:* i. e. male habitæ. Sic *virtute mactus*, apud Putschii grammaticos, p. 1750. *vino mactus*, ad Arnobii lib. vii. p. 236. atque similia nonnulla. Dicit autem Lucretius, "has "feras, jam diu rebus militaribus desue- "tas, cædem promiscuam olim dedisse, "non magis suis, quam hostibus, par- "centes; ut hodieque elephantes in præ- "lio vulnerati strages mutuas inferunt, "et tumultus." Quæ licet sint longe manifestissima, multi locum intellexerunt de

In variis mundis, variâ ratione creatis,
1345 Quam certo atque uno terrarum quo lubet orbi.
Sed facere id non tam vincundi spe voluerunt,
Quam dare quod gemerent hostes, ipseique perire,
Quei numero diffidebant, armisque vacabant.
Nexilis ante fuit vestis, quam textile tegmen:
1350 Textile post ferrum est; quia ferro tela paratur:
Nec ratione aliâ possunt tam lævia gigni,
Insilia, ac fusei; radiei, scapeique, sonantes.

victimis ad aram sauciis scilicet, diffugientibusque. Puditum est. Adi Florum, i. 18. 12. Cæterum, phrasis *male mactæ*, vel damno auctæ, haud aliter dicta est ac κερδήσαι ζημίαν, de quâ nos in Silv. Crit. sect. cxiii. ccxiii. Etymon vocis de grammaticorum sententiâ declaravit optime Arnobius, lib. vii. p. 237.—" quid est " aliud quam dicere. Tantum esto *mac-* " *tus*, quantum volo: tantum *amplifica-* " *tus*, quantum jubeo—."

Ver. 1339. *quom:* sic Π. dilucide; cæteri, *cum:* Σ. *tum.*—*facta:* O. *fata;* perperam. Hinc autem illa lectio vulgata ad Æn. ii. 548. confirmatur:

——————— illi mea *tristia facta*,
Degeneremque Neoptolemum, narrare memento:

nam quidam *fata*, ut Nonius etiam Marcellus.

Ver. 1340. *Si:* P. Vind. Δ. *Sic;* vitiose. —Lector autem compendiarium dicendi genus animum advertat, et ordinem verborum; quem nonnulli minime perspectum habentes, locum corrupere: " Sed " vix adducor, *ut putem hoc* futurum; " *nempe*, ut non quierint prius videre ma- " lum, quam fieret."—Mox Π. *persentire:* uti turbant etiam libri ad Virg. Æn. iv. 90. 448.

Ver. 1342. *fieret:* P. V. ed. *fueret;* editores male feriati dedere *fuerat;* libris universis reclamantibus.

Ver. 1343. Hoc mihi velle dicere Lucretius videtur: " Loquor de re, non ad- " mittente quidem specialem confirma- " tionem, sed generaliter probabili:"—vel, " quod affirmo, *generalem* veritatem ha- " beam, haud *universalem* tamen; rationi- " bus saltem veri quam simillimis sub- " nixam."

Ver. 1345. *certo uno:* Π. *certi uni.*

Ver. 1347. *ipseique perire:* i. e. voluerunt, dummodo malis mactarent hostem, nec inulti caderent. P. *perirent;* quod planius dixeris, sed ne unus quidem liber alius addicit.

Ver. 1348. *vacabant:* P. *vocabant;* i. e. uti ipse interpretatus est, *Provocabant adversarios:* undequaque perperam, et inscite, ut nihil supra.

Ibid. *armis vacabant.* Ennius, Hectoris Lytris:

Constitit, credo, Scamander: arbores *vento vacant.*

Corrupte Nonius legit *vagant.* Illum vide; nam Macrobius, vi. 2. citat ex satiris Ennii:

Constitere amnes perennes; arbores vento *vacant.*

BENTLEIUS.

Ver. 1349. *Nexilis vestis:* nimirum, tergora ferarum, verr. 952. 1009. superius; earundem nervis, vel obviis aliis ligaturis quibuscunque, temere connexa. Lucem dabit his Achæmenidis vestitus in Virgilio, Æn. iii. 594.

——————— Dira illuvies, inmissaque barba,
Consertum tegumen spinis——.

Et facere ante viros lanam natura coëgit,
Quam muliebre genus; nam longe præstat in arte,
1355 Et solertius est multo, genus omne virile:
Agricolæ donec vitio vortere severei;
Ut muliebribus id manibus concedere vellent,
Atque ipsei pariter durum subferre laborem,
Atque opere in duro durarent membra, manusque.
1360 At specimen sationis, et insitionis origo,
Ipsa fuit rerum primum Natura creatrix:

Ver. 1350. *quia:* Ω. *qui.*—*paratur:* sic P. V. ed. Δ. Σ. Ω. ut alii, ni fallor, si se fidum collator unusquisque præstitisset; Bentleio comprobante: et, me judice, magis poëticum est vulgato *parantur.* Facile etenim subintelligimus, *telam* non posse recte procedere sine *telis*, vel instrumentis, ferreis.

Ver. 1352. Editores post *fusei* interpolant *et*, contra libros omnes, atque ipsius Lucretii in hujuscemodi clausulis consuetudinem: redeas ver. 1276.—*radiei:* V. ed. O. Δ. Π. Σ. *radiis;* primâ sequentis dictionis literâ adhærente.—*scapei:* V. ed. O. *capi;* Π. *campi.*

Ibid. *radiei sonantes:* ut Euripides, fragm. Meleag. 3. κερκιδος ασιδα: et similibus Græca redundat Anthologia. Nec alienus aderit Virgilius, ad geo. i. 294.

Arguto conjunx percurrit *pectine* telas.

Ver. 1353. *facere lanam:* i. e. tractare, subigere, texere, atque componere demum in vestimenta: μηχανασθαι.

Ver. 1358. *pariter:* i. e. similiter, vicissim. Editores scelestissimi suffecerunt ex arbitrio *potius;* parum reveriti librorum omnium vanam profanamque conculcationem.

Ver. 1359. *durarent:* P. *durarunt;* unde loci scopus et rectissima constructio pessum dantur.

Ibid. Ostendit versus superior, hunc spurium esse; quod primus, opinor, moneo. Faber.

Et utinam monito pepercisses! Saltem me spondeo facturum, ut hoc moneas omnium postremus; quia versiculum non tantummodo defendere valeat αφελεια quædam vere Lucretiana, sed apertissima Maronis imitatio, ad geo. iv. 114.

Ipse *labore manum duro terat*——:

ut Vitruvius, ii. 1. "Cum autem, quotidie faciendo, *tritiores manus* ad ædificandum perfecissent—." Opportunus etiam superveniet Tibullus, i. 4. 48. ad quem nos ibidem Burmannus mittit; Lucretii, ut videtur, haud immemorem:

Nec te pœniteat *duros* subiisse *labores*,
Aut *opere* insuetas *atteruisse manus*.

Heynius male reposuit *operi.* Juvabit insuper Mantuanus ille, ibid. iii. 257.

—————— *humeros* ad volnera *durat*.

Nec Venusinus inutilis accesserit, sat. i. 4. 119.

—————— simul ac *duraverit* ætas
Membra animumque tuum, nabis sine cortice—.

Ver. 1360. *At:* Vind. *A;* V. ed. O. Ω. *Ad.*

Ver. 1361. *creatrix:* V. ed. pro var. lect. habet *cicatrix.*

Ver. 1362. *baccæ:* V. ed. *buccas;* O. *bacæ;* nescio an non veriore orthographiâ, quam glossator vetustus etiam agnoscit: "*Baca,* δαφνης καρπος." Sed novare nolui.

Ver. 1363. *subter:* Π. *propter;* minus bene.

Arboribus quoniam baccæ glandesque caducæ
Tempestiva dabant pullorum examina subter.
Unde etiam lubitum est stirpeis conmittere ramis,
1365 Et nova defodere in terram virgulta per agros.
Inde aliam atque aliam culturam dulcis agelli
Tentabant; fructusque feros mansuescere terrâ
Cernebant indulgendo, blandeque colundo:
Inque dies magis in montem subcedere Sylvas

Ibid. *pullorum.* Vocem pariter adhibuit de *surculis arboreis* Cato, de re rust. cap. 51. " Ab arbore abs terrâ *pulli* qui " nascentur, eos in terram deprimito." Sic *arborum pulluli*, apud Plinium, nat. hist. xvii. 12. Apponam Virgilium, geo. ii. 17.

Pullulat ab radice aliis densissima sylva.

Ibid. *examina*, de rebus non animatis: quod notandum. Haud aliter Arnobius, in operis doctissimi initio:—" *examina* tanta " *malorum* mortalium importata sunt se- " culis." Itidem, lib. ii. p. 46. " Cur " *malorum* tanta experiatur *examina?*" Ita Græci; ut Synesius, de prov. i. p. 96. ἱσμὺς δὴ τινας ἀγαθῶν. Etiam de *quantitate* Euripides, Bacch. 699.

Γαλακτος ἱσμὺς υχον—·

sed emendandum puto:

ΓΑΛΑΚΤΟΝΑΣΜΟΥΣ υχον—·

cui tamen asserendo nunc non vacat immorari. Poëta vetus, apud Ciceron. de div. i. 31.

——— *exitiûm examen* rapit—.

Ver. 1364. *Unde:* Π. *Inde.—ramis:* Σ. *ramos.*

Ibid. *lubitum est:* quasi merum experimentum temere periclitari vellent; prorsus dubii, an talis esset insitio feliciter, necne, processura.

Ibid. *stirpeis conmittere ramis.* Formam phraseos hujusce Virgilius plus semel figuravit. Sic ad geo. ii. 289.

Ausim vel tenui *vitem conmittere sulco*—.

Ver. 1365. *defodere in terram virgulta per agros.* Locutiones magistri aliquantulum variavit Mantuanus, geo. ii. 346.

——— quæcumque *premes virgulta per agros*,
Sparge fimo pingui, et multâ memor *occule terrâ.*

Similiter quidam libri pulchre scriptum exhibent Catonis de re rust. cap. 50. " Hoc facito ante quam vineam *defodere* " incipias." Vulgo, *fodere.* Glossæ vetustæ: " *Defodit*, καταρυττει." Et redeas ad ver. 933. hujusce libri.

Ver. 1366. *dulcis agelli:* i. e. cultori suo dilectissimi. Virgilius, ecl. i. 3.

Nos patriæ fines, et *dulcia* linquimus *arva.*

Ver. 1367. *fructusque feros mansuescere colundo.* Hæc idem vates, leporum flos egregius, et Lucretii mirator impensissimus, sublegit, ad geo. ii. 36.

Quâ re agite, o! proprios generatim discite cultus,
Agricolæ; *fructusque feros mollite colendo.*

Si Burmannus Heinsiusque diligentiorem operam Lucretiano carmini navassent, statim vidissent futilitatem varietatis " *cul-* " *tus*que feros:" quod certe vel præcedens versus satis superque falsitatis arguat.

Ibid. *mansuescere terrâ:* cum *terrâ* scilicet *mansuescente.* Iterum Virgilius, geo. ii. 239.

Salsa autem *tellus*, et quæ perhibetur amara,
(Frugibus infelix, ea nec *mansuescit* arando,
Nec Baccho genus, aut pomis sua nomina, servat)
Tale dabit specimen——.

1370 Cogebant, infraque situm concedere cultis:
Prata, lacus, rivos, segetes, vinetaque læta,
Collibus et campis ut haberent; atque olearum
Cærula distinguens inter plaga currere posset,
Per tumulos, et convalleis, camposque, profusa.
1375 Ut nunc esse vides vario distincta lepore
Omnia; quæ, pomis intersita dulcibus, ornant,
Arbustisque tenent felicibus obsita circum.

Ita locus ille distinguendus est. Et pulchre translatus est utriusque poëtæ sermo ab *animalium* ferorum cultu: sed palma venustatis Lucretio meo videtur deferenda.

Ver. 1369. *in montem subcedere Sylvas.* Hercle prosopopœiam elegantissimam habemus: *Sylvas*, animatas quasi, cernere videmur ex hominum culturâ se de planitie in montem pedetentim subducentes. Hinc in poëtarum paginis *montes* passim audiunt ὑλήεντες, εἰνοσιφύλλοι, ακριτοφύλλοι, σκιόεντες, *opaci*, *umbrosi*, et similia; unde pendet Calpurnius, ecl. ix. fin. nam vim locutionis nullo modo tenuit Wernsdorfius:

Sic pueri, *in* Donacen *toti*, sub sole canebant;
Frigidus *e sylvis* donec *descendere* suasit
Hesperus, et stabulis pastos inducere tauros.

Ita castigandi sunt hi versus. Eidem ad xi. 66. similiter lenis est facienda medicina:

Cum sic, in Meroën *totus*, miser ignibus arsi.

Vulgati sine *in*, cum *toto*, *discedere*, et *totis*. Sic loquitur Ælianus sæpissime. Porro, Statius pares exhibuit elegantias, ad silv. ii. 1. 127.

——— et visæ puero *decrescere vestes:*

atque ibidem, 2. 59.

——— Nunc cerne jugum discentia saxa,
Intrantesque domos, jussumque *recedere montem.*

Cæterum, Π. præstat *succidere.*

Ibid. *subcedere:* quasi *de sub cedere.* Nos autem lectorem de hac virtute verborum, similiter formatorum, sæpiuscule, nec immerito quidem, monuimus. Pariter Homerus, Il. Φ. 57.

Οἷον δὴ καὶ ὁδ' ἦλθε, ΦΥΓΩΝ ΥΠΟ νηλεὲς ἦμαρ.

Quales formulas critici parum callentes non raro lapsi sunt, repositum euntes *απο:* quod nobis aliquoties contigit observare.

Ver. 1370. *locum:* P. *situm;* quod, ut exquisitius, atque interpretamenti speciem minorem præ se ferens, recipiendum habui: et potissimum, quia non alio certissime spectet V. ed. scriptura, *suum* scilicet.

Ver. 1372. *et haberent:* Π. *ac habere.*

Ibid. *olearum Cærula plaga;* ut Pindarus, Ol. iii. 23. pereleganter, γλαυκοχροα κοσμον ελαιας. Et nihil delicatius, nihil suavius, nihil denique ex omni parte mollius et castigatius, his versibus Lucretianis vel optari, vel fingi, potest: quorum putem non immemorem Virgilium fuisse, ad geo. ii. 284. 285. quo te recipias.

Ver. 1375. *vario distincta lepore.* Commode Flaccus apponetur, od. ii. 5. 11.

——— Jam tibi lividos
Distinguet Auctumnus racemos,
Purpureo *varius colore:*

i. e. "Auctumnus, qui variat lividum "colorem valde nigro superinducto." Quid planius, aut penitius poëticum sermonem redolens? Miror Bentleium hæsitasse; quem Klotzius castigat, ipse vicissim castigandus. Ad eandem constructionem Arnobius, lib. vii. p. 251.—"si "obsita squamis terga, si macularum "*suffectionibus varia.*" Nec Lucretio

At liquidas avium voces imitarier ore
Ante fuit multo, quam lævia carmina cantu
1380 Concelebrare homines possent, aureisque juvare.
Et Zephyri, cava per calamorum, sibila primum
Agresteis docuere cavas inflare cicutas.
Inde minutatim dulceis didicere querelas,
Tibia quas fundit, digitis pulsata canentum,
1385 Avia per nemora ac sylvas saltusque reperta,

venuste minus Ausonius, in Mosell. 67. administravit rem:

——————— lucetque, latetque,
Calculus; et viridem *distinguit* glarea muscum.

Accedat cantor Culicis, ver. 70.

——————— *distincta coloribus* arva.

Ver. 1376. *dulcibus:* Ω. *ducibus.*—*ornant:* Π. *ornat.*

Ver. 1377. *obsita:* V. ed. O. *opsita;* unde, re in pejus defluente, venit *το opposita* in Vind.

Ibid. *Arbustis tenent felicibus.* Paullo aliter Virgilius, quem, fedissime corruptum, certo certius nativis leporibus redonabo, ad geo. ii. 144.

Sed gravidæ *fruges*, et *Bacchi* Massicus *humor*,
Inplevere: *tenent oleæ*, *armenta*que læta.

Quid autem, malum! video? Aprum scilicet in fluctibus: *armenta* inter segetes, vites, oleasque. At ocyus expellam tamen, ne prorsus omnes agricolarum spes male feriata turba proculcet corrumpatque; et confidentissime reposuerim, lautum neminem repugnantem habiturus:

——— tenent oleæ, ARBUSTAque *læta:*

i. e. ipsissima nimirum *felicia* Lucretii *arbusta.* Quid, quod statim inferius de *pecudibus* et *armentis* Maro tractet? adeo ut vox recepta sit in hoc loco putida omnino, et intempestiva. Mirum est interea, quot vicibus librarii voces *armenta* et *arbusta* permutaverint: vide nos ad ii. 343. 361. 698. Postea, cum me ad Heynianam Maronis editionem converteram, intellexi hanc verissimam conjecturam J. Schradero prius in animum venisse: cui libenter cogitati gloriam omnem defero; maximum poëtam, quocunque demum, restitutum lectoribus opere maximo gratulatus.

Ibid. *Arbustis felicibus.* Idem, ib. ver. 81.

——————— *ramis felicibus arbor.*

Ver. 1378. Athenæus, ix. 10. Χαμαιλέων ὁ Ποντικος εφη, την εὑρισιν της μυσικης τοις αρχαιοις επινοηθηναι δια των εν ταις ερημιαις ᾀδοντων ορνιθων· ὧν κατα μιμησιν λαβειν στασιν την μυσικην.

Ver. 1379. *lævia carmina.* Commode Persius huc advocabitur, in i. 63.

——————— *carmina molli*
Nunc demum *numero* fluere, ut *per lævi* severos
Effundat junctura ungues——.

Ibid. *carmina cantu Concelebrare.* Pariter etiam Tibullus, i. 6. 17.

Neu *juvenes celebret* multo *sermone*, caveto:

ubi videas Heynium, Lucretii tamen non memorem. Similiter noster supra, verr. 1165, 1166.

Ver. 1381. In dubio est, quam constructionem voluerit poëta: utrum, *Zephyrei*, in primo cas. num. plur. *per cava sibila*, i. e. sibilas cavitates: an *sibila Zephyri*, casu patrio; quæ mihi videtur longe elegantior. Virgilius, ecl. v. 82.

——————— venientis *sibilus austri,*

Per loca pastorum deserta, atque otia dia.
Sic unum quidquid paullatim protrahit ætas
In medium, ratioque in luminis eruit oras.
Hæc animos ollis mulcebant, atque juvabant,
1390 Cum satiate cibi; nam tum sunt otia cordi.
Sæpe itaque inter se, prostratei in gramine molli,
Propter aquæ rivum, sub ramis arboris altæ,
Non magnis opibus jocunde corpora habebant:

Et ornato carmine Calpurnius, iv. 45.

——— pecudes inter conductus Iberas,
Irrita septenâ modularer *sibila cannâ*.

Atque pulchre conferas Ovid. met. i. 705—714. quem Creechius indicavit.

Ibid. *cava calamorum:* eleganter, ut Plinius, nat. hist. xxxii. 11. *cava ulcerum;* et Vitruvius, vi. 3. *cava ædium;* Ælius Lampridius denique, in Heliogabalo, sect. 5. " per cuncta *cava corporis*—."

Ver. 1382. *cavas inflare cicutas.* Sic Virgilius, in Daphnidis principio:

Tu *calamos inflare* levis——.

Lambinus.

Nemesianus, ecl. iii. 13. secutus est:

——— nulli fas est *inflare cicutas*——.

Ver. 1383. *dulceis querelas:* redi ad iv. 588. et sane *querula vox* quædam propria est *cantantium poëtarum;* consulas Quintil. instt. i. 8. init. cum Eur. Med. 149. et schol. ad Hippol. 750. edit. Egertoni. Ἀοιδος· ὁ ΘΡΗΝΩΔΟΣ: Hesychius. Idem tragicus, ibid. 892. μελος, *carmen*, adhibuit de *querebundâ* prosâ oratione: adi nos, ad iii. 550. Mox, Π. *fondit*, vice *fundit*.

Ver. 1385. *sylvas saltusque:* uti Mantuanus etiam vocabula conjunxit, geo. iii. 40.

——— Dryadum *sylvas saltusque* sequamur.

Ver. 1386. *atque dia:* Π. *que oīa:* i. e. *omnia*. Qui venit error ex obscuritate superioris partis literæ *d*.

Ibid. *loca pastorum deserta atque otia.* Hæc idem Virgilius delibavit, ad geo. iii. 476.

——————— *deserta*que *regna*
Pastorum, et longe *saltus* lateque *vacantis*.

Ibid. *otia dia.* Hoc dictum est propter *deos sylvestres*, quos vulgus credit in his locis inhabitare: conferas iv. 584—596. Et committi debet versiculus Virgilianus, cui lucem Lucretius fœnerabit, in geo. i. 168.

Si te digna manet *divini* gloria *ruris*.

Hinc in Lucilii junioris *Ætnâ*, ver. 12. lectio vetustiorum exemplarium omnino tenenda est; ubi vulgo scribitur *saturæ*, minus docte et eleganter:

Cum domitis nemo Cererem jactaret in arvis,
Venturisque malas prohiberet frugibus herbas,
Annua sed *sacræ* complerent horrea *messes*.

Ver. 1387. *quidquid:* P. *quidvis;* V. ed. *quid quis.*—*ætas:* V. ed. *actas*.

Ibid. *protrahit In medium.* Formulam variavit Virgilius, ut ambiguum vitaretur, Æn. ii. 122.

Heic Ithacus vatem magno Calchanta tumultu
Protrahit in medios—.

Sed enim, an dederit, *In medium?*—Cum his autem Lucretianis omnino committas Sophocleos versus, ad iv. 193. citatos, explicitosque.

Ver. 1388. *ratioque:* P. V. ed. O. *ratio quæ;* perperam.—*eruit:* M. *erigit;* quod male huc accersitum est ex ver. 1454. nam Carus noster, si quis alius denique,

Præsertim, quom tempestas ridebat, et anni
1395 Tempora pingebant viridanteis floribus herbas.
Tum joca, tum sermo, tum dulces esse cachinnei
Consuerant: agrestis enim tum musa vigebat.
Tum caput, atque humeros, plexis redimire coronis,
Floribus, et foliis, lascivia læta monebat:
1400 Atque extra numerum procedere, membra moventeis

studiose diversitatem phraseos sectatus est, lectoris blande retinendi gratiâ, et aurium juvandarum. Π. *exuit.*

Ver. 1389. *Hæc:* Π. *Nec.—ollis:* O. Δ. *olim.*

Ver. 1390. *Cum satiate:* V. ed. O. *Cum satiare;* Π. *Consotiare;* Ω. *Cum satiata. —cibi:* V. ed. O. Π. *tibi.—nam tum sunt:* Π. *natam cum sit otia:* sic Faber ex conjecturâ; et accepi, quamvis non valde placeat, quum librorum lectio, *omnia*, vel *oīa*, nullo negotio exsurgeret ab *otia:* Π. *communia;* i. e. *coīa:* unde tentare nobis liceat hoc modo quoque versiculum:

——————— nam tum *fit copia* cordi.

Vossianâ divinatione memorandâ, " om- " nia *chordæ*," ad Catull. p. 67. et Havercampi *somnia*, quid attinet chartas nitidas, nec cito perituras, uti sperem, maculare? His certe *mollia* præstiterit.

Ibid. *satiate cibi.* Libet apponere mollissimos et castissimos Juvenci versus, qui lepidas Cari phrases, sparsim jactas, in suaveolentem fasciculum collegit, ad hist. evang. i. 637.

Aërias spectemus *aves:* non *vomere presso*
Terga *soli subigunt;* jaciunt haud semina farris;
Haud segetum culmos incurvâ *falce recidunt:*
Proveniet tamen his *satias* potûsque, *cibi*que.

Sic in versu tertio melius scribi censeo, pro vulgari *Aut:* et hæ voculæ passim commiscentur.

Ver. 1391. Hi versus fere repetuntur ex ii. 29. teneri profecto, et cum Gratiis elaborati.

Ver. 1393. *jocunde:* sic clare Δ. Π. Σ. pro vulgari *jucunde:* V. ed. *in cunole*, divisis literæ *d* partibus; ut mox eadem *riolebat*, pro *ridebat:* M. *vix unde.—habebant:* Δ. *habebunt.*

Ver. 1395. *pingebant:* Δ. O. Ω. *pinguebant;* nec fortasse perperam: ut *unguo*, *tinguo.*

Ibid. *pingebant.* Hanc habet elegantiam suavissimus Ausonius, Mosell. 160.

Sic mea flaventem *pingunt* vineta Garumnam.

Ovidius, fast. iv. 430. non minus:

*Picta*que dissimili *flore virebat humus:*

quam loci lectionem tuetur satis Lucretius. Videas Plaut. Stich. ii. 2. 30. et ibid. interpretes. Opportune Statius, Theb. vi. 58.

Et *picturatus* morituris *floribus* agger:

quem tamen, ut in re pervagatissimâ, non cumulavissem, nisi ut admonerem lectores, vetere enarratore, quem profert Barthius, optime locum explicatum esse, atque Lutetii interpretationem male adhærescere huic versui in exemplaribus omnibus, quæ videre et tractare mihi contigerit. Nec Virgilius tamen abesse debet, præceptoris, ut semper, memor, in ecl. ii. 49.

Tum, casiâ, atque aliis intexens suavibus *herbis*,
Mollia luteolâ *pingit* vaccinia calthâ.

Ver. 1396. *joca:* Vind. V. ed. O. Δ. Π. Σ. Ω. *loca.—dulces cachinnei:* Δ. *dulcibus cachinnis.*

Duriter; et duro terram pede pellere matrem:
Unde oriebantur risus, dulcesque cachinnei;
Omnia quod nova tum magis hæc, et mira, vigebant.
Et vigilantibus hinc aderant solatia somno,
1405 Ducere multimodis voces, et flectere cantus;
Et supera calamos unco percurrere labro:
Unde, etiam vigiles, nunc hæc adcepta tuentur,

Ver. 1397. *Consuerant:* Ω. *Consueverant.*

Ibid. *agrestis musa.* Ita Virgilius, ecl. vi. 8.

Agrestem tenui meditabor arundine *musam.*

Cæterum, similis terminatio *cachinni* fecit, ut omitteret librarius cod. Π. sex totos versus.

Ver. 1398. *humeros:* qui coronis scilicet, *collo* superimpositis, obumbrabantur. Ovidius est huic loco commodus, in fast. ii. 739.

Ecce! nurum regis, *fusis per colla coronis,*
Inveniunt posito pervigilare mero.

Ad quem locum tu nihil mutes. Concinit his et Venusinus, sat. ii. 3. 256.

——————— potus ut ille
Dicitur *ex collo* furtim carpsisse *coronas.*

Ibid. *plexis coronis.* Catullus, lxiv. 284.

Hos *in distinctis plexos* tulit ipse *corollis:*

i. e. "*in corollis*, quas variorum colorum "flores pingebant, vel *distinguebant:*" confer Lucretium supra, verr. 1373. 1375. 1395. et annotata nobis. Sic scribendus est, et accipiendus, Catulli versus.

Ver. 1399. *monebat:* P. V. ed. M. Δ. Σ. Ω. *movebat.*

Ver. 1400. *extra numerum.* Prout Horatius, in epist. i. 18. 59.

Quamvis nil *extra numerum* fecisse, *modum*que,
Curas, interdum nugaris rure paterno.

Similiter Græci. Exemplo sit Ælianus, var. hist. xii. 60.—ὁ δὲ ἀπεκρίνατο οὐκ ἔξω μέλους: *non extra modum*, non inconcinne. Et opportunus est Virgilius, de lusibus rusticorum loquens, geo. i. 350. in numeris rei naturæ declarandæ perquam accommodatis:

Det *motus incompositos*, et carmina dicat.

Ver. 1401. *terram pede pellere.* Ita Flaccus, od. iii. 18. 15.

Gaudet invisam *pepulisse* fossor
Ter *pede terram.*

Lambinus.

Adi Virg. geo. iv. 233. Catullus, lxi. 14.

Pelle humum pedibus——.

Ver. 1402. *oriebantur risus.* Ut Mæonides locutus est, Il. A. 569.

Ἀσβέστος δ' ἄρ' ΕΝΩΡΤΟ ΓΕΛΩΣ μακάρεσσι θεοῖσιν.

Ver. 1403. *hæc:* V. ed. *hoc.*—*et* abest Π.—*vigebant:* Δ. Σ. *vigebat.*

Ver. 1404. *hinc:* V. ed. *huic;* eisdem elementis.—*somno:* Vind. *somni;* ob collatoris negligentiam, propagantis impudentem et absurdam editorum interpolationem contra libros veteres universos. Ad sensum nihil interest, utrum dicas *solatia somni*, an *solatia somno;* nisi quod hæc formula doctior, et ab usu plebeio remotior, videatur. A. Sabinus, epist. i. 3. in disticho quam mellitissimo:

Agnovi caramque manum, gemmasque fideles:
Solamen longis illa fuere *malis.*

Hinc totus assenserim codici sic exquisi-

Et numeris servare genus didicere; neque hilo
Majore interea capiunt dulcedine fructum,
1410 Quam sylvestre genus capiebat terrigenarum.
Nam, quod adest præsto, nisi quid cognovimus ante
Suavius, in primis placet, et pollere videtur;
Posteriorque fere melior res illa reperta
Perdit, et inmutat, sensus ad pristina quæque.
1415 Sic odium cepit glandis; sic illa relicta

tius scriptum exhibenti, ad Virgilii Æn. iii. 661. nihil Lucretianum intactum relinquentis,

——————— ea sola voluptas,
*Solamen*que *malis*.

Unde plus dixerit, et gravius, quam per vulgarem scripturam *moli*. Confer Æn. v. 367. x. 858. 859. Ciris, ver. 181.

——— nulla *malis* reperit *solatia* tantis——.

Hoc autem vult Lucretius: " His novis " voluptatibus adeo delectabantur, ut " sese vel somno fraudare non grava- " rentur, dummodo choreis, cantibus, et " conviviis, plene vacare possent, atque " indulgere festivitati: nec minus hæc " sunt hodiernis hominibus deliciæ, quam " antiquissimis." Non indigemus emendationis Vossianæ *Evigilantibus:* vide sis Burmannum ad Sueton. August. cap. 78.

Ver. 1045. *ducere voces.* Quemadmodum Virgilius, Æn. iv. 463.

——————— et longas in fletum *ducere voces*.

Ibid. *flectere cantus.* Ovidius, amor. ii. 4. 25.

—— dulce *canit*, *flectit*que facillima *vocem*——.

Ver. 1406. *supera:* Vind. V. ed. O. Δ. *supra.*—*unco:* codd. quidam Pii, cum Δ. *rauco;* mendosissime: vide notata ad iv. 592.

Ver. 1407. *etiam vigiles:* i. e. vel jam vigilantes, ut olim, ver. 1404. et somnum sic bene compensatum hodieque reputantes.

Ver. 1408. *numeris servare genus:* ita, doctius et elegantius, P. V. ed. vulgo, ut quidam Pii codd. *numerum*, pro *numerorum.* Appositissimus erit Virgilii versiculus, geo. ii. 240.

Nec *Baccho genus*, aut *pomis* sua *nomina*, *servat*.

Ver. 1409. *Majore:* sic P. Vind. V. ed. O. Δ. Π. Σ. vulgo, *Majorem;* ut Ω. —*dulcedine:* editores, *dulcedinis;* haud dubie sine libris vetustis, et scriptis, et impressis. Nihil autem elegantius quam formula *fructus dulcedine majore;* atque prorsus geminissimis nihil crebrius in poëtis. Doctorum hominum temeritati et inscitiæ mutus obstupesco, ita ex arbitrio purissimorum scriptorum exquisitissimas locutiones corrumpentibus atque exturbantibus. Nec refert, utrum velis *τo dulcedine* pendere ab *fructus*, an ab *Majorem*, si hæc lectio arrideat; quæ sane nobis non videtur eâ simplicitate, quâ recepta. Utriusque schematis exempla suppeditantur eodem versiculo Maronis, ad Æn. vii. 483.

Cervus erat *formâ* præstanti, et *cornibus ingens*.

Ver. 1410. *capiebat* desideratur in Π.

Ibid. *sylvestre genus terrigenarum:* vide ver. 803. superius; ii. 1150. 1151. Hos autem *sylvestres homines* Venusinus nuncupavit, art. poët. 391.

Ver. 1411. Orditur de novo noster, sed cum conclusione ex præcedentibus; unde an scripserit?

Strata cubilia sunt herbis, et frundibus aucta.
Pellis item cecidit, vestis contempta ferina;
Quam reor invidiâ tali nunc esse repertam,
Ut letum insidiis, qui gessit primus, obiret:
1420 Et tamen inter eos distractam, sanguine multo,
Disperiisse; neque in fructum convortere quisse.
Tunc igitur pelles, nunc aurum et purpura, curis
Exercent hominum vitam, belloque fatigant;

Jam, quod adest præsto——:

quamvis *Nam* quoque transitionibus inserviat; vide nos ad iii. 7.—Pro *quid*, Π. *quæ:* et mox *ulla* et *invitat*, vice *illa* atque *inmutat.*

Ibid. Duplex est constructionis via; vel, " Illaque melior res posterior reperta " perdit sensus:" quæ placet nobis, ut " elegantior et simplicior; vel, " Poste- " riorque res melior perdit illa reperta, " et immutat sensus:" quæ videtur minus signata, durior, ac tortuosior; arrisit tamen editoribus, et pluribus interpretibus. Liberum sit judicium lectoribus.

Ver. 1415. *cepit:* ita Σ. Ω.. et Aldina; rectius, me judice, et Latinius. Maro, geo. iv. 332.

Tanta meæ si te *ceperunt tædia laudis.*

Committe sis nostrum, ad iii. 80. Vulgo, *cœpit.* Utramque phrasim, tam *percipit odium*, quam *capit odium*, Terentius adhibuit; hanc autem sæpiuscule: ut omittam alios.

Ver. 1416. *Strata cubilia frundibus:* redi ver. 985.

Ibid. *herbis et frundibus.* Voces sociavit etiam Mantuanus, geo. iii. 353.

Illic clausa tenent stabulis armenta; neque ullæ
Aut *herbæ* campo adparent, aut arbore *frondes:*

ut mox ibidem, ver. 528.

Ver. 1417. Vulgo post *ferina* ponunt *est;* vetustis libris reclamantibus. Ordo est: " Pellis, ferina vestis, cecidit con- " tempta.

Ibid. *Pellis cecidit:* elegans est dicendi genus, cui mox opponitur alterum non " minus elegans, ad ver. 1454. *in luminis oras erigere.* Similiter Horatius, art. poët. 70.

Multa renascentur, quæ jam *cecidere, cadent*que,
Quæ nunc sunt in honore, vocabula——.

Cæterum, his Lucretii versibus illustrandis commodissimus est Arnobii locus, lib. ii. p. 90. quem Lambinus occupavit: " Quid enim, si hoc modo culpam veli- " mus infligere prioribus illis atque anti- " quissimis seculis, quod, inventis frugi- " bus, *glandes spreverint*, et repudiaverint " *arbuta?* (verr. 939. 963.) quod—*ami-* " *ciri* desierint *pellibus*, postquam *vestis* " excogitata est *textilis*—? (ver. 1349.) " aut, quod, structis domibus, (verr. 953. " 1009.)—non antiquas adamaverint ca- " sulas; nec sub *rupibus* et *cavernis* præ- " optaverint, ut beluæ, (verr. 982. 983.) " permanere?"

Ver. 1418. *reor nunc:* i. e. " egomet " nunc dierum reor; vitam, quam vivi- " mus hodie, omnibus artibus excultam, " cum simplicissimâ veterum mortalium " conditione componens scilicet." Ita scriptum conspicitur in antiquissimis V. ed. L. M. Ω. cæteri, *tunc;* quod correctorem redolet.

Ver. 1420. *Et tamen:* i. e. " At, " quamvis primo reliqui patienter ferrent " inventorem gerere, postea tamen rixam " exortam reor, et vestem inter pugnan- " tium manus dilaceratam periisse." Qui-

Quo magis in nobis, ut opinor, culpa resedit:
1425 Frigus enim nudos sine pellibus excruciabat
Terrigenas; at nos nihil lædit veste carere
Purpureâ, atque auro signisque rigentibus aptâ;
Dum plebeia tamen sit, quæ defendere possit.
Ergo hominum genus in cassum, frustraque, laborat
1430 Semper, et in curis consumit inanibus ævom:
Nimirum, quia non cognovit, quæ sit habendi

bus nihil vividius cupias, et efficacius: editores autem, alienissimos pudori, non pœnituit de suo infercire *tandem;* quam falsitatem socordia collatoris Vindobonensis sustinuit propagare.—*distractam:* sic P. Vind. V. ed. Δ. Π. Σ. Ω. cæteri, *distractum;* quæ lectio ferri poterat, respectu ad aliud nomen habito, ut alibi repertum est in Lucretio: sed nostra simplicior est, apertiorque.

Ibid. *distractam Disperiisse.* Claudiani locus, qui me dudum fugerit, perquam opportunus est, in Ruf. ii. 417.

——— *sparsum*que *perit* per tela cadaver.

Ver. 1421. *Disperiisse:* sic, vel *Disperisse*, libri veteres universi: editores nihilominus, nescias impudentius an indoctius, de suis somniis *Dispersisse* intruserunt in contextum: non animadvertentes scilicet verbum *convertere* in absoluto sensu poni, ad morem usitatissimum poëtæ: redeas ad iv. 138. et verr. 616. 829. superius. Quod dedimus, id solito cum judicio Bentleius unice probabat. Dictys Cretensis, ii. 3. " Interim Teuthranius, " —ubi animadvertit Ajacem tantâ ad- " versum suos cum gloriâ dimicantem, " propere ad eum *convertit:*" i. e. *se convertit*, sive *convertitur.* Idem, ibid. cap. 27. fin.—" cum magnâ prædâ ad " suos *convertit.*" Justinus, xxxvi. 2. 15. " Quod ex caussâ factum paullatim in " disciplinam religionemque *convertit.*" Ubi tu videas Berneccerum.

Ver. 1422. *curis:* Δ. *curæ est;* quæ varietas sine *est* valde placuisset, ad hanc utique constructionem: " Aurum et pur- " pura, *quæ sunt* curæ, ac solicitudini." Sed exemplaribus pluribus atque vetustioribus auscultandum remur.

Ibid. *curis Exercent vitam.* Arnobius, lib. ii. p. 53.—" iracundiâ ferveamus, *ex-* " *erceamus in flagitiis vitam*—."

Ver. 1424. *resedit:* de re jam diu vigente loquitur, et adhuc manente; quasi stationem dudum occupaverit, atque inveteraverit. Hæc autem verbi forma longe efficacior câ, quam perfrictæ frontis editores ex arbitrio dederunt, exemplarium veterum auctoritatem proculcantes; *residit* scilicet. M. Tullius, epist. ad Att. i. 17. " Atque hujus incommodi *culpa* ubi " *resideat,* facilius possum existimare, " quam scribere—."

Ver. 1426. *nihil:* sic Vind. V. ed. Δ. Π. vulgo, *nil;* ut passim.

Ver. 1427. *rigentibus:* P. V. ed. *vigentibus;* reliqui, *ingentibus:* sed nostra lectio verissima est, atque debetur eleganti ingenio Joannis Jortini nostratis, qui roborat emendationem versu Virgiliano, Æn. xi. 72.

Tunc geminas vestis, *aur*oque *ostr*oque *rigentis,*
Extulit Æneas——.

Nec male apposuisset, ibid. 648.

——— pallam *signis auroque rigentem.*

Conferas etiam ibid. v. 267. In confundendis autem verbis *rigeo* et *vigeo* peccavere itidem librarii ad Ovid. amor. iii. 7. 67.—Cæterum, pro *apta,* Δ. habet *acta.*

Finis, et omnino quoad crescat vera voluptas:
Idque minutatim vitam provexit in altum,
Et belli magnos conmovit funditus æstus.
1435 At vigiles mundi magnum vorsatile templum
Sol et luna suo lustrantes lumine circum
Perdocuere homines annorum tempora vorti;
Et certâ ratione geri rem, atque ordine certo.
Jam validis sæptei degebant turribus ævom;

Ver. 1428. *plebeia tamen sit:* Vind. V. ed. L. M. Δ. Π. Σ. *plebe lata mens id; l* et *d* literis nimirum cum *i* ac *t* mutatis, divulsisque vocibus.—*quæ:* Vind. L. M. Δ. Π. Σ. *que;* V. ed. autem, *quoque.*

Ibid. *plebeia tamen quæ defendere possit.* Horatius imitatus est locum, in sat. i. 3. 14.

——— *toga, quæ defendere* frigus,
Quamvis crassa, queat———.

Defendere autem in Caro sonat simpliciter *tegere;* ut Papinius elegantissime, Theb. vii. 244.

Turre procul solâ, nondum concessa videri
Antigone populis teneras *defenditur* atrâ
Veste genas———.

Ver. 1430. *in* deest V. ed. L. M. O. Δ. Π. Σ. atque corruenti metro sic subveniunt O. Δ. Π.

Et semper curis———.

Silius Italicus, Pun. xii. 462. ut noster:

——— rabiem prenso *consumat in* hoste.

Ibid. *curis inanibus.* Hinc, et quia per se sit potentior significantiorque lectio, impense probo, et habeo pro verissimâ, quorundam codd. scripturam ad Maronis geo. iv. 345.

Inter quas Clymene *curas* narrabat *inanis*
Volcani, Martisque *dolos*, et dulcia *furta*— :

cui suspicioni favet ordo verborum, quem dedimus, in exemplari uno repertus; quasi sic ambigui speciem effugere poëta vellet.

Ver. 1432. *quoad crescat:* V. ed. *quo adcrescit;* Σ. Ω. *quo adcrescat.*

Ver. 1433. *provexit:* Π. *perduxit;* sed vulgatum malim. Sic Virgilius, Æn. iii. 72.

Provehimur portu: terræque, urbesque, recedunt.

Et sic alii in hoc negotio.—Cæterum, nobilissimam habemus in Lucretio translationem, et ex omni parte pulchre concinneque procedentem. Nec, qui sequuntur, versus quispiam veterum nativis leporibus ac venustate simplici superavit.

Ver. 1434. *conmovit funditus:* Δ. *communit fonditus.*

Ibid. *magnos æstus.* Virgilius, Æn. viii. 19.

——— *magno* curarum fluctuat *æstu.*

Et Lucretii mentem sic idem Mantuanus aliter exposuit, ibid. ii. 419.

——— atque *imo* Nereus *ciet æquora fundo.*

Ver. 1435. *et* sequitur *magnum* in P. Vind. Ω. libris; minus potenter, ac rotunde.—Σ. etiam *vigilis;* sed *i* in rasurâ est.

Ibid. *vigiles Sol et luna.* Pereleganter; utpote qui, nunquam defatigati cursu, ne nocte quidem, cunctis quiescentibus,

——— dulci declinant lumina somno.

Hinc Homerus, Il. Σ. 239. probe dixit Ἠέλιον ΑΚΑΜΑΝΤΑ.

1440 Et divisa colebatur, discretaque, tellus.
Tum mare velivolis florebat propter odores:
Auxilia, ac socios, jam pacto fœdere, habebant:
Carminibus quom res gestas cœpere poëtæ
Tradere; nec multo prius sunt elementa reperta.

Ibid. Hunc locum Prudentius respexit, Symm. i. 310.

Ausus habere deum *solem*, cui *tramite certo*
Conditio imposita est, *vigilem* tolerare *laborem*,
Visibus objectum mortalibus——.

BENTLEIUS.

Ver. 1436. V. ed. *lustrans:* et mox habet Π. *Prodocuere.*

Ver. 1437. *Perdocuere:* i. e. *plene* et planissime *docuere;* quasi monita constantissime repetita talium doctorum nemo, sensu communi præditus, non posset intelligere.—Mox, L. M. *degebat.*

Ver. 1439. *validis sæplei turribus.* Moschion, apud Stobæi ecl. phys. i. 11.

—————— λαΐνοις
Ευρεια πυργοις ωχυρωμενη πολις.

Ver. 1440. *discreta:* V. ed. B. *districta.*—Et huc referendus est Virgilius, Æn. xii. 898.

Saxum antiquum, ingens, campo quod forte jacebat,
Limes agro positus, litem ut *discerneret* agris.

Ubi tamen *arvis* legerim, ut Frontinus, in rei agrar. scriptt. p. 37. olim legit: "Nam ideo *limes agro positus* est, *ut* "*litem discerneret arvis:* nam ante Jo-"vem limites non parebant, qui *divide-*"*rent* agros."

Ver. 1441. *velivolis:* Vind. O. *velivolum;* sed suspecta est merito Vind. collatoris fides. Jam vero Lucretiani editores, bipedum certe omnium longe longeque audacissimi, hac occasione vel impudentiæ propriæ fines transgressi sunt, versum somniculosis suis correctionibus ad hunc modum reformantes scilicet:

Jam mare *velivolum* florebat *navibus pandis.*

Servius sane aliqualem illis excusationem præbet, ita scribens versiculum in commentario suo, ad Virg. Æn. vii. 804.

Tum mare *velivolum* florebat *navibus pontus:*

et reponere posses *ponti*, ad normam quorundam nobis ad ii. 1. dictorum; nisi fortassis aliud opus Lucretii grammaticus respexerit: videas eum ad Æn. vi. 625. Futiles et ineptos conatus doctorum, aliis aliter hunc locum emendantibus, recensere piget, quum castigatissimorum et vetustissimorum exemplarium lectiones sint undequaque sinceræ, atque poëticis leporibus contactæ.

Ibid. *velivolis:* i. e. navibus; quæ vox facile subintelligitur, quum epitheton positum alii nihilo, saltem apud veteres, conveniat: vide Bos. ellip. Græc. nomm. voce Ναυς. Emendabo poëtam veterem apud Ciceron. de div. i. 31.

Jamque mari magno classis cita
Texitur: exitiûm examen rapit:
Advenit: *ecfera velivolantibus*
Navibus conplevit manus litora.

Sic uno impetu sine copulis animosi versus procedere debuerant. Vulgo, *et fera;* sed exquisitior venerandæ vetustatis orthographia nullo negotio *το* c in *t* converterit. Mamertinus, in geneth. Maxim. viii. 3. "Quid simile concitus eques, "aut *velivola navis?*" Ennius, Macrob. Sat. vi. 5.

Rapit ex alto *naveis velivolas.*

Unâ sed enim operâ tam sensum versiculi, quam metrum, restituamus:

Rapit *altom* naveis velivolas.

In his formulis præpositio passim prætermitti solet; quod librarium decepit: vide

1445 Propterea, quid sit prius actum, respicere ætas
Nostra nequit, nisi quâ ratio vestigia monstrat.
Navigia, atque agri culturas, mœnia, leges,
Arma, vias, vesteis, et cætera de genere horum
Præmia, delicias quoque vitæ funditus omneis,

nos, ad i. 834. ii. 124. et alibi; Sil. It. xiv. 599. ubi lapsus est et Heinsius. Idem Ennius, ibidem:

Quom procul adspiciunt hosteis adcedere ventis
Navibus velivolis——.

Reponendum aio, certissimâ conjecturâ:

——— hosteis adcedere, *vectos*
Navibus velivolis——:

conferas Virg. geo. i. 206. Æn. i. 121. et alibi. Ovidius, denique, ex Pont. iv. 5. 42.

Et freta *velivolas* non habitura *rates*.

Ibid. *propter odores:* i. e. "luxuriosissimas merces quaslibet." Eleganter utique, quod *odorum* orientalium maximus erat usus, et pretium maximum, Romanis; uti satis liquet plurimis ex scriptoribus: conferas modo velim, in re minime dubitandâ, Horat. od. i. 31. 10—16.

Ibid. *mare florebat.* Æschylus, Agam. 670.

Ὁρῶμεν ΑΝΘΟΥΝ ΠΕΛΑΓΟΣ Αἰγαίου νεκροῖς
Ἀνδρῶν Ἀχαιῶν, ναυτικῶν τ' ἐρειτιῶν.

Vide sis, si libeat, nostram Silv. Crit. i. p. 99.

Ver. 1442. *ac:* ita L. M. O. Δ. Π. Σ. Ω. et deamat voculam poëta noster; reliqui, *et.*—*fœdere:* Π. *tempore.*

Ibid. *pacto fœdere.* Virgilius, geo. iv. 158.

——— et, *fœdere pacto*,
Exercentur agris——.

Ver. 1444. *prius:* Δ. *post;* rectius, ut arbitror: nam solere homines versibus recitandis otium prius mulcere, quam literarum usus sit repertus, et per se vero simile est, et verum evincitur vel unius carminibus Homeri.

Ver. 1445. *actum:* P. *auctum;* receptam tamen lectionem idem memorat in notis.

Ver. 1446. *nequit:* V. ed. *nequid.*—*ratio:* Vind. V. ed. Π. Σ. Ω. *ratione.*—*monstrat:* Π. *monstrant.*

Ver. 1447. *agri culturas:* Vind. V. ed. O. *agriculturas.*

Ibid. *Navigia:* quorum inventionem magnâ cum elegantiâ ingenii Maximus Tyrius pedetentim persecutus est in diss. xii. 2. nec te, venuste lector! pigebit locum adiisse.

Ver. 1448. *et* omissum est in Vind. V. ed. Σ.

Ibid. *vias.* Convenit Tibullus, i. 3. 35.

Quam bene Saturno vivebant rege, prius quam
Tellus in longas est patefacta *vias!*

Ver. 1449. *vitæ funditus:* M. *vita effunditur.* Nempe, literâ *e* semel divulsâ, illa vox *effunditur* cito facta est ex depravatione *efunditus.*—*funditus:* Δ. *cultus et;* Π. *fonditus.*

Ibid. *præmia vitæ* sunt *commoda* atque *utilitates* vitæ, sine quibus *beate* duci nequit; *deliciæ* autem sunt ille *cultus* supervacaneus, sine quo *jucunde* duci nullo modo potest. Sic alibi plus semel Carus.

Ver. 1450. *ac:* ita solus Ω. vulgo, *et.*—*politus:* sic scribendum esse mihi lectionis varietas persuasit. *Politus* autem *usus* is est, qui politurum vel pariat, vel habeat, atque ad perfectionem aliqualem sit excultus. Vind. Π. Σ. O. habent *po-*

1450 Carmina, picturas, ac dædala signa, politus
Usus, et inpigræ simul experientia mentis,
Paullatim docuit pedetentim progredienteis.
Sic unum quidquid paullatim protrahit ætas

lito; V. ed. *politos;* M. *polita:* cæteri, *polire.* Locus, uti jam constitutus est, longe concinnior et venustior videtur nobis. Plinius, nat. hist. xxxiii. 45.—" in " speculis *usu politâ* crassitudine—."

Ibid. *Dædala signa.* De *Dædalo* et *signis* ejus omnia jam vulgata: operæ tamen pretium fuerit locum Euripidis illustrare, in Hec. 837. quum Porsonus aliique venustates ejus parum perspectas habuerint, lectionem longe ineptissimam MSS. propagantes, posthabitâ Musgravii verissimâ omnium emendatione:

Ει 'μοι γενοιτο φθογγος εν βραχιοσι,
Και χερσι, και ΚΟΡΑΙΣΙ, και ποδων βασει,
Η ΔΑΙΔΑΛΟΥ τεχναισιν, η θεων τινος'
'Ως παντ' ὀμαρτη σων ΕΧΟΙΤΟ γυνατων,
ΚΛΑΙΟΝΤ', επισκηπτοντα παντειως λογυς.

Nimirum, verbum ιχοιτο *membra* dicta respicit; κλαιοντ' autem, *oculos.* Et *Dædalum* posuit, quia ejus *statuæ* tam movere *pedes* et *manus* videbantur, quam *oculorum* usu frui. Vulgo, κομαισι: quæ dictio pessime alteram expulit ad Soph. Aj. 1209. vide Silv. Crit. sect. cxiii.

Ver. 1452. *progredienteis:* sic P. M. reliqui, *progredientes;* quam sane scripturam nequaquam deteriorem, imo meliorem, puto, utpote doctiorem, et magis Lucretianam, in hoc saltem loco, receptâ: vide ver. 534. sed has varietates passim noster exhibet.

Ver. 1454. *erigit:* ut arbor, vel quævis planta procerior, *erigitur* e telluris tenebris. Editores, contra libros veteres universos, repouunt *eruit,* ex ver. 1388. accersentes; exemplo sane scelestissimo, neque quod debeat homo cordatus incastigatum dimittere. Virgilius, ecl. vi. 63.

Tum Phaëthontiadas musco circumdat amaræ
Corticis, *aque* solo proceras *erigit* alnos.

Ita unus codex optime, et ipse meo marte emendaveram, pro vulgato *atque;* quod stare nullo modo possit: nam *solo erigere,* ni fallor, idem sonaret, quod *spe,* vel alio quolibet, *erigere;* contra poëtæ mentem.

Ver. 1455. *alid:* Vind. V. ed. O. Δ. Π. Σ. *aliud.*—*ex* abest Δ.—*videbant:* M. Δ. *videmus;* uti solent edere.

Ibid. *corde:* i. e. αγχινοια, sagacitate. Non alienus est Virgilius, geo. i. 123.

——— curis *acuens* mortalia *corda*———.

Ibid. *videbant clarescere, donec ad summum cacumen venere.* Videtur sermo venustissime translatus ab oriente sole, pedetentim progrediente, et ætherias arces tandem conscendente. Anthol. Lat. Burm. iii. 102. 2.

Summum ad gradum quum *claritatis veneris,*
Consistes ægre———.

Consimilis legitur in proverbiis Salomonis, iv. 18. comparatio, a *diluculo* in *plenum diem* sensim enitescentem derivata. Versio LXX viralium interpretum sic ibi castigatior scribenda est: 'Ας δε ὁδοι των δικαιων, ὁμοιως φωτι, ΛΑΜΠΟΥΣΑΙ προπορευονται· και φωτιζουσιν, ἑως ΚΑΤΟΡΘΩΣΕΙ ἡ ἡμερα. Vulgo, λαμπουσι et κατορθωσῃ· dissolute pariter ac solœce.

Ver. 1456. *Artibus.* Forte, *Partibus.* BENTLEIUS.—Egomet haud accedam.

Ibid. *summum cacumen:* ut i. 897. ii. 1129. et Seneca, Hippol. 1027. quem male habitum, et nemini intellectum, expeditiorem dabo:

In medium, ratioque in luminis erigit oras.
1455 Namque alid ex alio clarescere corde videbant
Artibus, ad summum donec venere cacumen.

——————— En ! totum mare
Immugit : omnes undique scopuli adstrepunt :
Summum cacumen rorat, expulso sale
Spumat, vomitque vicibus alternis aquas :

i. e. " cacumen scopulorum spumat aquis " superjectis, et eas alternis rejicit." Maronem utique voluit adumbrare tragicus, ad Æn. xi. 625.

Qualis ubi, alterno procurrens gurgite, pontus
Nunc ruit ad terras, *scopulosque superjacit undam*
Spumeus——.

Addas licet Apuleium, de deo Soc. p. 52. ed. Elmenhorstii :—" tacent nempe mutuo " duo illą sapientiæ Graiæ *summa cacu-* " *mina*, Ithacensis et Pylius—."

TITI LUCRETII CARI

DE RERUM NATURA

LIBER SEXTUS.

T. LUCRETII CARI

DE RERUM NATURA

LIBER SEXTUS.

PRIMÆ frugiparos fetus mortalibus ægris
Dididerunt quondam, præclaro nomine, Athenæ;

VER. 1. *frugiparos:* sic vetustissimi codices, ac sincerissimi, L. M. altera lectio, quæ glossatoris est, *frugiferos*, cæteros libros infelici consensu pervagata est. Solus omnium, quos legerim, Avienus vocem excepit, in Arat. 1053. cujus nitidissimi versus sic mihi videntur rescribendi:

His se bissenis sol admovet; *hisce* recurrens
Omnibus, absolvit totos reparabilis annos.
Quâ dum signiferi graditur sol aureus orbem,
Singula *frugiparos* attollunt Tempora vultus:

i. e. *quâ viâ*. Vulgo, *Quæ*, et *hisque*.

Ibid. *Primæ Athenæ frugiparos fetus Dididerunt.* Sic M. Tull. pro Flacco; Isoc. paneg. Aristid. Smyrn. in Panath. Diod. Sic. lib. xiii. Lambinus. His addas Ciceron. orat. 9. Ovid. met. v. Plat. Menex. Diod. Sic. v. 69. Justin. ii. 6. 5. ubi plura testimonia dant eruditi; et quem non?

Ibid. *frugiparos fetus:* i. e. culmos Cererem parientes. Virgilius et alii pari sensu vocem *fetus* adhibuere pro *ramusculo*, *surculo*, *propagine*, vel *plantari* demum quolibet.

Ibid. *mortalibus ægris:* conferas v. 942. Lucanus, ii. 5. *solicitis mortalibus;* Oppianus, cyneg. ii. 518. δειλοισι βροτων· post Homerum, Od. o. 407. et Virgilius ipsissimam phrasin Lucretii inseruit Æn. x. 274. et alibi:

Ille, sitim morbosque ferens *mortalibus ægris*,
Nascitur, et *sævo* contristat lumine cœlum.

Ita certissime prius rescripseram pro *lævo*, quam noverim Waddelium et Schraderum, quos Heynius et Burmannus memorant, mihi in hac elegantissimâ emendatione præivisse. Voces autem *sævus* et *lævus* librarii sæpius permiscuere: vide Drakenborchium, et quos ille laudat, ad Sil. It. v. 660. Jam vero *sævus* epitheton *Sirio*, vel *cani rabido*, convenientissime apponitur, ob *latratus* scilicet: adi Æn. v. 257. et imitationem Silianam, Pun. iii. 35. Val. Flacc. viii. 57. Lucan. i. 655. Ovid. art. am. iii. 504. quibus locis multi consimiles passim obversantur. Hoc quo-

Et recreaverunt vitam, legesque rogarunt;
Et primæ dederunt solatia dulcia vitæ,
5 Quom genuere virum, tali cum corde repertum,
Omnia veridico qui quondam ex ore profudit:
Quoius et exstincti, propter divina reperta,
Divolgata vetus jam ad cœlum gloria fertur.
Nam, quom vidit hic, ad victum quæ flagitat usus,

que Virgilianum Punicorum vates æmulari voluit, ad ii. 395.

——— clypeum *sævo fulgore* micantem—.

Ver. 2. *Dididerunt:* Vind. B. L. O. Ω. *Dii dederunt;* V. ed. *Diderunt;* M. *Dediderunt;* Π. *Dederunt.*—*præclaro:* V. ed. *præcharo.*—*nomine:* Δ. *munere;* errore suo non infelix.

Ibid. *Dididerunt:* i. e. *sparsim dederunt,* vel "undique per terram sparse-"runt:" apte et eleganter. Optime intellexit Heynius politissimus hanc dictionem redonandam esse Tibullo suo, ad i. 3. 7.

Non soror, Assyrios cineri quæ *didat* odores.

Nihil verius. Insulse libri, *dedat.*

Ver. 3. *rogarunt:* Π. *crearunt;* vitiose.

Ibid. *recreaverunt:* i. e. quasi *de novo creaverunt,* frugibus glandes atque ferum victum excipientibus, cultuque bene constitutæ societatis atque humanitatis disciplinis beluinam vitam emoventibus.

Ibid. *leges rogarunt.* Solennis est juridicialis formula, nemini non nota: vide Nonium, iv. 397.—Cæterum, Statius, Theb. xii. 501. ubi Barthius omnino consulendus, hos Lucretii versus intentis oculis intuebatur, ac feliciter illustrabit:

——— ipsos nam credere dignum
Cœlicolas, tellus quibus hospita semper *Athenæ,*
Ceu *leges, hominem*que *novum,* ritusque sacrorum,
*Semina*que, in vacuas hinc descendentia terras;
Sic sacrasse loco commune *animantibus ægris*
Confugium——.

Ver. 5. *Quom genuere:* Π. *Congenuere.*

Ibid. *genuere virum;* nempe, *Epicurum.* Suidas: Επικουρος, Νεοκλεους, Αθηναιος, Γαργηττιος τον δημον, μητρος Χαιρεστρατης. Diogenes Laërtius, x. 1. Επικουρος, Νεοκλεους και Χαιρεστρατης, Αθηναιος. Unde anecdota Græca Villoisoni corrigenda sunt.

Ver. 7. *et exstincti:* Δ. *inextincta.*—*exstincti:* Vind. V. ed. B. O. Ω. *exstincta;* Σ. *exstinctu.* Unde forsitan legendum:

Quoius *in exstinctu,* propter divina reperta—:

i. e. in obitu, vel post mortem; quam vocem ex Plinio lexica protulere, et glossæ veteres agnoscunt: "*Extinctus,* αποσ-"βεσις, σβεσις." Sed enim præstiterit, opinor:

Quoius, *inexstincti* propter divina reperta,
Divolgata vetus jam ad cœlum gloria fertur:

i. e. viventis post exstinctionem etiam, propter famam inventorum. Ovidius, trist. v. 14. 36.

Adspicis, ut longo maneat laudabilis ævo,
Nomen *inexstinctum,* Penelopæa fides.

In priore versu, codd. universi, uno excepto, dant *teneat;* unde rescribendum censeo:

Adspicis, ut *longom* teneat laudabilis *ævom*—.

Nihil tamen in nostro mutem, si modo codd. L. M. consentiant in vulgatis; quorum profecto diligentior collatio maxime foret utilis.

Ibid. *exstincti:* i. e. morte perditi, et ad nihilum redacti. Cicero, somn. Scip. 3.—"quæsivi tamen, *viveret*ne ipse, et "Paullus pater, et alii, quos nos *exstinc-"tos* arbitraremur—."

Ver. 8. *ad cœlum gloria fertur.* Sicuti prior Homerus, Od. I. 20.

10 Omnia jam ferme mortalibus esse parata,
Et pro quo possent vitam consistere tutam;
Divitias homines, et honore et laude potenteis,
Adfluere atque bonâ gnatorum extollere famâ;
Nec minus esse domi quoiquam tamen anxia cordi,
15 Atque animi ingratis vitam vexare querelis;
Caussam, quæ infestis cogit sævire querelis,

Ειμ' Οδυσευς Λαερτιαδης, ὁς πασι δολοισιν
Ανθρωποισι μελω· και μευ ΚΛΕΟΣ ΟΥΡΑΝΟΝ ΙΚΕΙ.

Ver. 10. Hunc versum præcedenti postposuere, vivorum audacissimi, Lucretiani editores, reclamantibus exemplis universis. Ordinem doctiorem, et ποιητικωτερον, similiter alibi invertere boni viri non erubuere: redi ii. 5.

Ver. 11. *pro quo:* i. e. *respectu cujus;* ita ut phrasis omnia, quæ sequuntur, complectatur. Sic autem pulchre scriptum est in V. ed. et nescio an deterius in Vind. B. O. *pro quâ:* i. e. "cujus *viæ* "respectu:" L. M. *per quam;* Δ. Σ. *per qua;* Ω. *pro quam;* vulgo, *per quæ;* haud dubie ex correctore.—*consistere:* Π. *consciscere;* ut in Junt. etiam; mendose: nam active noster posuit, ut non raro factum aliis in verbo simplice, pro *morari*, vel *facere consistere*, quasi in solido atque securo loco. Bentleius, ut alii, quorum sententiæ minime subscripserim, versum hunc pro adulterino et insititio habuerunt.

Ver. 12. Edi solet, nec male, si modo libri meliores faverent, ac vetustiores:

Divitiis homines, et honore et laude potenteis,
Adfluere, atque bonâ natorum *excellere* famâ.

Nostrorum constructio longe elegantior est: "Divitias adfluere homines, potentes et laude et honore; atque extollere "*eos* bonâ famâ natorum."—*Divitias* est in V. ed. *extollere* autem in B. O. Ω. Vulgatum *excellere* reperitur in P. Vind. Δ. Σ. sed Pius non raro ad arbitrium mutabat, unde forsitan acquisiverint Δ. Σ. et viri, cui acceptas referimus Vind. cod. varietates, ob negligentiam fides est sublestior: V. ed. L. M. Π. *excolere; t*, ut sexcenties, in *c* migrante.—*gnatorum:* sic P. V. ed. O. Π. Σ. Ω. vulgo, *natorum.*

Ibid. *laude potenteis.* Ut fere Maro, Æn. i. 531.

——— *potens armis*, atque *ubere* glebæ.

Ver. 13. *bonâ gnatorum famâ.* Similiter de *liberis* noster, in ii. 642.

Præsidioque parent, *decori*que, parentibus esse.

Ver. 14. *anxia cordi:* i. e. "quasi "sponte foveret ægritudines cor humanum;" adeo curis insessum tenebatur. Efficax est dicendi genus, et vulgatum *corda* multis parasangis post se relinquit: sic autem scriptum est in emendatissimis atque vetustissimis Vind. V. ed. B. L. M. O. Π. Ω.

Ver. 15. Versum exhibemus, et sermone elegantem, et facilem constructione, ad fidem antiquorum omnium exemplarium. Scelestissimi curatores hodierni carminum Lucretianorum ita ex arbitrio suo recoxerunt:

Atque *animum infestis cogi servire* querelis.

Ibid. *ingratis:* i. e. infructuosis; ut iii. 950.—Cæterum, versus, qui statim sequitur, vulgaribus editis exsulat, quamvis in libris omnibus antiquis conspiciatur. Nobis non licet ita pro imperio rem gerere; nec tamen ordinibus adscribi voluimus, ne numerorum ratio perturbaretur. *Caussam quæ* P. solus exhibet; reliqui omnes, *Pausa atque;* in quibus expediendis nihil promoveo.—*sævire:* ita Vind. O. Δ. Π. Σ. Ω. quod anteposui cæterorum *servire.*

Intellegit ibei; vitium vas ecficere ipsum,
Omniaque illius vitio conrumpier intus,
Quæ con læta foris, et conmoda, quomque venirent:
Partim, quod fluxum pertusumque esse videbat,
20 Ut nullâ posset ratione explerier umquam;
Partim, quod tetro quasi conspurcare sapore
Omnia cernebat, quæquomque receperat intus.

Hanc vocis exquisitiorem vim poëtæ scilicet frequentant. Virgilius, Æn. ii. 559.

At me tum primum *sævus* circumstetit *horror*.

Sic Rutilius, itin. i. 451. et Serenus Samonicus, ver. 166. *sævus dolor*. Addas Valerium, Arg. vi. 433.

Increpat et *sævis* Vulcanum mœsta *queretis*.

Ver. 16. *Intellegit*, pro recentiore *Intellexit*, ad vetustissimam haud dubie declinandi formam; ut *seligo*, *eligo*, et alia hujusce familiæ verba, simplicis terminationem non amittunt. Jam vero hæc est lectio sincerissima optimorum exemplorum L. M. nec discrepant, nisi per aberrationem longe facillimam, Vind. V. ed. Π. Σ. Ω. exhibentes *Intelligit;* unde conjectans veram lectionem sponte restitueram: vulgo, *Intellexit.—vas:* Vind. V. ed. O. Δ. Π. Σ. Ω. *fas*.

Ibid. *Intellegit:* i. e. "rem probe te-"nuit, et animo pervidit;" per secundarium sensum a primario pulchre procedentem: nam, quicunque cum selectione atque discriminatim legit, judicium adhibet, animique perceptionem. Virgilius, geo. ii. 366.

Carpendæ manibus frondes, *inter*que *legendæ:*

i. e. "non fortuito ac temerario impetu, "sed cogitate et pensitatim; ut *sciens* "quispiam et *peritus*." Errant lexicographi, qui differentiam inter *intellego* et *interlego* comminisci velint. De nonnullis exemplaribus, apud Tertullianum, ad uxor. ii. 6. veterum formularum dictionumque servantissimum, habemus:—"ubi fomenta fidei de scripturarum *in*-"*terlectione?*" pro communi *intellectione*. Vetus onomasticon: "Στοχασμος, con-"jectura, *interlectio*." At enim Lactan-"tii expositio re verâ meæ non discordat, div. instt. vii. 2. "Nam, si potest homo "intelligere divina, poterit et facere: "nam *intelligere* est quasi *e vestigio sub*-"*sequi*." Qui subsequitur enim, caute et cum judicio pressa signa pedibus præcedentis seligit, ac fideliter scienterque legit; inter omnes, quas videt, notas distinguens.

Ibid. *vas:* i. e. ipsum hominem: vide iii. 441. 554. 949. Et Pius recte monuit, consimile esse illud Horatianum, epist. i. 2. 54. hinc, ut opinor, derivatum:

Sincerum est nisi *vas*, quodcunque infundis, acescit.

Ver. 17. Et ipsum locum et orationis filum illuminabit Gellius, xvii. 19. longe depravatissimus, et sic, opinor, mendis expurgandus: "Ανθρωπε, πυ βαλλεις; "σκεψαι, ει κεκαθαρται το αγγειον· αν γαρ "εις την οικιαν αυτα βαλλης, ΑΠΗΛΛΟΙ-"ΩΤΑΙ, Η ΕΣΑΠΗ, η ιρον, η οζος, αν "γενοιτο, η τι τυτων χειρον. Nihil pro-"fecto his verbis gravius, nihil verius: "quibus declarabat maximus philosopho-"rum, literas atque doctrinas philosophiæ, "quum in hominem falsum atque dege-"nerem, tanquam in *vas spurcum* atque "pollutum, influxissent, verti, mutari, "*corrumpi*." Libri, απωλετο, ην σαπη.- *Conrumpier* autem in Caro valet *frustra fieri*, vel perdi; quum vox non minus *conspurcatum* vas respiciat, ver. 21. quam *pertusum*, ver. 19.

Ver. 18. *con læta:* i. e. læta conveni-

Veridicis igitur purgavit pectora dictis,
Et finem statuit turpedinis atque timoris;
25 Exposuitque, bonum summum, quo tendimus omnes,
Quid foret; atque viam monstravit tramite parvo,
Quâ possemus ad id recto contendere cursu:
Quidve mali foret in rebus mortalibus passim;
Quod flueret naturali, varieque volaret,

rent. Hæc est Bentleii emendatio pro librorum *collata*, vel *conlata*. Conjecerat Faber, *con grata;* sed recepta minus distant librorum vestigiis, et voces *lætus* ac *latus* sæpissime confundi solent: vide Drakenborchium, ad Sil. It. v. 178. Liv. vi. 1. 3. Quod objicit Preigerus, "Lucretium non adeo tmeses amavisse, ut "binas haberet in uno versu," id profecto vim non habet: videas notata ad ii. 720. v. 313.—*foris:* M. *foras.*—Sane minori mutatione factam conjecturam lectori propinare possum, si forte placeat:

Quæ conlata foris *e* conmoda quomque venirent:

i. e. *evenirent.* Et quæ sæpius confunduntur quam *e* atque *et?* sed fateor equidem, me conamen Bentleianum malle. Saltem vulgatis constructio proba non contigit.

Ver. 19. *pertusum:* ut iii. 949.—Lambinus. Confer etiam ibid. verr. 1016. 1017.

Ver. 20. *Ut:* P. *In.*—*umquam:* Π. *ante.*

Ver. 21. *conspurcare.* Verbum legitur in Columel. viii. 3. fin. Tertull. de idol. et alibi in eodem scriptore.

Ver. 23. *igitur:* Lactantius, vii. sub fin. *hominum;* vel memoriter citans, vel, quod potius existimem, perfectiorem ac planiorem sensum de solito volens efficere.

Ver. 24. *turpedinis:* i. e. fedorum atque inhonestorum affectuum, *turpium cupiditatum;* redi sis ad iii. 1007. Sic autem legitur quam proxime in uno MS. Lactantii, *turpidinis;* et in ejusdem sex exemplaribus, MSS. et impressis *torpedinis;* sicut in vetustis glossis *turpedo* conspicitur, et *turpido,* ναρκη scilicet, vice *torpedo:* M. et edit. Junt. exhibent *torpedinis.* Jam vix credibile est, librarios lectionem *cupedinis*, si in schedis suis invenissent, fuisse mutaturos: nam P. Δ. Σ. *cupedinis;* Vind. V. ed. O. Π. *cupidinis;* Ω. *cuppedinis,* ut edi solet.

Ibid. *finem statuit:* i. e. summum bonum et summum malum definivit.—— BENTLEIUS.

Vitruvius, præf. lib. vii. hos *fines* vocat *agendæ vitæ terminationes.*

Ver. 25. *quo tendimus omnes.* Librum scripsit Epicurus Περι Τελους. BENTLEIUS.

Ver. 27. *tramite parvo, recto cursu:* i. e. "viam *compendiariam*, nec *tortuosam*, hominibus monstravit." Editores insciti temerariique de suo dedere *prono*, vice *parvo* librorum veterum, *tramite:* Lactantius, l. c. *limite;* minus bene: sed codex unus, *tramite.* Quidam codd. ibid. dant *puro*, vice *parvo.*

Ibid. *viam monstravit tramite.* Gemellum Virgilii locum apponemus, Æn. i. 418.

Conripuere *viam* interea, quâ *semita monstrat.*

Ver. 27. *recto:* M. *recta;* nec multum displicet, ut *recta contendere cursu* sit *rectâ viâ currere:* sed recepta simpliciora sunt et clariora.—*contendere:* Σ. *concedere;* per usitatissimam nimirum elementorum *c* et *t* confusionem, quum exaratum esset *contēdere.*

Ibid. *contendere cursu.* Virgilius, Æn. v. 291.

—— qui forte velint rapido *contendere cursu:*

i. e. *unâ* certantes *cursum tendere.*

30 Seu casu, seu vi, quod sic Natura parasset;
Et quibus e portis obcurri quoique deceret:
Et genus humanum frustra plerumque probavit
Volvere curarum tristeis in pectore fluctus.
Nam, velutei puerei trepidant, atque omnia cæcis
35 In tenebris metuunt, sic nos in luce timemus
Interdum, nihilo quæ sunt metuunda magis, quam
Quæ puerei in tenebris pavitant, finguntque futura.
Hunc igitur terrorem animi, tenebrasque, necesse est

Ver. 29. *Quod flueret naturali:* i. e. naturali *fluxu*, vel *fluore;* nomine, ut fit sæpissime, intra verbum comprehenso: quibus formulis nihil doctius, planius, elegantius, aut magis Lucretianum. Et hujusce phraseos, quæ statim veniunt, pulchre sunt epexegetica, de ubertate poëtæ nostro valde familiari. Nulla est varietas in libris vetustis, præterquam quod Vind. V. ed. O. Δ. Π. Σ. Ω. dent *fuerit* pro *flueret;* Π *naturaï*, vice *naturali;* P. *viro atque*, loco *varieque;* ac Π. denique *Quid*, pro *Quod*. Jam vero insulsissimas et intempestivas doctorum hominum conjecturas, multimodis miserum versum discruciantium, piget pudetque dinumerare. In spongiam incumbant.

Ibid. Omnes MSS. *naturali*. Lege:

Quod flueret naturali *ratione*, volaret
Seu casu.

BENTLEIUS.

Eodem successu, quo priores emendatores; loco sanissimo medicinam inconsulte atque incontinenter facientes: quam fortunam nemo sæpius expertus est, quam noster Carus. Creechius αποτομως rem gerere volebat, versum delendum esse statuens. Ohe! satis.

Ver. 30. *sic natura:* L. M. *signatura;* Δ. autem, *sit natura*.

Ibid. *seu vi:* committas ver. 758. inferius.

Ver. 31. *Et e:* V. ed. Δ. *E e;* B. *E et.*

Ibid. *quibus e portis obcurri quoique.* Translatus est sermo ab usu castrensi militum; quod viri docti recte animadverterunt. Virgilius hac figurâ usus est, geo. iv. 78.

Ergo, ubi ver nactæ sudum, camposque patentis,
Erumpunt portis: concurritur æthere in alto;
Fit sonitus——.

Ita locus erat distinguendus; et voluit Heinsius *Se rumpunt*, pro *Erumpunt;* longe infelicissime.

Ver. 32. *Et:* Havercampus, *At;* ex arbitrio, sed inutiliter, et sine caussâ.—*probavit:* Π. *probaret.*

Ver. 33. *Volvere:* Vind. O. Π. *Vulnere;* L. M. Σ. *Volnere;* Ω. *Vulnerere.*

Ibid. *Volvere curarum tristeis fluctus.* Quemadmodum Catullus, nuptt. Pel. et Thet. 62.

——— magnis *curarum fluctuat undis:*

quæ Virgilius arripuit, Æn. viii. 19.

——— magno curarum fluctuat æstu.

In metaphorâ pervulgatâ non adjecissem Silium, nisi ut expurgarem mendâ, ad viii. 32.

Surge, age, et insanos *curarum* comprime *fluctus.*

Vulgo, *Perge;* sed hæc propria sunt incitantis verba, et a Virgilio, Æn. x. 241. desumpta. Conferas autem, non minus eleganter canentem, Val. Flacc. v. 303. et Hom. Il. I. 1—9.

Ver. 34. *atque:* Π. *velut;* perelegante varietate, nam sic versus pulcherrime processisset ασυνδετος.

Ver. 37. *finguntque:* V. ed. *fugiuntque.*—*in* abest Π.

Non radiei solis, nec lucida tela diei,
40 Discutiant, sed Naturæ species, Ratioque:
Quo magis inceptum pergam pertexere dictis.
Et, quoniam docui, mundi mortalia templa
Esse, et nativo consistere corpore cœlum;
Et, quæquomque in eo fiunt, fierique necesse est,
45 Pleraque dissolvi; quæ restant, percipe, porro:
Quandoquidem semel insignem conscendere currum
Ventorum excierat pacator, et omnia rursum,

Ver. 39. *radiei:* V. ed. *radiis.*

Ibid. *lucida tela diei.* Ex hac figurâ, uberius ad i. 148. illustratâ, pendet rectus Virgiliani sermonis intellectus ad geo. I. 395.

Nam neque tum *stellis acies obtusa* videtur :

i. e. mucrones telorum, quæ stellarum superficies jaculatur, non sunt hebetes.

Ver. 41. *pertexere:* quasi telam, ut alii sæpenumero vocem figurate adhibuerunt; Apuleius autem proprie, in met. xi. p. 758. " Multicolor, *bysso* tenui *per-* " *texta:*" nimirum, *vestis.*

Ver. 43. *Esse et:* Vind. V. ed. *Esse;* L. M. *E se.* Nempe, το ē, sic positum, facile elabi poterat.

Ver. 45. *Pleraque*, non *omnia;* quum semina, vel principia, quamvis omnigenos cœtus experiantur, et omnimodas mutationes subeant, nullis plagis, nullâ rerum vicissitudine, dissolvi queant. Jam vero contempleris, et præfractam editorum audaciam exsecreris, ita de libitu suo, contra libros omnes, distichum corrumpentium:

Et, quæcunque in eo fiunt, *fient*que, *necesse Esse ea* dissolvi——.

Ver. 46. *insignem currum.* Maro, Æn. vii. 655.

—— *insignem* palmâ per gramina *currum*——.

Ver. 47. In versu inquinatissimo librariorum mendis, ac deposito prorsus et conclamato, ad conjecturas erat modestas, quantum licuit, confugiendum; donec aliquis, vel ex ingenii thesauris, vel emendatioribus e membranis, inculpatiora prompserit. *Ventorum:* sic omnes libri; editores autem, *Vincendi*, nullâ literarum ratione habitâ.—*excierat pacator:* per quem sane *Epicurum* intellexerim; cujus operâ mare stratum ita pellexerat Lucretium, ut navem non timeret scandere, vela ventis committere, et in altum ferri. P. *exhortantur spes;* haud dubie ex arbitrio, quum nulla vestigia fere talium lectionum in optimis exemplaribus compareant: Vind. B. L. M. Ω. *exirtant placentur;* V. ed. *exucant placentur*, per commutationem *ir* et *u*, *t* et *c;* Δ. *exhirtant placentur.* Vulgo, *spes hortata est;* extra omnem veri similitudinem. Malis forsitan, *excierat placamen*, vel *excierant placamina;* sed res est incertissima, et nihil inde lucrifeceris.—*et:* P. Σ. *atque;* cæteris deest. —*omnia rursum:* editores, *obvia cursu;* ne uno quidem libro suffragante. Docti scilicet, qui Lucretii carmina curaverunt, injuriam fecerunt loco, non videntes venustatem translationis, et *currum* velle *navem.* Sic Catullus, lxiv. 9.

Diva quibus retinens in summis urbibus arces,
Ipsa levi fecit volitantem flamine *currum.*

Sic Græci, ἅλος ἵπποι, ἅρμα θαλασσης, πλωτη απηνη, et consimilia, de *navibus:* nos enim alibi in his commentariis rem attigimus.

Ver. 48. *furerent:* hoc arbitrarium est ex conjecturâ, ut recto talo stet figurarum concinnitas: P. V. ed. B. L. M. O. Δ.

Quæ furerent, sunt placato convorsa favore.
Cætera, quæ fieri in terris cœloque tuentur
50 Mortales, pavidis quom pendent mentibus, sæpe,
Et faciunt animos humileis formidine divôm,
Depressosque premunt ad terram; propterea quod
Ignorantia caussarum conferre deorum
Cogit ad inperium res, et concedere regnum;
55 Quorum operum caussas nullâ ratione videre
Possunt, ac fieri divino numine rentur.
Nam, bene quei didicere deos securum agere ævom,
Si tamen interea mirantur, quâ ratione

Π. Σ. Ω. *fuerint:* Vind. ut vulgo, *fuerant.* Ad ii. 593. *fuit* et *furit* confusa vidimus; *fuere* et *furere* commiscentur ad Liv. viii. 27. 2.—*sint:* editi, *sunt;* contra vetera exemplaria.—*placato:* V. ed. *placito.*—*favore:* vulgares impressi, *furore;* ne libro quidem uno ex vetustis addicente. Cum phrasi autem *placato favore* comparari potest *secundus favor* Senecæ, Hippol. 159. nec desunt alia multa in poëtis consimilia.

Ver. 49. Ordo et constructio sic se habent: "Quod ad cætera attinet, his li-"bris eventilanda, quâ terrestria, quâ cœ-"lestia; ea et exterrent animos homi-"num, et prosternunt affliguntque." Nimirum hæc, tam facilia et luculenta, minime pervisa sunt editoribus, contextum contra vim codicum immutantibus.

Ver. 50. *quom:* V. ed. *tamen;* ob similitudinem elementorum *c* et *t*, *u* et *n*: *tñ*, *cũ*.—*mentibus:* L. M. Δ. *montibus;* Π. Σ. *motibus;* quæ dictio cum *montibus* confundi solet: me videas ad Virg. geo. i. 475.

Ver. 51. *Et faciunt:* antiqua Pii exemplaria, *Efficiunt;* et profecto probabilitatem habet, lectionem nostram ab orthographiâ antiquiore profluxisse, *Ecfaciunt* scilicet. Nostris codd. nihil dissentit Lactantius, locum proferens in div. instt. ii. 3. et in epit. cap. xxv. quem in transitu emendabo: "Quod, si sursum oculos su-"os tollerent, ac Deum intuerentur, qui "eos ad adspectum cœli suique excitavit, "nunquam se curvos et humiles facerent "terrena venerando; quorum stultitiam "Lucretius graviter incusat, dicens: *Et* "*faciunt—: qua reddunt. Nec* intelli-"gunt, quam vanum sit ea timere quæ "feceris—." Lege, "*quâ re delirant;* "nec intelligunt—." Certissime, ni fallar; et more Lucretiano, quem Lactantius observaverat diligentissime.

Ibid. *faciunt humiles.* Ad verbum Græce, πτηξασθαι ποιουσι: quam phrasin alibi plus semel illustratam dedimus.—Mox Ω. *Depressoque.*

Ver. 52. *Depressos premunt.* Hanc gemellarum dictionum societatem, quâ rem describeret efficacius, poëta noster haud aversatus est, et hujuscemodi locutiones in præcedentibus frequentavit: vide iii. 743. iv. 1064. v. 483. Nec Ovidio talia subinde displicuerunt, atque castioribus etiam Ovidio. Sic autem ille, amor. i. 13. 14.

Miles et *armiferas* aptat ad *arma* manus.

Quæ tamen in vetustioribus poëtis ferenda potius atque condonanda putem, quam laudanda nobis et imitanda.

Ibid. Omnino vide iambos Critiæ apud Sextum (adv. phys. ix. 54.) Democritus: Ὁρωντες τα εν τοις μετεωροις παθηματα, οἱ παλαιοι των ανθρωπων, καθα περ βροντας και

Quæque geri possint, præsertim rebus in illis,
60 Quæ supra caput ætheriis cernuntur in oris,
Rursus in antiquas referuntur religiones,
Et dominos acreis adsciscunt, omnia posse
Quos miseris credunt; ignarei, quid queat esse,
Quid nequeat; finita potestas denique quoique
65 Quâ nam sit ratione, atque alte terminus hærens:
Quo magis errantes cæcâ ratione feruntur.
Quæ nisi respuis ex animo, longeque remittis
Diis indigna putare, alienaque pacis eorum;
Delibata deûm per te tibi numina sancta

αστραπας, κεραυνες τε και αστρων συνοδους, ηλιου τε και σελληνης εκλειψεις, εδειματουντο, θεους οιομενοι τουτων αιτιους ειναι. BENTLEIUS. Confer Horat. od. iii. 5. 1.

Ver. 53. *conferre:* Ω. *confiteare.*

Ver. 54. *regnum:* Π. *regni.* Et ponunt editores *et* ad finem versûs, consecutionis gratiâ, ad constructionem promovendam; sed contra veterum exemplarium fidem tamen, etsi fraudem collator Vindobonensis negligentissime propagaverit.

Ver. 56. *ac:* P. *has;* vulgo, *hæc*, contra libros.

Ibid. Apage ταυτολογιαν. Inepte huc inferti sunt hi duo versus ex ver. 89.—BENTLEIUS.

Non contemnenda est acutissimi viri crisis; sed plura sunt hoc genus in Lucretio, minime illi pro spuriis abjudicanda.

Ver. 57. Horum carminum seriem jam legimus, ad v. 83. quo lectores amandandi sunt.

Ver. 60. *supra:* sic V. ed. O. Δ. Π. Σ. Ω. vulgo, *supera;* ut P. Vind. quibus in re lubricâ minime fidendum; L. M. saue *super ad*, sed a secundâ manu.

Ver. 62. *adsciscunt:* V. ed. *addiscunt;* Δ. *adsistunt.*—Cæterum, Δ. *domino sacris*, et Σ. *divos acris:* quæ varietates vix dignæ sunt, quibus chartam et tempora impendas.

Ver. 63. *miseris:* sic Vind. V. ed. M. Ω. gratâ cum varietate, et multum charâ Lucretio. Vulgo, *miseri.* Passim similiter adhiberi solet verbum *posse* elliptice, alio infinitivo subintellecto; cujus exempla lexicis suppeditantur.—*ignarei:* Ω. *ingnari;* castissime: et recte fecissem, opinor, si scripturæ antiquum morem in hac voce ac cognatis per opus omne servavissem.

Ver. 65. *terminus:* V. ed. *cernimus;* quæ nihil discrepant, si c et *t* permutes.

Ver. 66. *cæcâ ratione:* ita P. V. ed. B. L. M. O. Ω. vulgo, *totâ regione;* multo minus eleganter.

Ibid. *totâ regione.* Lege:

——————— totâ *a ratione* feruntur.

Vide v. 23. BENTLEIUS.

Non est, quare libros optimos repudiemus.

Ver. 67. *que* abest Δ. et Vind. Π. Σ. *remitti.*

Ver. 68. *putare:* i. e. το *putare;* ut nominis officio scilicet post verbum *remittis* infinitivus modus fungatur: quo nihil doctius, venustius, aut magis Lucretianum. Editores, qui per fas nefasque ruere non dubitaverint, dummodo Lucretium suis sordibus conspurcarent, ausi sunt ex arbitrio reponere *putando:* quod Gratiæ aversantur.

Ver. 69. *Delibatá:* sic, quantum intelligere valeam, et inspexerim, libri veteres universi, præter M. qui dat *Deliberata;* unde facile est cuivis exsculpere *Delibra-*

70 Sæpe oberunt: non, quo violari summa deûm vis
Possit, ut ex irâ pœnas petere inbibat acreis;
Sed, quia tute tibi, placidâ cum pace quietus,
Constitues magnos irarum volvere fluctus;
Nec delubra deûm placido cum pectore adibis:
75 Nec, de corpore quæ sancto simulacra fuerunt,
In menteis hominum divinæ nuntia formæ,

ta: sed non caussa est, ob quam recepta velimus immutare.—*per te:* V. ed. *parte.* —Conferas autem dicta ad iii. 24.

Ver. 70. *oberunt:* i. e. "*ob* os tibi "*erunt;* et, quasi minitantia, vultus sæ- "vos a cœli regionibus ostendent." Elegantissime: compares imaginem venustate pari, ac sublimitate, nec non gemellam prorsus, ad i. 64—67. Et lector lepidus nasutusque singulare dictionis *obesse* exemplum in primariâ ejus significatione, haud alibi temere visendum, sedulo observet velim: quum vero hæc oppositio, et sui in oculos alienos ingerendi importunitas, plerumque sit hostiliter animati, et injuriam meditantis; in proclivi est intelligere, quam leniter hoc verbum ad sensum *nocendi* delabatur. Interea, nihil liquidius, quam nos sincerissimam scipturam eruisse; quum exquisitius vocabulum librariis et editoribus pariter imposuerit in hoc loco: nam membranæ et editi veteres ad unum habent *oderunt*, præter P. qui *aderunt;* unde hodierni editores exceperint: sed extemplo jures hoc esse recentis correctoris facinus. Qui capiant aliter Virgilianam phrasin, ad geo. i. 374. nec scienter politissimum artificem degustant, et egregie falluntur:

——— Numquam inprudentibus imber
Obfuit:——

i. e. "Imber nunquam illis *obversatus est,* "vel *se coram dedit,* qui non poterant, "ope cœlestium signorum, satis provi- "dere ante, ac præcavere." Nihil planius; ut mireris merito doctorum inficetias, subtilia ὁλῳ θυλακῳ prorsus intempestive prodigentium.—*quo:* P. *quod;* unde editores intulerunt: valde, ut arbitror, inscite.

Ibid. *violari deûm vis.* Appositus est Mantuanus, ad Æn. xii. 797.

Mortalin' decuit *violari volnere divum?*

Ver. 71. *ex irâ:* Vind. *ire;* V. ed. O. Δ. Π. Σ. Ω. *exire.*—*inbibat:* Vind. *inibat;* V. ed. Δ. Π. Σ. *inhibat.*

Ver. 72. *quietus:* i. e. "nihil caussæ "re verâ habens, ob quam discrucieris, "ac conturberis." Editores scribunt ex libitu, *quietos;* item bene: quum tamen veterum omnium librorum lectio probum sensum præbeat, equidem poëtæ fines fatales quosdam sermonis præscribere non ausim, quorum cancellos haud liceat prætergredi. Jam vero varietatem quamlibet, argumento concessam, nemo studiosius affectat nostro.—Cæterum, loci mentem proxime attingit gravissima querela Jovis in Homero, Od. A. 32.

Ω ποποι, οἷον δη νυ θεους βροτοι αιτιοωνται·
Εξ ἡμεων γαρ φασι κακ' εμμεναι, οἱ δε και αυτοι
Σφῃσιν ατασθαλιῃσιν ὑπερ μορον αλγε' εχουσιν.

Ibid. *placidâ pace quietus.* Quemadmodum ferme Virgilius, Æn. i. 249.

——— nunc *placidâ* conpostus *pace quiescit.*

Ver. 73. *volvere:* Δ. *vulnere;* i. e. *volnere.*—*fluctus:* Vind. V. ed. L. M. Δ. Ω. *fletus;* unde verissimum putassem *flatus,* ut Sil. It. xvii. 120. Virg. Æn. xi. 346. nisi vates idem obstitisset, ibid. xii. 831. hinc sua mutuatus:

Irarum tantos volvis sub pectore *fluctus?*

Fluctus et *flatus* confusa sunt ad Lucan.

Subscipere hæc animi tranquillâ pace valebis.
Inde videre licet, qualis jam vita sequatur;
Quam quidem ut a nobis ratio verissima longe
80 Rejiciat, quamquam sunt a me multa profecta,
Multa tamen restant, et sunt ornanda politis
Versibus; et ratio superûm, cœlique, tenenda;
Sunt tempestates, et fulmina clara canenda;

ii. 457. v. 459. Claud. bell. Gild. 513. atque alibi in aliis scriptoribus.

Ver. 75. *simulacra fuerunt:* i. e. "nec "valebis tranquillâ mente ea simulacra "contemplari, quæ primitus ad veras de-"orum figuras sunt expressa:" vide v. 1168—1174. Viri docti non intellexerunt locum; et inde arripuerunt avidissime lectionem P. *feruntur*, haud dubie malâ fraude importatam, quamvis nonnihil faveat depravatio V. ed. nempe *ferunt*, elapso *u*. In his autem versibus Lucretius de populari potius opinione loquitur, quam suâ, et Epicureorum persuasionibus.

Ver. 76. *In menteis hominum* potes accipere pro *In mentibus*, ad frequentissimam poëtis formularum conversionem, et cum præcedentibus conjungere; vel, ut structura sit, *nuntia in menteis*, pro vulgari *nuntia ad mentes:* quæ ratio nobis potissimum arridet.

Ibid. *Subscipere valebis:* i. e. Quotiescunque solennibus sacris delubrorum dabis operam, animus non vacabit a perturbationibus, quæ vulgus superstitiosum inquietant, et sunt homine docto, atque præceptis philosophiæ imbuto, indignissimæ.

Ver. 80. *Rejiciat:* Σ. *Reiciat;* me vehementer probante.—*profecta:* Vind. *profata;* quæ tamen varietas collatori potius ignavissimo imputanda est, temerariam editorum lectionem propaganti, quam membranis, uti suspicor.

Ibid. *Rejiciat a nobis.* Simile regimen est Virgilio, in ecl. iii. 96.

Tityre, pascentis *a flumine reice* capellas.

Ibid. *profata.* Omnes codd. *profecta.* Optime. C. Nepos in Attico: "P. vero "Volumnio ea tribuit, ut plura *a patre* "*proficisci* non potuerint." BENTLEIUS.

Ver. 82. *superûm cœlique:* ita scriptum est in O. Ω. nec variant Vind. L. M. nisi quod habeant *cœlis*, vitiose: P. V. ed. *cœli speciesque;* Δ. *cœli terræque;* Π. *cœlisque*, omissis reliquis; Σ. *cœli sit quæque.* Nimirum, *το superûm*, pro *rerum superarum*, videtur scribis illepidis injecisse scrupulum; quod demiror: vide i. 128. Cicero, Acad. ii. 41.—"humana "despicimus; cogitantesque *supera* atque "*cœlestia*, hæc nostra, ut exigua et minu-"ma, contemnimus." Et ibid. paullo superius, sect. 39.—"cœlum, solem, lu-"nam, stellas, *supera* denique *omnia*—."

Ver. 83. *fulmina clara:* L. M. Ω. *flumina clara;* redeas annotata ad i. 1002. hinc enim suspiciones nostræ de illo loco non mediocriter juvantur.—*canenda:* Δ. *cavenda.*

Ver. 84. *quomque*, vel *cunque:* sic P. V. ed. B. O. Δ. Σ. Ω. vulgo, *quæque;* Π. *quaque.*

Ver. 85. *trepides:* Vind. O. Π. Σ. Ω. *trepidas;* Δ. *trepidans.*—Et ordo est: "Ne, amens (i. e. animi consternatus et "vacuefactus) partibus cœli divisis (ut "Virg. Æn. xii. 776.) trepides, unde "ignis—:" i. e tremebundus cogites atque inquiras. Horatius, od. ii. 11. 4.

——————— nec *trepides* in *usus*
Poscentis ævi pauca:

i. e. "anxius ac festinabundus animum "ad ἀναγκαιας vitæ χρειας advertas." Nam sic scribendum puto, vice *usum*.

Quid faciant, et quâ de caussâ quomque ferantur;
85 Ne trepides, cœli divisis partibus amens,
Unde volans ignis pervenerit, aut in utram se
Vorterit hinc partim; quo pacto per loca sæpta
Insinuarit, et hinc dominatus ut extulerit se.
Quorum operum caussas nullâ ratione videre
90 Possunt, ac fieri divino numine rentur.
Tu mihi, supremæ præscripta ad candida callis
Currenti, spatium præmonstra, callida Musa,

Ver. 86. *utram:* V. ed. pro var. lect. *vitam.*—Cæterum, quum poëta non faciat ignem *usque ad* hominem *venire*, aut ante pedes ejus decidere, nullus dubitem, quin scripserit:

Unde volans ignis *provenerit*——.

Ob scripturæ brevitatem scilicet non *pro* et *per* tantummodo passim permutari solent, sed integræ voces etiam *pervenio* et *provenio:* vide quæ nos olim dedimus ad Virg. geo. iii. 87. minime pœnitenda.

Ver. 87. *partim:* sic optime M. O. Σ. antiquiorem ad orthographiam, ut in *turrim*, *navim*, et aliis quibusdam mansit diutius; vulgo, *partem:* progredere ad ver. 383.

Ibid. *hinc*, δεικτικῶς: sed malim tamen egomet *hic;* ut infra legitur, ver. 383. et *nunc* etiam Π. codex.

Ver. 88. *dominatus:* i. e. maximo cum impetu perrumpens, ut victor, et *regnum* quasi *possidens:* redi ad ii. 957. Virgilius, geo. i. 154.

Infelix lolium, et steriles *dominantur* avenæ:

i. e. latissime imperium propagant, segete prorsus devictâ depressâque. Idem ibid. ii. 307. de *igne dominante:*

Per ramos *victor*, perque alta cacumina, *regnat:*

quem subsequitur Prudentius, hamart. 734. de *flammis Sodomiticis*, non invenuste:

——————— nec, pone reflexo
Lumine, *regnantes* per mœnia cerneret *ignes:*

ut prior Gratius, cyneg. 463. qui fortasse rescribendus est, ad formulam Lucretio nostro maxime familiarem:

Hic, mora si medias exedit noxia fibras,
His lave præsidiis, adfectaque corpora mulce,
Regnantem excutiens *morbum.*

Vulgo, *Nec*, *Hæc*, vel *His:* omnia perperam.

Ver. 91. *supremæ:* Π. *summæ.*—*præscripta:* L. *præscribito;* M. *præscribita;* unde forsitan genus antiquissimum Lucretius orthographiæ servaverit, *præscribta:* vide Priscian. lib. i. fin.—*ad:* P. V. ed. B. *et;* M. O. Δ. Π. Σ. Ω. *ac.*—*callis:* B. *collis;* Π. *talis;* editores ex arbitrio, *calcis:* audacter, invenuste, inutiliter, inscite.

Ibid. *candida callis:* ut *vera* et *ardua viaï*, *strata viarum*, et centum similia in Lucretio atque aliis. Lambinus opportune Senecam excitavit, epist. cviii.—"hanc, quam nunc in Circo cretam vo-"camus, *calcem* antiqui vocabant:" nempe, quia *cretâ*, vel *calce*, meta linebatur. Neque Virgilius nullis oculis hos versus Lucretianos videtur adspexisse, in geo. ii. 39.

Tuque ades, inceptumque unâ decurre laborem,
O! decus, o! famæ merito pars maxuma nostræ,
Mæcenas——.

Mox autem *præscripta* primarium et maxime proprium sensum obtinet; *in* cujus *fronte* scilicet candida est *notatio*. Cæterum, idem vates Mincianus, ad geo.

Calliope! requies hominum, divômque voluptas:
Te duce, ut insigni capiam cum laude coronam.
95 Principio, tonitru quatiuntur cærula cœli,
Propterea, quia concurrunt, sublime volantes,
Ætheriæ nubes, contra pugnantibus ventis.
Nec fit enim sonitus cœli de parte serenâ;
Verum, ubiquomque magis denso sunt agmine nubes,
100 Tam magis hinc magno fremitus fit murmure sæpe.
Præterea, neque tam condenso corpore nubes

iv. 117. in diversâ quidem, sed non minus elegante tamen, translatione versatur: quem adeas.

Ver. 93. His comparanda sunt, quæ in i. 1. leguntur.

Ver. 94. *insigni laude:* contra libros, *insignem* dederunt editores, nequissimi et audacissimi rerum. Virgilius, Æn. i. 625.

Ipse hostis Teucros *insigni laude* ferebat.

Ver. 95. Horum phænomenôn caussas varias recensuit Epicurus apud D. Laërtium, x. 100. qui consulendus est; hinc enim sua Lucretius derivavit, et lectoribus, opinor, eruditis

Gratius ex ipso fonte bibentur aquæ.

Ibid. *tonitru quatiuntur cærula cœli.* Magnifice pariter Manilius, i. 99.

Nubila cur tanto *quaterentur* pulsa *fragore.*

Et Valerius Flaccus, i. 82. castissimus poëta:

——————— turbidus atro
Æthera cæruleum quateret cum Jupiter *imbre:*

ubi conjecturis abstinendum est. Nec Mantuanus etiam huic argumento alienus, Æn. vii. 143.

Heic pater omnipotens ter cœlo clarus ab alto
Intonuit; radiisque ardentem lucis et auro,
Ipse, manu *quatiens*, ostendit ab æthere *nubem.*

Ver. 96. *sublime volantes.* J. Obsequens, de prodigg. cap. ci. " Romæ in-

" terdiu fax *sublime volans* conspecta:" i. e. " aëra percurrens, non decidens ad " terram." Mirum est opere quanto Schefferus ad locum æstuaverit. Idem Obsequens, cap. cv. ita scribendus est, et distinguendus: " Fax, ardens Tarquiniis " *alte* visa, subito lapsu cadens." *Alte* autem, *in cœlo:* libri, *late;* solitam per aberrationem.

Ver. 97. *Ætheriæ nubes.* Maximus Tyrius, xiv. 7. Ὡς ΝΕΦΗ ΑΙΘΕΡΙΑ, ὑποδραμοντα την ἡλιȣ ακτινα, απεκρυψεν αυτȣ το φως—. Aliter scriptum est εν αιθερι, et αιθερι· legendum igitur, Ὡς νεφη ΕΝΑΙΘΕΡΙΑ—.

Ver. 99. *denso agmine.* Virgilius, Æn. ii. 450.

——————— has servant *agmine denso.*

Ver. 100. *hinc:* Π. *hic;* non male.

Ibid. *magno murmure.* Pariter ille Mantuanus, itidem de *fulmine*, Æn. iv. 160.

——— *magno* misceri *murmure* cœlum——.

Ibid. *fremitus murmure;* regredere ad v. 1192. et confer Stat. silv. iii. 2. 72. Catullus, lxiii. 82.

Face cuncta mugienti *fremitu* loca *retonent.*

Ver. 101. *nubes:* sic P. O. sed optimorum librorum dissimilitudines liquidissimum faciunt, aliam vocem quampiam in versu Lucretio relictam esse: Vind. *in ire;* V. ed. L. M. Π. Σ. Ω. *mire;* Π. *miræ.* Mea fert opinio, transpositis ab lite-

Esse queunt, quam sunt lapides, ac tigna; neque autem
Tam tenues, quam sunt nebulæ, fumeique, volantes.
Nam cadere aut bruto deberent pondere pressæ,
105 Ut lapides; aut, ut fumus, constare nequirent,
Nec cohibere niveis gelidas, et grandinis imbreis.
Dant etiam sonitum patuli super æquora mundi,

ris peccatum provenisse, et probabiliter me sic emendaturum:

——— neque tam condenso corpore *firmæ:*

sed lubrica res est, et emaculatas membranas postulat, vel critici felicioris sagacitatem; cui trado libens lampada.

Ver. 102. *lapides:* Vind. *popides;* O. Δ. Π. Σ. Ω. *pepides:* nec dubito equidem, quin vox illa sit antiquissima quæpiam jam ignoto sensu, et diu desueta scriptoribus; unde cum vulgari scribæ mutavere germanissimam poëtæ dictionem. Puto fuisse quandam *ligneam materiem:* aliter enim posuisset noster generale nomen *ligna*, vice specialis *tigna;* quæ lectio sane conspicitur in P. V. ed. libris.—*ac tigna;* Δ. *ac rigna;* Π. *agnigna.*

Ver. 103. *tenues nebulæ fumeique volantes.* Maro delibavit versum, in geo. ii. 217.

Quæ *tenuem* exhalat *nebulam, fumosque volucris.*

Ver. 104. *aut bruto:* P. Π. *abrupto;* quod multis placuit horum carminum curatoribus, sed immerito: nam plurium et optimorum exemplorum scripturâ, quam exhibemus, nihil aptius, aut elegantius. Festus: "*Brutum* antiqui *gravem* dice-"bant." Arnobius, lib. iv. p. 201.—"quod in primigenio corpore *iners* fuerit "et *brutum.*" Horatius, od. i. 34. 9. habet, *bruta tellus:* i. e. "inerti pondere "gravis, et immobilis."—Porro, P. dat *pressi*, ad *lapides* referendum, vice *pressæ:* cui non assenserim.

Ibid. *pondere pressæ.* Lego, *pondere fessæ.* Profecto non premuntur *alieno* pondere, sed fatigantur *suo;* et proinde delabuntur. Ad rem Valerius Flaccus, i. 831.

Ingenti jacet ore Chaos, quod *pondere fessam*
Materiem, labsumque queat consumere mundum.
BENTLEIUS.

Viro summo non male responsum dederit unus Ovidius, ex met. i. 30. his verbis:

Densior his tellus elementaque grandia traxit,
Et *pressa est gravitate sui*——.

Ver. 106. *gelidas:* V. ed. B. *gelidos.*—*et:* O. *aut.*

Ibid. *gelidas niveis.* Accius, in Cic. T. Q. i. 28.

——————— horrifer
Aquilonis stridor *gelidas* molitur *niveis.*

Ver. 107. Una operâ morem fulminis noster declarat, et nubes non esse tenui prorsus atque molli texturâ.

Ibid. *æquora mundi.* Similiter Accius in Atreo, apud Nonium Marcellum, x. 4.

Sed quid, tonitru turbida torvo
Concussa, repente *æquora cœli*
Sensimus sonere?

Ver. 108. *theatris:* quidam codd. Pii, *trachelis;* de quibus videas Macrob. Sat. v. 21. init. In hanc equidem scripturam propendeo: quamvis enim obstare videatur ipse Lucretius, ad iv. 74. parallelum in primis locum, et ipse locutiones suas varietate studiosissimâ concinnare soleat, atque vox *trachelis* ea sit, quæ neque sponte librariis in cerebrum venisset, neque, si in codicibus compareret, non esset eorum importunitati maxime obnoxia; nihil tamen, cæteris libris consentientibus, nos voluimus in re incertissimâ novare.

Ver. 109. *malos:* sic L. M. Π. et quidam Pii codices; P. V. ed. pro var. lect. *muros;* Vind. V. ed. B. Δ. Ω. *matos;* O.

Carbasus ut quondam, magnis intenta theatris,
Dat crepitum, malos inter jactata, trabesque.
110 Interdum, perscissa furit petulantibus auris,
Et fragileis sonitus chartarum conmeditatur;
Id quoque enim genus in tonitru cognoscere possis:
Aut, ubi subspensam vestem, chartasque volanteis,

in altos; Σ. *magnos.—jactata:* Π. *agitata.*

Ver. 110. *petulantibus:* Vind. *petviantibus;* Δ. *petiantibus;* Σ. *petvantibus;* et in margine, *petiviantibus.—auris:* editorum impudentia, *Euris;* contra libros. Profecto legendum est *Austris;* ut mox Maro. Hæ autem voces confusæ sunt ad Ovid. met. I. 107. ubi videas Burmannum.

Ibid. *perscissa:* i. e. *nubes;* ut mox in ver. 137.

BENTLEIUS.

Optime: sic noster passim variat.

Ibid. *petulantibus auris:* i. e. ανεμοις αναιδεσι, vel *violentissimis:* quibus enim *pudor* non obstat, ii per omne fas nefasque defrenato cum impetu feruntur. Sic Homerus, Il. Δ. 521. λαας ΑΝΑΙΔΗΣ· *ingens et incitatus.* Hesychius: Ασελγης· μεγας, η σφοδρος· ως Πλατων ασελγοκερων τον μεγαλοκερων· i. e. κριον· *arietem cornibus petulantibus;* vide lexicographum in κριος ασελγοκερως, et Græcos paræmiographos. Ita Virgilius, *improbus anser,* geo. i. 119. Silius, *improba puppis,* Pun. xiii. 761. et alii: sed, ni fallimur, rem alicubi tetigimus in his notis; jam nunc igitur manus abstinendum est, ne simus supervacanei. Omnino similiter, mutatâ licet voce, Mantuanus dixit "*procacibus* Austris," ad Æn. i. 536. huc respiciens. Glossæ veteres: "*Petulans,* ιταμος, προπετης, αυθαδης, ὑβριστης." Eædem: "*Procax,* αυθαδης, ιταμος, προπετης, ὑβριστης." Cum his omnino compares velim Nonium, i. 89.

Ver. 111. *sonitus* deest Vind. V. ed. Δ. Π.

Ibid. *conmeditatur;* i. e. exercet, (ut Pius recte interpretatus est;) vel *imitatur,* (vide nos mox, ad ver. 307.) sensu secundario, et per ductum facilem proclivemque derivato. Recte non minus editor nuperus Prudentii, in commentario ad cathem. x. 124. "*Meditari* est *moliri:* "nam, qui meditantur, proximi sunt, ut "efficiant." Similiter prorsus Virgilius, in ecl. i. 2.

Sylvestrem tenui musam *meditaris* avenâ:

i. e. exprimis, exerces, effers. Atque ex *fragiles sonitus* Lucretii eundem Maronem decet interpretemur, ibid. viii. 82.

——— *fragilis* incende bitumine *lauros:*

i. e. "ita crepitantes in flammis, ut so-"lent reddere crepitum quæpiam inter "*frangendum* res." Quod et aliis animadversum video. Hinc denique pendet ejusdem Mantuani mens, geo. i. 76.

——————— tristisque lupini
Sustuleris *fragilis calamos,* sylvamque *sonantem:*

i. e. *fragiles* edentem *sonos;* ob ariditatem scilicet. Silius Italicus, sui Maronis fidissimus cultor et interpres, his lucem inferet, ad xiii. 672.

——————— octava terebat
Arentem culmis messem *crepitantibus* æstas.

Ver. 112. *Id quoque:* V. ed. *Idque.*

Ver. 113. *chartasque:* sic, suaviore sono, P. V. ed. O. Σ. Ω. Vulgari solet, *chartasve.*

Ver. 114. *plangunt:* P. V. ed. B. Ω. *planguent;* cui favent Vind. O. Δ. Π. dantes, *plangent:* quum vero nulla alibi hujusce formæ vestigia deprehendere quiverim, vulgatam lectionem solicitatam nolui.

Verberibus ventei vorsant, planguntque per auras.
115 Fit quoque enim interdum, non tam concurrere nubes
Frontibus advorsis possint, quam de latere ire,
Divorso motu radentes corpora tractim;
Aridus unde aureis terget sonus ille, diuque
Ducitur, exierunt donec regionibus artis.
120 Hoc etiam pacto, tonitru concussa videntur

Ibid. *Verberibus ventei plangunt:* adi notata in i. 273. v. 110. Non aliter Columella, x. 75.

Verberibus gelidis, iræque, obnoxia *Cauri:*

ubi Lucretium laudant interpretes. Nec non Valerius Flaccus, i. 639.

Illam huc atque illuc nunc torquens *verberat Eurus*——.

In cumulum veniat Boëtius, lib. i. met. 3.

Hanc si Threïcio *Boreas* emissus ab antro
Verberet, et clausum reseret diem——:

sed amove ocyus putidam vocem, ponendo:

——— et *clarum* reseret diem.

Ibid. *ventei vorsant.* Virgilius, Æn. vi. 362.

Nunc me fluctus habet, *versant*que in litore *venti:*

i. e. " Me venti huc illuc volvunt jacen-" tem in margine maris, nunc cadaver " resorbentis, nunc autem in litus exspu-" entis." Heinsius igitur inscitissime prætulit *in litora.* Sed enim Virgilii mentem nihil aptius declaraverit loco Euripidis, Hec. 28. Maroni non inobservato; quem Heynius erudite contulit.

Ver. 115. Ante *non*, editores temerarii et indocti vanissimum supplementum, voculam *ut*, ingerunt, libris vetustis reclamantibus: vide nos, i. 30. v. 834. Ita sæpissime Apuleius, monente id subinde Oudendorpio, atque correctores inscitos castigante.

Ver. 117. *motu radentes:* V. ed. *motura dentes.*—*tractim:* ita codd. optimi L. M. quibus ducibus viri docti probe posuerunt *corpora*, vice *corporis* et *corpore* librorum. Vulgo, *tractum.* Locus, sic constitutus, suam nactus est facilitatem atque elegantiam.

Ver. 118. *Aridus sonus:* i. e. *fragilis* sonus, ut ver. 111. vel *fragor*, et *crepitus*, qualem edunt *aridæ* res, cum franguntur. Nonius, iv. 31. interpretatus est per *horrificum* et *acutum*, longe crassissime atque ineptissime. Virgilius pulchre variavit locutionem, ad geo. i. 357.

——————— et *aridus* altis
Montibus audiri *fragor:*

ubi Servius accuratissime functus est officio, ac peritissime: " *Sonitus*, qualis " solet fieri ex *aridis*, cum *franguntur*, " arboribus." Terentianus Maurus, p. 2388. de literâ *R:*

Vibrat tremulis ictibus *aridum sonorem*,
Has quæ sequitur, litera.

Ibid. *aureis terget sonus:* perlegas notata ad iv. 250. i. e. *ferit* aures, et *præstringit:* vide Claudian. de laudd. Stil. ii. 277. Lepide Martialis more poëtico phrasin invertit, editoribus non probe intellectus, vi. 1. 3.

Sextus mittitur hic tibi libellus,
In primis mihi care Martialis:
Quem si *terseris aure* diligenti,
Audebit, minus anxius tremensque,
Magnas Cæsaris in manus venire:

pro vulgari, " Si hæc carmina in aurem " attentam cadant, et pertergeant sono."

Ver. 119. *exierunt:* sic antiquissimi et emendatissimi codices, L. M. et recentior

Omnia sæpe gravi tremere, et divolsa repente
Maxuma dissiluisse capacis mœnia mundi;
Quom subito validi venti conlecta procella
Nubibus intorsit sese, conclusaque ibeidem,
125 Turbine vorsante magis ac magis undique nubem,
Cogit, utei fiat spisso cava corpore circum.
Post, ubi conmovit vis ejus, et inpetus acer,

Π. Malus timor de metro veram lectionem in libris V. ed. Δ. cum *exierint* mutavit: consulas omnino notam Heinsii ad Virg. ecl. iv. 61. et de regimine nostrum, i. 899. ii. 276. 948. cæteri libri, *exierit.* Hinc autem, ni fallor, recta ratio temporum restituenda est Ovidio, in met. i. 142. ubi similiter grassata est hominum numeros poëticos male callentium temeritas:

Effodiuntur opes, irritamenta malorum:
Jamque nocens ferrum ferroque nocentius aurum
Prodierunt; prodit bellum——.

Omnes libri, *prodierant.* — Cæterum, Vind. Ω. *artis*, accurate; Σ. *altis;* vulgo, *arctis.*

Ibid. *Ducitur diu sonus.* Bene conferri potest elegans locus Virgilii, Æn. iv. 463.

——— *longas* in fletum *ducere voces.*

Ver. 121. *tremere:* Vind. *tremore;* V. ed. *tremor;* Π. *tremuere:* cui deest *et.*

Ibid. *videntur Omnia tremere repente.* Locutus est ita Mantuanus, Æn. iii. 90.

——— *tremere omnia visa repente*——.

Ibid. *divolsa dissiluisse.* Nec jam rejecerat oculos ab his versibus idem Lucretii mirabundus imitator, ad ver. 415. ejusdem libri:

Hæc loca, vi quondam et vastâ *convolsa* ruinâ,
Dissiluisse ferunt——.

Ver. 122. *Maxuma:* V. ed. Δ. Σ. *Maxime.—dissiluisse:* P. Σ. *dissolvisse;* Δ. *diviluisse:* sed *dissiluisse* comparet in margine cod. Σ. Cæterum, hic et octo sequentes versus desunt Π. propter similem vocem *repente* ad finem duorum versuum; unde librarii aberrantis oculus in medio posita transiliit.

Ver. 123. *Quom*, vel *Cum:* O. Δ. *Tum.*

Ver. 124. *intorsit:* V. ed. B. *intersit;* Vossius, *intercil;* stulte. Non immemor et hujusce loci Maro, ad Æn. i. 116.

——— ast illam ter fluctus *ibidem*
Torquet agens *circum*——.

Ver. 125. *vorsante*, vel *versante:* sic Vind. V. ed. B. L. M. Σ. quæ forma in hac cæsurâ saltem, ut nihil dicam de sequente liquidâ, quod levius est, non erat doctis editoribus vulgari reliquorum libb. *versanti* posthabenda.

Ibid. *magis ac magis:* redeas dicta ad iii. 545. et conferas Catull. lxiv. 275. cum annotatis ibidem eruditi viri F. G. Doëring.

Ver. 126. *spisso corpore circum:* omnibus utique particulis vi venti ad extrema confluentibus e centro, et in sphæricam superficiem condensatis. Porro, Vind. Δ. habent *ut*, pro *utei.*

Ver. 127. *conmovit:* absolute, ut noster persæpe in consimilibus, pro *commoveri cœpit;* ita ut carcerem, quo contineantur, venti, jam tandem invalescentes, velint perrumpere: vide nos, iii. 69. iv. 458. Sane tritum est, et puerulis etiam notissimum: quis ferat igitur patienter Vossii temeritatem, ex arbitrio reponere volentis in hoc loco *contumuit*, vice *conmovit?*

Ver. 128. *perterricrepo:* V. ed. *præterricrepo.*

Tum perterricrepo sonitu dat missa fragorem.
Nec mirum, quom, plena animæ, vesicula parva
130 Sæpe ita dat magnum sonitum, displosa repente.
Est etiam ratio, quom ventei nubila perflant,
Ut sonitus faciant; et enim ramosa videmus
Nubila sæpe modis multis, atque aspera, ferri.
Scilicet ut crebram sylvam quom flamina Cauri
135 Perflant, dant sonitum frundes, rameique fragorem.
Fit quoque, ut interdum validi vis incita venti

Ibid. *perterricrepo sonitu:* vide sis, quæ contulimus ad i. 104. Nec male Palmerius, quem laudavit Havercampus, pro *Propter crepas* in Varronis fragmento apud Nonium, i. 63. corrigit *Perterricrepas.* Vox legitur etiam apud Ciceron. orat. 49. ex poëtâ vetere.

Ibid. *fragorem:* i. e. rupturam; vide nos ad v. 110. 318. Isidori locum, origg. xiii. 8. hos versus Lucretianos manifestissime non modo respicientis, sed paraphrasi luculentâ declarantis, jubavit emendatiorem adscripsisse: " *Tonitruum* " dictum, quod *sonus* ejus *terreat:* nam " tonus, sonus." (Hæc autem definiunt *τα perterricrepo sonitu* poëtæ) " Qui ideo " interdum tam *graviter concutit omnia,* " ita ut *cœlum discidisse videatur;* quia, " *cum procella vehementissimi venti nubi-* " *bus se repente immiserit, turbine* inva- " lescente, exitumque quærente, *nubem,* " quam *excavavit, impetu* magno *perscin-* " *dit:*" (vulgo, *proscindit;* nescio tamen an male: vide verr. 110. 137.) " ac sic " cum *horrendo fragore* defertur ad au- " res. *Quod mirari quis non debet; cum* " *vesicula,* quamvis *parva, magnum* ta- " men *sonitum displosa* emittat."

Ver. 129. *quom,* vel *cum:* V. ed. *tum.* —*vesicula:* Vind. V. ed. Ω. *vensicula;* P. O. *vessicula,* et V. ed. Ω. pro variâ lectione: vetus etiam onomasticon scripturam *vessica* agnoscit.

Ibid. *animæ:* i. e. *venti;* vide v. 237.

Ver. 130. *magnum:* sic rescribendum existimavimus ex Isidoro; et simile peccatum est scribarum ei, quod animadvertimus ad i. 156. et alibi. Vulgo, *pariter;* ut P. Vind. Δ. Π. cæteri libri, *parvum;* unde scribendum forsitan:

—— dat *per vim* sonitum displosa repente:

i. e. *per vim,* vel violenter, *displosa.* Nec mirabimur, si hæc nostra divinatio punctum omne doctorum tulerit.

Ver. 131. *ventei nubila perflant.* Quemadmodum Virgilius, ad Æn. i. 82.

—————— *venti,* velut agmine facto,
Quâ data porta, ruunt; et *terras* turbine *perflant.*

Ubi translatio sermonis est a castrensi militum eruptione; ut modo apud nostrum, ver. 31.

Ver. 132. *Ut:* P. O. Π. *Et;* editores autem ex arbitrio, *Cur;* libro ne uno quidem sic jubente. Nec *ratio,* vel *caussa, ut* non est satis pervagata dicendi formula. —*faciant:* P. Vind. V. ed. B. O. Ω. *faciunt.*

Ver. 134. *crebram sylvam,* pro " syl- " vam crebram arboribus." Virgilius, geo. iii. 334.

——————— sicubi, nigrum
Ilicibus crebris, sacrâ nemus adcubet umbrâ.

Ibid. *flamina Cauri.* Vox restituenda est Maronis versui, hinc egregie erigendo; nam verbis hujusceomodi scribæ solenniter oberrant. Legitur autem in Æn. iii. 454.

Quam vis increpitent socii, et vi *Caurus* in altum
Vela vocet, possisque sinus inplere secundos—.

Perscindat nubem, perfringens inpete recto.
Nam, quid possit ibei flatus, manifesta docet res
Heic, ubi lenior est, in terrâ, quom tamen alta
140 Arbusta evolvens radicibus haurit ab imis.
Sunt etiam fluctus per nubila, quei quasi murmur
Dant in frangundo graviter: quod item fit in altis
Fluminibus, magnoque mari, quom frangitur æstu.
Fit quoque, ubi e nube in nubem vis incidit ardens
145 Fulminis: hæc, multo si forte humore recepit

Libri, *cursus;* frigide et insulse: unus vero *ventus;* ex glossâ scilicet: committas ibid. verr. 356. 357. iv. 417. Cir. 460. Stat. Achill. i. 558. Theb. v. 468. Ovid. epist. xiii. 9. et, ne plura laboriose congeram, Columellæ locum, modo sub ver. 114. appositum. Achilles Tatius, v. 15.—*κατα τυχην δε το* ΠΝΕΥΜΑ ΕΚΑΛΕΙ *ἡμας.* Lucanus, ix. 799.

——— nec tantos *carbasa Cauro*
Curvavere sinus——.

Ibid.

——— *crebram sylvam quom flamina Cauri*
Perflant, dant sonitum frundes, rameique fragorem.

Hæc videntur nobis ex Homereâ similitudine profecisse, ad Il. Π. 765.

Ὡς δ' Ευρος τε Νοτος τ' εριδαινετον αλληλοιϊν
Ουρεος εν βησσης, βαθειην τιλεμιζεμεν ὑλην,
Φηγον τε, μελιην τε, τανυφλοιον τε κρανειαν·
Αἱτε προς αλληλας εβαλον τανυηκεας οζους
Ηχῃ θεσπεσιῃ, παταγος δε τε αγνυμεναων.

Et hanc cognatarum dictionum societatem, *flamina perflant,* Lucretii simplicitas, ut alibi monuimus, haud refugit, auctores Græcos secuti. Sit Aristophanes exemplo, in Nub. 1069.

ηδ' ἡδυς εν τοις στρωμασι την ΝΥΚΤΑ ΠΑΝΝΥΧΙΖΕΙΝ·

ut Eustathius accurate citat ad Il. Σ. p. 1206. im. ed. Bas. sine illo opprobrio editorum, ν paragogico; in hac saltem cæsurâ longe odiosissimo. Brunckii judicium miror demirorque, sic vas sincerum studiose incrustantis. Pariter Homerus, ad Il. Φ. 440. et alibi:

——— ἑλικας ΒΟΥΣ ΒΟΥΚΟΛΕΕΣΚΕΣ.

Ver. 135. *dant:* Δ. *clam;* abest V. ed. vox. Nempe, ut *d* facile dissolvitur in *cl,* ita in *m* ex *nt* satis est proclivis aberratio.

Ibid. *sonitum fragoremque.* Hoc re verâ dicitur per hendyaden, et ita proprie accipiendum est: "Frondes ramique dant "sonitum fragoris:" i. e. sonitum, qui ex illis frangendis fit. Mantuanus, Æn. vii. 677. commodus adveniet:

——— magno cedunt *virgulta fragore.*

Ver. 136. *incita:* Ω. *insita;* vitiose.

Ver. 137. *perfringens;* L. *perfingens;* O. *perstringens.* Et, pro *Perscindat,* scribendum puto *Proscindat:* vide ad ver. 128.

Ver. 138. *quid:* O. Ω. *qui.*—*docet res:* Vind. V. ed. L. Δ. Π. *doceres.*

Ver. 139. *lenior:* Vind. V. ed. *levior.* —*terrâ:* V. ed. *certâ.* Nimirum, *t* in *c,* ut passim, mutatâ, statim *certâ* ex *tertâ* factum est librario.

Ver. 140. *evolvens:* V. ed. M. *volvens;* qui referendus est error vel ad indivisas voces, vel ad scripturam compendiariam, qualiter in Vind. etiamnum comparet, *Arbustevolvens;* sic autem paullo aliter in Ω. *Arbuste volvens:* primitus fortasse, *Arbust evolvens.*—Jam vero hujusce versûs oratione nihil fingi potest signatius et

Ignem, continuo magno clamore trucidat:
Ut calidis candens ferrum e fornacibus olim
Stridit, ubi in gelidum propter demersimus imbrem.
Aridior porro si nubes adcipit ignem,
150 Uritur ingenti sonitu, subcensa repente:
Lauricomos ut si per monteis flamma vagetur,

exquisitius; in quam Mantuanus ille, certo certius, curiosos erat oculos injecturus: atque adeo sponte videram eum sic esse rescribendum ad Æn. viii. 238. extra controversiam:

Dexter in advorsum nitens, concussit; et *imis*
Avolsam *evolvit radicibus*——.

Et magnâ postea perfusus sum lætitiâ, cum deprehenderim, unum codicem exhibere *volvens;* eodem plane errore, quo exemplaria quædam Lucretiana. Aliter *solvit;* de lectione vulgari, scribarum gustui longe magis accommodatâ. Appositus est Seneca, Œdip. 966.

Radice ab imâ funditus *vulsos* simul
Evolvit orbes:

quo nemo libentius imitatus est Virgilium.

Ver. 142. *in frangendo:* i. e. *inter* collidendum ac *frangendum.* Sic liquido scriptum invenitur in P. V. ed. B. L. M. O. Σ. Ω. vulgo, *infringendo.*—*quod:* V. ed. *que.*

Ver. 143. *æstu:* Ω. *æstus;* et impense placet. Solent utique literæ finibus versuum excidere. Lucanus, viii. 566. similiter:

—— bimaremque vadis *frangentibus æstum.*

Ver. 144. *incidit:* Π. *incidat;* non male, si legas *uti,* vice *ubi,* ut editiones quædam.

Ibid. *vis ardens Fulminis:* ea vis scilicet, unde fulmen efficitur, mox displodendum.—Idem codex statim *ac,* pro *hæc.*

Ver. 146. Editores temerarii ex arbitrio dedere:

—— continuo *ut* magno clamore *trucidet:*

contra libros veteres. Hæc turpissima peccata propagavit Vindobonensis editoris socordia.

Ibid. *trucidat:* i. e. perimit, perdit, exstinguit; cui rarissimo vocis usui non novi similius exemplum hoc Tertulliano, de pudic. cap. 4. " Sicut nec locis refert, " in cubiculis, an in turribus, *pudicitia* " *trucidetur*—."

Ver. 147. *candens ferrum.* Opportunus aderit Virgilii pulcher locus, in Æn. xii. 91.

Ensem, quem Dauno ignipotens deus ipse parenti
Fecerat, et Stygiâ *candentem tinxerat undâ.*

Ver. 148. *propter:* i. e. " qui ad ma- " num jacet;" adeoque ferri candentis refrigerationi tempore non concesso: vide i. 91. iii. 653. P. habet *propere;* in quod editores insciti avidissime involarent: ex arbitrariâ, uti suspicor, emendatione, quamvis huc spectet editio Vind. negligentissime procurata; quam nihil morer, utcunque *το propere* exhibeat.—*demersimus:* Π. *demersus in:* unde eleganter versum queas diffingere, concessâ contractione, cui multas haud dissimiles Lucretius usurpavit, ad hunc modum:

—— ubei gelidum propter *demersis in* imbrem.

Ibid. *imbrem:* de quolibet humore; ut Virgilius, Æn. i. 123. ubi Servius consulendus:

Adcipiunt inimicum *imbrem*——.

Ver. 149. *Aridior nubes.* Virgilius, geo. iii. 197.

—— Scythiæque hyemis, atque *arida* differt
Nubila——.

Ver. 150. *ingenti:* Vind. V. ed. Ω.

Turbine ventorum, conburens, inpete magno.
Nec res ulla magis, quam Phœbi Delphica laurus
Terribili sonitu, flammâ crepitante, crematur.
155 Denique, sæpe geli multus fragor, atque ruina
Grandinis, in magnis sonitum dat nubibus alte:
Ventus enim quom confercit, franguntur, in artum

ingentis.—subcensa: sic clare P. V. ed. vulgo, *succensa.—repente:* Vind. V. ed. L. M. Π. *recente;* Ω. *repenti.* Nihil videtur præter recepta disquirendum, quamvis sic optima exemplaria dissentiant.

Ibid. *ingenti sonitu.* Pariter Virgilius, de *flammâ* arborem vastante, geo. ii. 306.

——— frondesque elabsus in altas,
Ingentem cœlo *sonitum* dedit———.

Ver. 151. *monteis* abest Π. *si,* V. ed. quod sane, si deesset reliquis, credidissem post *monteis* voculam fuisse collocandam; unde versus et suavior prodiret, et numerosior:

Lauricomos ut per monteis *si* flamma vagetur.

Sed enim ægre, ut videtur nobis, declaraveris stationem phraseos *Turbine ventorum* in constructione verborum ad receptam lectionem loci. Scripsit utique Lucretius procul dubio:

Lauricomos ut si per monteis flamma *vegetur*
Turbine ventorum———:

i. e. promovetur, excitatur, propagatur. Festus: " *Vegere,* portare." Ennius apud Nonium, ii. 876.

——— æquora salsa *veges* ingentibus *ventis.*

Ver. 153. *res ulla:* Vind. Π. *res vita,* et V. ed. pro var. lect. O. autem, castigata Pii exemplaria, et Ω. *resina;* quod ex priore corruptelâ, ut arbitror, profluxit, *res una* scilicet; quum *una* et *ulla* sæpiuscule commutentur: Σ. *res visa.*

Ibid. *Nec res ulla magis quam laurus.* Plinius, nat. hist. xv. 40. " *Laurus* qui-
" dem manifesto abdicat *ignes crepitu,* et
" quadam detestatione."

Lambinus.

Addam Ovidium, in fast. iv. 742.

Et *crepet* in mediis *laurus adusta* focis.

Ver. 154. *sonitu:* V. ed. *sonitum;* unde cogitare possis de *sonitu in,* quod et Vossio in mentem venit: sed imitatio Virgiliana prudentem facile a novando absterruerit, ad Æn. vii. 74.

Atque omnem ornatum *flammâ crepitante cremari.*

Ibid. *Terribili sonitu.* Vereor, ne orationis efficacia materiem exsuperet. Nihil est inconcinnæ dissimilitudinis in Mantuano, ibid. ix. 503.

At TUBA *terribilem sonitum* procul ære canoro
Increpuit———.

Ver. 155. *ruina Grandinis:* i. e. *casus* grandinis; sive vehementer et copiose *ruens* grando. Rem feliciter depinxit lectissimis versibus Columella, x. 329.

Sæpe ferus duros jaculatur Jupiter imbres,
Grandine dilapidans hominumque boumque labores:

duros, nempe concretos frigore, ut noster. Virgilius, Æn. i. 129. itidem:

Fluctibus oppressos Troas, *cœlique ruinâ:*

i. e. *imbribus;* ut geo. i. 324. " *ruit* ar-
" duus *æther.*" Minus recte Servius, Burmanno tamen probatus: sed nec Heynius invidendo successu poëtæ mentem expedivit, qui tamen Drakenborchio consentit ad Silium Italicum, i. 251.

——— tum vertice nudo
Excipere insanos *imbres, cœlique ruinam.*

Tonitrûs mentio nihil ad rem. Plures ad locos doctissimus vir provocat, qui nos a sententiâ conceptâ minime depellent.

Concretei, montes nimborum et grandine mixtâ.
Fulgit item, nubes ignis quom semina multa
160 Excussere suo concursu; ceu lapidem si
Percutiat lapis, aut ferrum: nam tum quoque lumen
Exsilit, et claras scintillas dissupat ignis.
Sed tonitrum fit utei post auribus adcipiamus,
Fulgere quam cernant oculei, quia semper ad aureis

Dijudicent lepidi lectores, et eruditi. Confer eundem Silium, xii. 619. 630. Nec dubito, quin fallatur, qui Valerium aliter, quam de *violentis imbribus*, loquentem intelligat, Argon. viii. 334.

Crebra *ruina poli* cœlestia limina laxat:

i. e. congregatis aquis liberat, et evacuat. Pulchre committetur Genesis, vii. 11. LXX.—*οἱ καταῤῥακται τȣ ȣρανȣ πνεφχέησαν.* Pluribus res poterat confirmari; sed eâ est evidentiâ, quæ confirmationis operosæ non indigeat.

Ver. 157. *enim:* deest Π.—*confercit:* P. V. ed. *convertit;* O. *confersit;* quod malim: Δ. *confertur;* Π. *confe*, reliquis omissis; quasi librarius inter discrepantias scripturæ, quid poneret dubius, fluctuaret: Σ. Ω. *confertit;* cujus scripturæ Pius quoque meminit, et codicum quorundam vulgata dantium. Dicit insuper nonnullos scribere, *confarcit;* me plaudente.—*artum:* P. V. ed. B. *altum;* quod non deterius, me saltem judice. Prisci tamen Pii codd. receptæ voci suffragantur.

Ver. 158. *mixtâ:* sic P. V. ed. B. per elegantiam supra captum et acumen scribarum longe longeque positam; ideoque accipiendum existimavi. Manum illico dabis, lector! si modo vacet, libeatque, perlegere quæ notaverim superius, ad iii. 643. In vulgaribus editis, *mixti;* minus docte poëticeque.

Ibid. *montes nimborum:* conferas iv. 141. 143.

Ver. 159. *Fulgit:* sic Nonius, x. 12. M. Δ. libb. cæteri, *Fulget.* Glossæ vetustæ: "*Fulgent, αστραπτȣσι.—Fulgeo,* "*αστραπτω.*" Cæterum, varias caussas *fulguris* similiter apud Diog. Laërt. x. 101. recensuit Epicurus, e cujus fontibus Lucretius hortulos suos irrigavit. Adeas locum; nobis enim non licet omnia congerere: et notes Meibomium, solitis depravationibus omnia corrumpentem.

Ibid. *nubes ignis semina Excussere.* Sic eleganter etiam Avienus, Arat. 1690.

Quod, si diversis se passim partibus *ignes*
Excutiant, verret pelagus sine fine modoque
Turba procellarum——.

Ubi tamen haud dubie *verrent* nitidissimus scriptor posuit, ut ambigui saltem speciem effugeret. Nec adscripsisse Q. Curtium pigebit, iv. 7. 14.—"largum "quoque imbrem *excusserunt* procellæ." Alii similiter. Denique, non male quidam libri ad Maronis Æn. i. 174. ita scriptum exhibent; imo, impendio venuste:

——— silici scintillam *excussit* Achates.

Vulgatum tamen retinendum judicavissem, nisi me moverent, quæ attulerim inferius, ver. 688. hujusce libri.

Ver. 161. *lapis:* Vind. V. ed. Σ. *lapidis:* et in Ω. *τȣ s τȣ lapis* in rasurâ scriptum est, et majus intervallum sequitur; ut veri sit simillimum *lapidis* fuisse a primâ manu. Sane licet de corruptelâ suspicari. Interea, donec aliquis melius quiddam proferat ex ingenio, rescribendum lectoribus proposuerim:

——————— ceu *faciem* si
Percutiat *lapidis* ferrum——.

Ver. 162. *Exsilit lumen, scintillas dis-*

165 Tardius adveniunt, quam visum, quæ moveant, res.
Id licet hinc etiam cognoscere: cædere si quem
Ancipiti videas ferro procul arboris auctum,
Ante fit ut cernas ictum, quam plaga per auras
Det sonitum: sic fulgorem quoque cernimus ante,
170 Quam tonitrum adcipimus, pariter qui mittitur igni
E simili caussâ, concursu natus eodem.

supat ignis. Omnia vides lectissimis coloribus depicta ad vivum, et artificis calamo solertissimi. Virgilius, Æn. xii. 102.

——————— totoque *ardentis* ab ore
Scintillæ absiliunt: oculis *micat* acribus *ignis.*

Sic legendum diximus superius, ad iv. 609. quo te recipias. Vocabulorum *absiliunt* et *micat* amicissima est sodalitas, uti alias demonstravimus.

Ver. 163. *utei:* Vind. Π. *ut.*—Hæc autem paullo aliter sic prosecutus est Isidorus, l. c. ad ver. 128. " Cum tonitruo " autem simul et fulgura (nubes) expri- " mit: sed illud celerius videtur, quia " clarum est; hoc autem ad aures tardius " pervenit."

Ver. 164. *Fulgere:* i. e. *το Fulgere,* vel *fulgur.* Nonnulli, prorsus hospites leporibus Lucretii, indoctissime *Fulgura* voluere.

Ver. 165. *moveant:* Ω. *moveat;* omnino male.

Ver. 166. *Id:* Π. *Hic.*—P. Vind. V. ed. Ω. *cedere.*

Ver. 167. *Ancipiti:* Vind. V. ed. Π. Ω. *Ungipiti;* unde nihil expedire potui, sic autem cogito: Litera *c* nimirum, ut passim fit, in *g* abierat; et ex *angipiti* depravatio posita succrevit.—*videas:* ita Δ. solus, et codd. quidam Pii: reliqui universi, *videat;* sed tamen mendosissime.—*auctum:* Π. *auctu.*

Ibid. *Ancipiti ferro.* Maro, Æn. vii. 525.

Sed *ferro ancipiti* decernunt——.

Servius: " Dicit autem aut gladios, aut *bipennes.*" Omnino *bipennes* in hoc loco malim; tam quod inter rusticos res agatur, quam quod *το gladios* supervacaneum sequentibus reddatur. Nec de nihilo est Lucretii exemplum scilicet.

Ibid. *arboris auctum.* Hoc, more poëtico, valde familiari nostro, ponitur pro *ipsam arborem:* confer sis ii. 481. v. 1170. quos locos Lambinus etiam apposuit. Apage Pii inficetias, *ictum* corrigentis.

Ver. 168. *auras:* sic, longe venustius, et *γραφικωτερως*, cum dulcissimâ sermonis varietate, P. V. ed. quos sequor: vulgo, *auris,* sive *aureis.* Adjuvat lectionem nostram Virgilius, Æn. xi. 799. Cari verba repetens:

——— missa manu, *sonitum dedit* hasta *per auras.*

Ver. 169. *fulgorem:* L. M. *fulgurem;* Π. *fulgere.* Isidorus, ubi supra: " Lux " autem, quæ apparet ante tonitruum, " alibi *fulgor* vocatur." Adi Ciceron. de divin. ii. 19. et plura offendes, Lucretio lucem dantia. Aurelius Victor, orig. gent. Rom. xxiii. 3.—" subsecuto cœli *fulgore* " pariter, *tonitru*que." Hyginus, poët. astron. ii. 5.—" statimque *tonitruum,* et " *fulgorem* cœli, indicium significationis " fecisse." Ita ad sincerissimam codd. scripturam legendum esse dicimus, infaustissime quibusdam divexatam. Neque aliter Virgilius, ad Æn. viii. 524.

——————— vibratus ab æthere *fulgor*
Cum sonitu venit—.

" *Cum sonitu: tonitrûs* scilicet;" Servius optime: qui consulendus est ibidem porro,

Hoc etiam pacto, volucri loca lumine tinguunt
Nubes, et tremulo tempestas inpete fulgit:
Ventus ubi invasit nubem, et vorsatus ibeidem
175 Fecit, ut ante, cavam, docui, spissescere nubem;
Mobilitate suâ fervescit, ut omnia motu
Percalefacta vides ardescere: plumbea vero

et ad ver. 431. ejusdem libri: nam ad Lucretium illustrandum faciet egregie.

Ver. 170. *pariter igni.* Plenum fuisset "pariter *cum* igni." Plautus, ii. 2. 5.

——— prædam *pariter cum illis* partiam.

Ver. 171. *E:* P. V. ed. O. Ω. *Et.* Velim *Ex.* Contra libros editores stultissime et audacissime inferciunt *et* post *caussâ.* Lucretius hoc dicit: "Fulgur ex eâdem "caussâ, propter quam motus bipennis "prius cernitur. quam auditur ictus, solet "tonitrum prævenire, quamvis pariter "cum fulgure mittatur, utpote ex eodem "nubium concursu simul natus."

Ver. 172. *volucri lumine.* Virgilius, Æn. v. 319.

——— et ventis, et *fulminis* ocyor *alis.*

De *celeritate* autem fulminis satis diximus in superioribus, ad i. 1003.

Ibid. *lumine tinguunt:* volo revertaris annotata in ii. 501. 502. Manilius, i. 710.

Candidus in nigro lucet sic trames Olympo,
Cæruleum *tingens* ingenti *lumine* mundum.

Ita scribendum puto: vulgo, *findens;* Bentleius, *pingens;* sed libri veteres, *fingens.* Eadem medicina facienda est Claudiano, idyll. i. 18.

Arcanum radiant oculi jubar: igneus ora
Tingit honos—.

Libri, *cingit.* Has voces librarii passim confuderunt. Ovidius, epist. iv. 72.

Flava verecundus *tinxerat ora rubor.*

Ver. 173. *tremulo inpete fulgit:* consulas, quæ notavimus supra, ad iv. 406. v. 299. Addam denique Virgilium, ecl. viii. 105.

——— conripuit *tremulis* altaria *flammis*
Sponte suâ, dum ferre moror, cinis ipse——.

Ver. 175. *spissescere:* Vind. *spirescere;* Ω. *spiscescere.*

Ver. 178. *liquescit:* ita P. Vind. Δ. Cæteri, gravissimo errore, *quiescit* exhibent.

Ibid. *Glans plumbea cursu liquescit.* Ad eundem modum Mantuanus, Æn. ix. 588.

Et media adversi *liquefacto* tempora *plumbo*
Diffidit——:

ubi Servium vide. Pulchre Ovidius, met. xiv. 825.

——— ceu latâ *plumbea* fundâ
Missa solet medio *glans intabescere* cœlo.

Ibid. *volvunda:* i. e. *volubilis;* ut v. 515. 1275.

Ibid. *etiam liquescit,* et non *ardescit* tantum.

Ver. 179. *perscidit:* Vind. V. ed. *perscindit;* O. *proscidit.*

Ver. 181. *nictantia:* V. ed. *victantia;* O. Δ. *luctantia;* Π. *micantia;* ex glossâ: Σ. *nutantia;* Ω. *metancia.* Hinc autem verissimâ, atque, ut ingenue loquar, nobilissimâ emendatione Lucanum beabo, ad Phars. viii. 47.

——— *tenebris*que remotis,
Rupis in abruptæ scopulos, extremaque currens
Litora, prospiciens fluctus, *nictantia* longe
Semper prima vides venientis *vela* carinæ:

i. e. *micantia;* propter *candorem* scilicet, lucem per tenebras *jaculantia:* nam *alba* et *candida* vela poëtis frequentantur. Libri, *nutantia, luctantia;* simili varietate Lucretianis exemplaribus. Codex membranaceus in bibliothecâ publicâ Academiæ Cantabrigiensis, a me laudatus alibi,

Glans etiam longo cursu volvunda liquescit:
Ergo fervidus hic, nubem quom perscidit atram,
180 Dissupat ardoris, quasi per vim expressa, repente
Semina, quæ faciunt nictantia fulgura flammæ:
Inde sonus sequitur; qui tardius adlicit aureis,
Quam quæ perveniunt oculorum ad limina nostra.

mittentia. Nihil felicius in hac arte criticâ excolendâ mihi contigit excogitare; nec dubito, quin æqui judices assenserint, et ultra gustum vulgi sapientes.

Ibid. *nictantia fulgura flammæ.* Unde confirmationem non ambigendam accipit emendatio nostra Virgilii, quam prius exhibuimus, in notis ad ii. 325. in Æn. ix. 733.

——————— tremunt in vertice cristæ
Sanguineæ, clypeoque micantia fulmina *nictant:*

nam verba, *micantia fulmina*, per speciosissimam periphrasin *fulgura* declarant. *Nictantia* igitur, vibrantia; ut *nictant* oculi, vibrantque, palpebris *celeriter commoventibus.* Hinc, ut longe elegantissime D. Paulus, 1 Cor. xv. 52. ῥιπῃ οφθαλμου pro "velocissimo *jactu* aciei," (vide nostram Silv. Crit. sect. cxxx.) Homerus, Il. Φ. 12. Lycophron, ver. 970. Apollonius Rhodius, i. 1027. dixerunt ῥιπην πυρος· et Sophocles pervenuste, Elect. 105. αστρων ῥιπας. Præclare Nonnus, Dionys. xiii. 8. de *celeri alarum* Iridis *nictatione:*

Ἡ μεν ερισσομενων ΠΤΕΡΥΓΩΝ ανιμωδεῖ ΡΙΠΗ.

Nec curiosâ minus cum felicitate tragicus ille magniloquus, ad Agam. 902.

——————— εν δ' ονειρασι
Λεπταις ὑπαι κωνωπος εξηγειρομην
ΡΙΠΑΙΣΙ θωϋσσοντος:

"creberrimis pennularum *nictibus.*" Sed optimi interpretis officio fungetur noster Graius:

Some shew their gayly-gilded trim,
Quick-glancing to the sun:

et ubi, feliciter audax, dixit, "Their "many-twinkling feet;" de saltatoribus agillimis: exquisitissimam scilicet Homeri locutionem mutuatus, Od. Θ. 265.

Πιπληγον δε χορον θεον ωστε· αυταρ Οδυσσευς
ΜΑΡΜΑΡΥΓΑΣ θηητο ΠΟΔΩΝ, θαυμαζε δε θυμῳ·

nictationes pedum; ob *intermicantem lucem* interstitiis pedum velocissime tripudiantium. Quo nihil elegantius, et admirabiliter γραφικωτερον, excogitari poterat. Sed, ne sim nimius, in viam redibo, quam primum Silium Italicum castigatum dedero, ad Pun. iii. 414.

——————— fluit omnis ab antris
Nereïdum chorus; et, sueto certamine nandi,
Candida perspicuo *connictant* brachia ponto.

Libri, *connectunt;* sed illud *certamen nandi* satis indicat, nymphas *seorsim* lacertos, et impræpedite, commovisse. Eandem vocem sponte conjecturâ felicissimâ restitueram Calpurnio, ecl. i. 79. nescius præcepisse hoc Barthium:

Cernitis, ut puro nox jam vicesima cœlo
Fulgeat? ut placidum radianti luce cometem
Proferat? ut liquidum *nictet* sine vulnere sidus?

Libri, *nutet, mutat, mutet.* Nostrâ lectione nihil verius aut venustius. Vocem scriptor ipse statim vindicat, exponens hoc modo:

Numquid utrumque polum sic, ut solet, igne cruento
Spargit, et ardenti *scintillat* sanguine lampas?

Videas autem Carum inferius, ver. 836. Denique, in loco S. Pauli supra laudato, versio Vulgata reddit feliciter, ut nihil supra, "in *ictu* oculi:" i. e. tam celeriter, quam se ad aliquam rem *injicere*, repentino impetu, oculus valuerit. Sunt tamen, qui reponere volunt "in *nictu* o-

Scilicet hoc densis fit nubibus, et simul alte
185 Exstructis aliis alias super inpete miro.
Ne tibi sit fraudi, quod nos inferne videmus
Quam sint lata magis, quam sursum exstructa quid exstent.
Contemplator enim, quom, montibus adsimilata,
Nubila portabunt ventei transvorsa per auras;
190 Aut ubi per magnos monteis cumulata videbis
Insuper esse aliis alia, atque urguere supernâ
In statione locata, sepultis undique ventis:

" culi;" sed admodum invenuste et indocte. Phrasis, *ictum* et *jactum* luminis, sæpius illustrata est nobis in hujusce commentarii decursu.

Ver. 182. *adlicit:* i. e. lacessit, ferit, et quasi *provocat*, vel *lacit*, e caveâ, foribus pulsandis; ad sentiendum scilicet. Vetus onomasticon: " *Lacio*, is, ἐπαγομαι:" i. e. ad me duco, vel allicio. Alibi vero dictionis attigimus proprietatem. Vide Festum in voce. Porro, Bentleius scribit *quia*, pro *qui:* quod non malum, nec tamen necessarium.

Ver. 183. *limina:* sic optime Vind. L. et Juntina; cæteri, *lumina*, per solitam aberrationem scribarum. Sane elegantissima est translatio *limen oculorum*, cui verbum *adlicit* congruit cum amicissimâ societate: conferas autem iii. 360—371. Et phrasis *oculorum limina nostra* apprime Lucretiana est, pro *nostrorum oculorum limina:* vide nos ad iii. 372. Abomineris interea mecum, lector laute! editorum invenustorum impudentiam, sic ex arbitrio poëtam corrumpentium:

Quam quæ perveniunt *oculos* ad lumina *nostros*.

Preigerum vero miror, adeo Lucretianæ indolis ignarum, ut affirmet, de veritate harum arbitrariarum scriptionum nullam superesse dubitationem posse! Neque Virgilius etiam, denique, se coram intempestivum stiterit, similiter ad Æn. ii. 634. locutus:

—— jam patriæ *perventum ad limina* sedis—.

Ver. 184. *alte:* Vind. L. M. O. Δ. Σ. Ω. *alti;* et dubito, an pro *altim*, si sic scripserint antiquissimi, ad formam adverbiorum deamatam Lucretio, et sæpenumero usurpatam: V. ed. *ala;* quod merum est *alti*, propter similitudinem *ti* et *a* in minusculis scribendi characteribus; vide var. lectt. ad v. 836. Π. *altis;* perperam. Non displiceret *altum;* et ea vox nullo negotio ductum amitteret, et in *alti* desineret: *altū*, *altu*, *alti*.

Ver. 185. *inpete miro:* ita ut aviditate mirabili magnum spatium adimpleant, et vasto cum molimine: confer v. 201. 202.

Ver. 186. *Ne:* P. Vind. si collatori fides, *Nec.*—*inferne:* vide iv. 441. sic autem scriptum conspicitur in Vind. L. M. O. Π. Σ. et immutare non esset sobrii editoris, optimorum codd. testimonia devenerati: P. V. ed. B. Δ. *inferre;* ut subinde commutantur *n* et *r:* Ω. *inferve;* Pius memorat antiquam lectionem *inferna*, emendatoris haud dubie cujusdam soliciti de metro.—Cæterum, *sit* deest Π. et *frudi* scriptum erat in margine cod. Σ. pro *fraudi;* ac placet antiquissimorum mos in Lucretio: de quâ scripturâ consulas velim Nonium Marcellum, in i. 130. Vetus onomasticon agnoscit *defrudo:* sed hoc pro *defrundo*, κλαδεύω.

Ver. 187. *sint:* P. Vind. M. O. Π. Σ. Ω. *sit:* V. ed. *sic.*—*exstructa:* V. ed. Ω. *exstrictus;* O. *extritus.*—*quid:* P. V. ed. M. *quod.*

Ver. 188. *adsimilata:* Ω. *assimulata.*

Tum poteris magnas moleis cognoscere eorum,
Speluncasque velut, saxis pendentibus structas,
195 Cernere; quas ventei quom tempestate coortâ
Couplerunt, magno indignantur murmure clusei
Nubibus, in caveisque ferarum more minantur:
Nunc hinc, nunc illinc, fremitus per nubila mittunt;
Quærentesque viam, circumvorsantur, et ignis
200 Semina convolvunt e nubibus; atque ita cogunt
Multa, rotantque cavis flammam fornacibus intus,

Ver. 190. *Aut:* V. ed. Π. Σ. *At;* forte, pro *Ac:* O. *Ast.—ubi:* Π. *tibi.—cumulata:* P. *collata;* Vind. *culata;* Π. *colata;* qui sunt errores compendiariæ scripturæ tribuendi: O. Ω. *procul alta;* quod prope absum, ut veram poëtæ manum existimem.

Ver. 191. *urguere:* vulgo, *urgere;* sed in corruptelâ V. ed. vestigia veræ scripturæ statim deprehendas, *vignere: n* et *u* passim confusis.

Ibid. *supernâ:* i. e. "ea, quæ sunt lo-"cata in supernâ statione." Quod monendum habui, quum vox *superna* sit in casu recto, judicibus, qui præiverint, editoribus; quantum valeam intelligere. Hæsit saltem Bentleius, et correxit *superne.*

Ver. 192. *sepultis ventis: somno* scilicet; quemadmodum Virgilius, Æn. ii. 265.

——— urbem, *somno* vinoque *sepultam.*

Conferas Claudian. in Rufin. i. 257. Prudent. cathem. ix. 34. Lucil. junior. in Ætnâ, ver. 201.

Ver. 193. *Tum:* V. ed. *Tu;* non male, sed a *Tū* venit varietas.

Ver. 194. *Speluncas saxis pendentibus.* Similiter Ovidius, in epist. xv. 141.

Antra vident oculi, scabro *pendentia topho.*

Appositus est etiam Mantuanus, Æn. i. 166.

Fronte sub adversâ *scopulis pendentibus antrum.*

Sed enim Carus noster in animo videtur habuisse veterem poëtam apud M. Tull. Tusc. quæstt. i. 16. uti Lambinus prior monuit:

Per *speluncas saxis structas* asperis *pendentibus*—.

Nec alienus aderit Æschylus, Prom. vinct. 300.

——— *καὶ πετρηρεφῆ*
Ἀυτοκτιτ' αντρα—.

Et lector animadvertat correptionem syllabæ *bus* ante tot et tales literas in voce *structas:* a quâ scabritie numerorum Lucretianas aures non abhorruisse certe mirari liceat; atque ea vestigia rusticitatis in illud ævum duravisse.

Ibid. *saxis structas.* Maro pariter, Æn. iii. 84.

Templa dei *saxo* venerabar *structa* vetusto.

Ver. 195. *tempestate coortâ.* Idem, geo. iii. 478.

——— morbo cœli miseranda *coorta* est
Tempestas—.

Ver. 196. *magno indignantur murmure clusei—fremitus.* Hæc etiam omnia diligenter suis intexuit ille vates, de ventis itidem loquens, ad Æn. i. 55. ex quo saltem secula didicisse poterant, quibus honoribus Lucretius erat prosequendus, quo studio diebus ac noctibus evolvendus:

Illi, *indignantes, magno* cum *murmure* montis,
Circum *claustra fremunt*—.

Donec divolsâ fulserunt nube coruscei.
Hac etiam fit utei de caussâ mobilis ille
Devolet in terram liquidi color aureus ignis;
Semina quod nubeis ipsas permulta necesse est
Ignis habere: et enim, quom sunt humore sine ullo,
Flammeus est plerumque colos, et splendidus, ollis.
Quippe et enim solis de lumine multa necesse est
Concipere, ut merito rubeant, igneisque profundant.
Hasce igitur quom ventus agens contrusit in unum

Ver. 197. Hoc ordine verborum Π. codex:

——— in caveisque *minantur*, more *ferarum*.

Ver. 198. *fremitus:* V. ed. *fremitur;* quod accidit peccatum propter similitudinem literarum *r* et *s:* vide Drakenborchium, ad Liv. xl. 6. 6. L. M. *fremitu;* unde me persuasum habeo rescribi debere *fremitum;* i. e. *fremitū:* nec de nihilo est, nomen *fremitus* in numero multitudinis apud Maronem haud inveniri. Lucilium in Ætnâ, ver. 57. sic esse corrigendum putem:

Heic magno tonat ore pater, geminantque faventes
Undique *discordi fremitum* simul agmine *venti*.

Adeas autem, lector! velim locum corruptissimum.

Ver. 200. *convolvunt e:* V. ed. B. *convolvuntur e;* Σ. Ω. *convolvuntur.*

Ver. 201. *flammam:* M. *flammas;* abest Σ.

Ibid. *rotant flammam.* Horatius, od. iv. 11. 11.

Sordidum *flammæ* trepidant *rotantes*
Vertice fumum.

Ad quem locum libens admiserim Bentleii conjecturam: compares Virg. Æn. iii. 573. Hinc idem pendet, ad Æn. i. 50.

Talia *flammato* secum dea corde *volutans:*

i. e. " has flammas irarum rotans." Euripidem in transitu explicabimus, Phœn. 3.

Ἥλιε, θοαις ἱππουσιν ΕΙΛΙΣΣΩΝ ΦΛΟΓΑ·

propter *equos* scilicet, sub *naribus* ignem *volventes*, et efflantes, his usus est tragicus dictionibus: vide Virg. geo. iii. 85. Lucret. ii. 704. ut alios non allegem.

Ibid. *cavis fornacibus.* Idem Lucilius, in exordio poëmatis modo memorati:

Ætna mihi, ruptique *cavis fornacibus* ignes—.

Ver. 202. *divolsâ:* Vind. Ω. *divulsâ.*

Ibid. *fulserunt coruscei:* i. e. fulgur fecerunt, jaculantes et emicantes.

Ver. 204. *Devolet:* Vind. Σ. *Devolvet.* —*color:* P. solus; reliqui omnes *calor*, sed mendose; quod sequentia satis arguunt. Hæc vocabula passim permutantur.

Ibid. *liquidi ignis Semina:* διερα πυρος σπερματα· vide quæ diximus ad v. 282. Virgilius, ecl. vi. 33.

Semina terrarumque, animæque, marisque,—
Et *liquidi* simul *ignis*——.

Hinc intelligas quid velit de Empedoclis morte Diogenes Laërtius, viii. 75. qui locus M. Casaubonum prorsus labefecit:

Ει δε ΠΥΡΟΣ κρατηρας εσηλατο, και ΠΙΕ το ζην,
Πως αν ετ' εν θνητοις δυκνυτο τυδε ταφος;

i. e. " *si biberit* immortalem vitam, *liquido* " *igne hauriendo.*" Hac interpretatione nihil certius. Corippus, ii. 16. de divinâ Sapientiâ:

Et cœli *liquidos* formatrix condidit *ignes*.

Ibid. *color aureus ignis.* Hinc *aureus*

Conpressitque locum, cogens; expressa profundunt
Semina, quæ faciunt flammæ fulgere colores.
Fulgit item, quom rarescunt quoque nubila cœli.
Nam, quom ventus eas leviter diducit eunteis,
215 Dissolvitque, cadant ingratiis illa necesse est
Semina, quæ faciunt fulgorem: tum sine tetro
Terrore et sonitis fulgit, nulloque tumultu.
Quod super est, quali naturâ prædita constent
Fulmina, declarant ictu subinusta vaporis

sol, Virgilius, geo. i. 232. et *aurea sidera*, Æn. ii. 488.

Ver. 206. *et:* P. *sed;* metro reclamante. Hunc autem, et duos versus sequentes, vel scriba codicis, vel curator editionis V. ed. transiluit, simili terminatione verr. 205. 208. *necesse est* deceptus: de hac autem erroris origine, consulas velim Valckenaërum in notis ad Eurip. Phœn. 360.

Ver. 207. *colos:* Vind. M. O. Δ. Σ. Ω. *color.*—*colos et:* Π. *coloret.*—*ollis:* Vind. O. L. Δ. Π. Σ. et Ω. ut videtur, a primâ manu.—*est* autem desideratur in Vind. O. Σ. In Δ. sic versus exhibetur:

Flammatus plerumque color——.

Ver. 208. *et* abest Σ. Et Vind. Π. *lumina.*

Ver. 209. *rubeant:* V. ed. Σ. *jubeant.*

Ibid. *igneis profundant:* quia sunt *liquidi* scilicet; ut modo in ver. 204.

Ver. 210. *contrusit:* Π. *contorsit;* errore non infelici: velut vi *turbinis* incumbens.

Ibid. Ordo est: "Ventus contrusit "compressitque in unum locum." Bentleius.

Ver. 211. *cogens:* V. ed. *tegens.* Nimirum c, ut passim, in *t* migraverat; et ex *togens* facile *tegens* natum est.

Ver. 212. *fulgere:* P. *fulgore;* unde venit alius error in V. ed. *fulgure* scilicet.

Ver. 213. *Fulgit:* Δ. *Fulcit;* ut mox iterum, ver. 217. Nonius autem sine varietate laudat versum, ad x. 12.

Ibid. *rarescunt nubila:* qualia Virgilio nuncupantur *Tenuia lanæ vellera*, ad geo. i. 397. et nobis Anglis, *Fleecy clouds.*

Ver. 214. *diducit:* V. ed. O. Π. *deducit.*

Ver. 215. *ingratiis:* universi libri veteres, *ingratius;* sed recte viri docti certatim correxerunt, uti nos edidimus: redeas ad iii. 1082. ubi similiter peccatum est.—Mox Π. *cum*, pro *tum.*

Ver. 216. *tetro Terrore:* i. e. *nigro;* uti fit e contrario, nubibus dense conglomeratis, et nigricante cœlo: vide verr. 175. 179. 184. et quæ notavimus ad v. 1301.

Ver. 217. *et sonitis:* sic Ω. et, ni fallimur, verissime. Nonium audiamus, ad viii. 67. ita castigandum: "*Soniti* et "*sonu*, pro *sonitûs* et *sono.* Pacuvius "Duloreste:

"Quidnam autem hoc *soniti* est, quod stridunt "fores?

"Cæcilius Calcis:

"Nam quidnam fores fecere *soniti?*"

V. ed. *et sonis;* Δ. *atque sonis;* reliqui, *et sonitu:* sed liquidissimum est, mi lector! rarius vocabulum librarios de solito in errores conjecisse, et nosmet laudabiliter sinceram Lucretii scripturam reposuisse.

Ver. 218. *quali:* P. O. Ω. *quod sic;* deest Vind. V. ed. Δ. Π. Σ. unde credi-

220 Signa, notæque, graveis halantes sulfuris auras.
Ignis enim sunt hæc, non venti, signa, neque imbris.
Præterea, sæpe adcendunt quoque tecta domorum,
Et celeri flammâ dominantur in ædibus ipsis.
Hunc tibi subtilem, cum primis ignibus, ignem

bile est veram vocem jam diu excidisse, et tam *quali*, quam *quod sic*, emblema esse correctorum, justam versûs mensuram utcunque adimplere cupientium. Junt. et Ald. habent etiam *quod sic*.

Ver. 219. *ictu subinusta vaporis*. Sic, partim ex conjecturâ, rescribendum putavi; neque lector sagax et eruditus, uti confido, me temeritatis postulabit, cum varietates lectionis in animo pensitate volutaverit. Nihil interea *subtilem fulguris efficaciam* felicius potuit depingere composito verbo *subinusta*. Editur nimirum vulgo:

——— declarant *ictus, et inusta vapore*—:

neque aliter P. Memorat tamen ille codices antiquos, qui *mixta*, pro *inusta*, præbent; ut est in O. quoque: Vind. V. ed. B. Σ. Ω. *ictu et inusta vapore;* L. M. *ictu et inusta vaporis;* Π. *ictu ut inusta vapore:* quibus leges numerorum acriter obnituntur. De verbo autem *suburo*, consulas lexicographos. Qui minore violentiâ locum nitori suo restituere valebit, habitâ membranarum optimarum ratione, ei palmam libenter deferam, et magnum Apollinem habebo.

Ver. 220. *halantes auras:* P. V. ed. O. Δ. Σ. Ω. *halantis*, vel *halanteis*, *auris;* perperam utrumque. Sane scribere possis:

—— notæque *graves*, halantes sulfuris *auris:*

ut Virgilius, ad geo. iv. 109.

——— croceis *halantes floribus* horti:

sed vulgata malim; ut ver. 590. ii. 417.

Ibid. *sulfuris auras*, αὔτμην θειω· halitum, afflatum, *odorem*, sulfuris; sic dictum, quasi *spiraret*, quia *aura* sit vehiculum *odorum:* unde, ob eandem prorsus caussam, *aura* de *luce* pariter adhiberi solet: perlegas annotata nobis ad ii. 850. Arnobius, lib. vii. p. 234.—" inanis apud " hos *odor* est, nec sensibiliter commovere " *aura* eos potis est *nidoris* alicujus—." Apuleius, apol. p. 66. ed. Pricæi: " Fa- " cilius ad eum Alexandriam *vini aura*, " quam *fumi*, perveniret." Silius etiam Italicus, xii. 134. apposite:

——— tum *sulfure*, et igni,
Semper *anhelantes*, coctoque bitumine, campos:

i. e. " *auram sulfuris halantes*," vel spirantes. Priscianus, in perieg. 879. pereleganter:

Cinnama præterea, jocundæ naribus *auræ*,
Fertilis hæc generat tellus, aurique metalla.

Catonem in Diris, ver. 44. rectissime constitutum lectori dabo:

Pascantur segetes; diffusis *ignibus*, *aura*
Transvolet, arboribus conjungat *ut ardor* aristis.

Nihil clarius. Viri longe doctissimi venustates versuum minime perceperunt. Minucius Felix, cap. xxxviii. " Sane, " quod caput non coronamus, ignoscite. " *Auram* boni *floris* naribus ducere, non " occipitio, capillisve, solemus haurire." Hinc discas insuper Virgilii exquisitas elegantias degustare, ad Æn. i. 591.

——— *lumen*que juventæ
Purpureum, et lætos oculis *adflarat honores:*

i. e. " *auram* pulchritudinis nitidissimam " spiraverat in vultum." Rei caput ne per nebulam quidem videre quivit Heynius; hoc nomine tamen valde laudandus, quod non silentio, cæterorum ad instar interpretum, ignorantiam dissimulaverit. Te confer ad carmen de Phœnice, ver. 44.

225 Constituit natura, minutis motibus atque
Corporibus; quoi nihil omnino obsistere possit:
Transit enim validum fulmen per sæpta domorum,
Clamor uti, ac voces; transit per saxa, per æra;
Et liquidum puncto facit æs in tempore, et aurum.

Et primi emicuit *luminis aura* levis:

atque lites æstuantium et ineptientium editorum valebis exigui jactu pulveris sedare. Porro, dum in hoc sum, ne habear intempestivus, si Prudentium interpreter ad hamart. 297.

Illum pigmentis redolentibus, et peregrino
Pulvere, femineas spargentem turpiter *auras:*

i. e. " de corpore suo diffundentem femi-" neos *odores.*" Pudet interpretum in eodem obhærentium Prudentio, ad perist. v. 519. de *ossibus* martyrum canente:

Cœlestis *auram* muneris
Perfusa subtus hauriunt:

i. e. " *odorem* suffiminum, illis incenso-" rum." Ipsissima Cari verba sumpsit Statius, Theb. iv. 417.

——————— et odori *sulfuris aurâ.*

Nefas fuerit Euripidem negligere, Hippol. 1408.

Ω θειον ΟΔΜΗΣ ΠΝΕΥΜΑ—.

Cæterum, mens poëtæ, qui Phœnicem cecinit, modo citati, Oudendorpio etiam in notis ad Apul. met. p. 256. male intellecta est; quod valde miror.

Ibid. *sulfuris auras.* Quæ dedimus de hac vi dictionis *aura* hic et alibi, nihil aptius illustrabit Homereo versu, qui tum memoriam fefellerit, in Il. Φ. 355.

ΠΝΟΙΗ τειρομενοι πολυμηχτιος ΗΦΑΙΣΤΟΙΟ·

qui *flatus* mox αὔτμη nuncupatur, ad ver. 366. cognato prorsus nomine.

Ver. 222. *sæpe:* sic sponte conjectans reposueram ex cod. Δ. lectione *seque;* et in eandem emendationem Vossius videtur prior incidisse. P. *per se;* ut evulgari solet, sed haud dubie sine scriptis exemplaribus: Vind. V. ed. L. M. Π. Σ. Ω. *se;* O. *sese;* quam lectionem Pius etiam memoravit.

Ver. 223. *flammâ dominantur:* redi ad ver. 88.

Ver. 224. *Hunc:* P. O. Ω. *Nunc.—tibi:* Π. *ubi.*

Ver. 225. *motibus atque:* sic L. M. O. Δ. Π. Σ. Ω. " *fulmen* nimirum intra par-" vissimum spatium suos motus peragit, " sine vagationibus obliquitatibusque; a-" deo ut per tenuissima foramina transire " possit." Optimo sensu, atque expedito. Vind. V. ed. *montibusque;* P. *mobilibusque,* ut vulgo; sed, an codices hanc scripturam suppeditaverint, vehementer ambigem.

Ver. 226. *nihil:* sic V. ed. Σ. Ω. vulgo, *nil.—obsistere:* P. Vind. V. ed. Π. Σ. *absistere.*

Ver. 227. *validum:* P. V. ed. Π. *valide;* male.

Ver. 228. *uti ac:* Vind. Π. *ut hac;* V. ed. O. *ut hæc;* Δ. *ut has;* Σ. *ut ac.* Et Bentleius Creechium probat, qui versum spurium putavit. Redeas autem ad i. 490.

Ver. 229. *liquidum facit æs fulmen.* Hinc singulari cum elegantiâ locutus est magni pretii scriptor Suetonius, ii. 97. " Sub idem tempus *ictu fulminis* ex in-" scriptione statuæ ejus prima nominis " litera *effluxit.*"—Π. autem de suo more dat *poncto,* vice *puncto.*

Ibid. Egregie et poëtice Claudianus, de sext. cons. Honor. 344.

——————— hic tabescente solutus
Subsidit galeâ; liquefactaque fulgure cuspis
Canduit, et subitis fluxere vaporibus enses.

Havercampus.

230 Curat item, vasis integris vina repente
Diffugiant: quia, nimirum, facile omnia circum
Conlaxat, rareque facit lateramina vasi,
Adveniens calor ejus; ut, insinuatus in ipsum,
Mobiliter solvens differt primordia vini:
235 Quod solis vapor ætatem non posse videtur
Ecficere, usque adeo cellens fervore corusco:

Ver. 230. Editores, an audacter magis, an inscite, non equidem temere dijudicaverim, ex arbitrio inferciunt *ut* post *item:* videas monita ad ver. 115. superius.

Ibid. *Curat:* ut locutus est ad iv. 820. et alibi.

Ibid. *vasis integris.* Plinius, nat. hist. ii. 52. " Tertium est (genus fulminis), " quod clarum vocant, mirificæ maxime " naturæ, quo dolia exhauriuntur, intac- " tis operimentis, nulloque alio vestigio " relicto." Lambinus.

Ibid. *vasis*, a recto *vasum*, vel *vasus;* ut iii. 435. Cæsar, bell. civ. iii. 37.—" ne " conclamatis quidem *vasis*—." Sic idem alibi, et alii, apud lexica quærendi. Glossarium vetus: " *Vasum*, σκευος.—*Vasus*, " σκευος."

Ver. 232. *rare:* V. ed. *rara.*—*lateramina:* P. (qui vulgatæ tamen lectionis meminit in notis) V. ed. B. O. Δ. *latera omnia;* Vind. *latera minus;* Σ. *latera invia;* vestigiis literarum iisdem cum vestigiis τω *lateramina:* Ω. *latera minua.* Martianus Capella, lib. iii. de *analogiâ*, ita scribit: " *Vasum*, an *vas*, dici debeat, " quæritur.—Itaque—*vas vasibus* facere " debuit—. Sed hoc nomen per anomalia declinatur; et erit singulari nomi- " nativo *vas*, genitivo *vasis*, dativo *vasi*, " ablativo *a vasi.* Lucretius tamen genitivo *vasi*, ut:

" ——— *rarique* facit lateramina *vasi.*"

E quibus illud *vasi* recipiendum denique existimavi, ut structuræ sermonis commodius, et ei varietati phrascos, cujus erat noster in omni tempore studiosissimus, convenientius. Libri, *vasis. Lateramina* autem pro *latera* capio; non, ut nonnullis placuit, pro *lateres.*—Cæterum, codex noster Π. chartis integris, at librario cessante, cum hoc versu deficit.

Ver. 233. *insinuatus:* sic optime L. M. Δ. aliter enim constructio inoffenso pede non procedit. Vulgo, *insinuatur;* quod placuit editoribus, nihil interea erubescentibus, licet orationis seriem concinnare ex arbitrio necessum haberent; suo *et* commentitio fine versûs suffarcinatâ scilicet.

Ver. 234. *Mobiliter:* Δ. *Nobiliter.*—*Mobiliter* autem *differt*, pro *celeriter dispergit*, dissipatque: vide sis iv. 791.

Ver. 235. *vapor ætatem:* Δ. *vapore ætatem*; Vind. *vapore tacere;* quarum corruptelarum facilis est reddenda ratio, ad hunc modum: Scriptum erat utique olim in membranis antiquissimis, *vapor etatẽ.* Mox prima litera posterioris vocabuli τῳ *vapor* adhæsit; *t* abiit, ut passim, in *c;* et linea horizontalis, quâ elementi *m* absentia significari non rarenter solet, fefellit scribam, pro frequente minus indicio omissi *re*, vel *e* post *r*.

Ibid. *ætatem:* i. e. *omne*, vel longum, *ævum:* vide iii. 508. 812. 999. v. 357. Usitatissimum est hoc dicendi genus.

Ver. 236. *cellens:* i. e. velociter agitans, fortiter impellens, *feriens*, commovens, *telis* suis: redeas ad notata in i. 13. Hoc autem venerandæ vetustatis monimentum felicissime conservatum restat in M. nam in L. *c* abierat in *t*, *tellens;* unde fluxit illud *tollens* librorum Vind. V. ed. O. Δ. Σ. Ω. et inde *pollens* communium editionum excogitatum fuit eruditis: P *candens.* Vox enim vero hæc Lucretiana

Tanto mobilior vis, et dominantior, hæc est.
Nunc, ea quo pacto gignantur, et inpete tanto
Fiant, ut possint ictu discludere turreis,
240 Disturbare domos, avellere ligna trabesque,
Et monimenta virûm conmoliri atque ciere,
Exanimare homines, pecudes prosternere passim;
Cætera de genere hoc quâ vi facere omnia possunt,

non videtur alibi exstare, nisi in compositis.

Ibid. *fervore corusco.* Virgilius, geo. i. 233.

——————— quarum una *corusco*
Semper *sole* rubens:

i. e. " sole radios *jaculante;*" unde statim intelligas, quam societatem amicam ineant dictiones *cellens* et *corusco.* Idem Mantuanus, Æn. ii. 470. ita distinguendus est:

Vestibulum ante ipsum, primoque in limine, Pyrrhus
Exsultat; *telis*, et *luce coruscus* ahenâ.

Quod, jam video, Heynius etiam percepit; quamvis vir egregius ita locum declaraverit, ut satis ostendat, se venustatem proprietatemque singularum dictionum ne minimo quidem sensu, nedum tactu intimo, degustatas percepisse. Alia adjicerem, nisi viam stravissem in superioribus latam satis et apertam lectori, modo velit ingredi; per quam ad rectiorem plurimorum locorum in omnibus poëtis interpretationem, respectu vocabuli *coruscus*, aditus patet; et hæ notæ nimium nimium succrescerent.

Ver. 240. *ligna:* Vind. L. *tigna;* si fas sit credere collatoribus: M. *signa.* Quod dedimus, tutius est, atque majoribus auctoribus innititur. Aliter nihil interest scriptoris scopo, *tigna* scribas, an *ligna*, me saltem judice: sed illud malim.

Ver. 241. *conmoliri atque ciere:* i. e. " ita commoliri, vel aggredi, ut cieant, " sive eruant, et e loco moveant." P. sane, et M. si fidos egerint ille et Havercampus, scribunt *demoliri*, quod placuit editoribus et Bentleio: sed in re valde lubricâ, et in tantâ negligentiæ suspicione, certis testimoniis subscribendum puto. Quin etiam nostra lectio exquisitioris est elegantiæ, et multo magis obnoxia stolidorum scribarum importunitati; quod satis extemplo liqueat harum rerum callentioribus.

Ibid. *monimenta virûm.* Maro, Æn. viii. 312.

——— auditque *virûm monimenta* priorum.

Monimenta igitur non *sepulcra* tantummodo, sed magna quælibet opera antiquorum: i. e. μνηματα· quæcunque artificum *memoriam* perpetuant; et *monent* posteros, ut sint auctorum *memores.*

Ver. 243. *possunt:* ita P. V. ed. B. O. Δ. Σ. Ω. vulgo, *possint.*

Ver. 244. *te:* deest Vind. V. ed. B. O. Δ. Σ. atque minutiora vocabula facilius elabuntur: M. *quam;* sed vide v. 92.

Ver. 245. *gigni de:* sic visum est nobis, probabilitatem in contextu Lucretii constituendo studiosissime sectantibus, ex conjecturâ rescribere: nam, quod evulgari solet, *gignier e*, licet in P. compareat, correctorem resipit. Vind. V. ed. B. L. M. Σ. *gigni e;* Musis reclamantibus. Jam vero præpositionibus *e* ac *de* librarii scriptores passim oberravere. O. *progigni in;* Δ. *progigni e;* Ω. *nunc gigni e:* quæ dissimilitudines mera esse commentitia numerorum caducorum medicamenta se sponte confitentur.

Ibid. *Fulmina de crassis Nubibus.* Magnifico sermone sic Sulpicius Severus, sac. hist. i. 30. " Sed, ubi Deus monti insti-

Expediam, neque te in promissis plura morabor.
245 Fulmina gigni de crassis, alteque, putandum est,
Nubibus exstructis: nam cœlo nulla sereno,
Nec leviter densis mittuntur nubibus umquam.
Nam dubio procul hoc fieri manifesta docet res;
Quod tunc per totum concrescunt aëra nubes
250 Undique, utei tenebras omneis Acherunta reamur
Liquisse, et magnas cœli conplesse cavernas:

"tit, validis tubarum clangoribus aër "quatiebatur; *crassæque nubes* crebris "*cum fulminibus* advolvebantur."

Ver. 246. *exstructis:* P. Vind. V. ed. B. Δ. *extractis;* sed Pii quidam codd. *exstructis:* qui memorat etiam varietatem *extrusis.*

Ibid. *cœlo nulla sereno Fulmina.* Ita Virgilius, in geo. i. 487.

Non alias *cœlo* ceciderunt plura *sereno*
Fulgura——.

Ver. 250. Redeas ad iv. 171. ubi versus coram positi, vere nobiles et sublimes, jam venerunt.

Ibid. *Acherunta reamur:* V. ed. *adierunt arctamur;* sed nullus dubito, quin erraverit typotheta in errore exhibendo, et scribendum fuerit, *adierunt artamur:* quæ sunt ipsissima Lucretii scriptura, quum in Longobardicis formis simillima sint *ch* et *di*, *e* et *t:* Σ. *adierint aera.*

Ver. 251. *conplesse:* O. *complexa;* Δ. *implesse.*

Ibid. *cœli cavernas:* ut Cicero, de suo consulatu, divin. i. 11.

Ætheris æterni sæpta atque inclusa *cavernis:*

i. e. κοιλον ᾠρανον· unde non dubitem etymon suum habere vocem Latinam; et recte scribi *cœlum*, non *cœlum*, scilicet: neque aliter doctissimus Gatakerus, opp. p. 5.

Ver. 252. *tetrâ:* V. ed. Ω. *terra;* propter similes *r* et *t*, de quo sæpius monuimus.

Ver. 253. *Inpendent:* P. *Impendunt;* Vind. V. ed. L. O. Δ. Σ. Ω. *Impendant.*

Ibid. *atræ Formidinis ora.* Grandis est prosopopœïa, et similiter figurata haud minus sublimi *Religionis*, in i. 63—67. quo te recipias.

Ver. 254. *conmoliri fulmina.* Hinc Virgilius manibus minime parcentibus subduxit, uti prius ostendimus, ad geo. i. 329.

Ipse Pater, mediâ *nimborum* in *nocte*, coruscâ
Fulmina molitur dextrâ:

i. e. "exercet, et aggreditur, fulmina, jam "jam missurus, dextrâ se huc illuc jacu-"lante;" sive, uno verbo, *librat fulmina.* Viri scilicet eruditissimi rationes etymologicas sermonis neutiquam perspectas habuerunt, adeoque magnas lites de verborum constructione frustra commoverunt.

Ver. 255. *niger nimbus.* Virgilius, Æn. v. 696.

Turbidus *imber* aquâ, densisque *nigerrimus* austris.

Ver. 256. *demissum:* sic solus P. reliqua omnia exemplaria, *dimissum;* quod etsi ferri poterat, vulgatum omnino retinendum arbitror. Virgilius, in geo. i. 23.

Quique satis largum *cœlo demittitis imbrem:*

ubi tamen pariter libri fluctuant.—*flumen:* veteres omnes, *fulmen;* sed vitiose, et usitatissimâ aberratione librariorum. Virgilius haud accesserit inopportunus, in aliâ quamvis materiâ versatus, ad Æn. ix. 813.

——— Tum toto corpore sudor
Liquitur, et *piceum* (nec respirare potestas)
Flumen agit——.

Usque adeo, tetrâ nimborum nocte coortâ,
Inpendent atræ Formidinis ora superne,
Quom conmoliri tempestas fulmina cœptat.
Præterea, persæpe niger quoque per mare nimbus,
Ut picis e cœlo demissum flumen, in undas
Sic cadit, et fertur tenebris procul; et trahit atram,
Fulminibus gravidam, tempestatem, atque procellis;
Ignibus, ac ventis, cum primis ipse repletus:

Nec vel huic loco desunt codices odiosi, qui *Fulmen* exhibeant; usque adeo voces istæ passim confunduntur in membranis. Conferas Valerium, Argon. ii. 115.

Ibid. *in undas.* Hoc posuit, quod in mari latior oculis prospectus patet, ita ut per majus spatium casus pluviæ observari queat: hinc enim dilucidior evadit argumenti vis et scopus.

Ver. 257. *et fertur:* sic omnes, omne genus, libri, præter Δ. qui dat *ætheriis;* satis insulse. Et lectionibus, quas repræsentare nobis auctoritas vetustatis jussit, nihil undequaque commodius, et totius sermonis colori congruentius, optari debet. Nempe, "nimbus piceus in omnem partem fertur, et dispergitur, *cum* tenebris." Hæc autem quum docti viri concoquere nequirent, substituerunt *fertus*, pro *fertur*. Sed saltem erat scribendum *fartus;* cui nos Angli libenter oppedemus, ut ingratissimæ omnium dictioni. Glossæ veteres: "*Fartus*, μεμεσταωμενος." Hoc autem insuper incommodo premitur ingeniosa divinatio, quod postulet universorum exemplorum voces *et trahit* in *adtrahit* mutandas: quæ res est plenissima temeritatis, et minime toleranda. Virgilius, ad Æn. xi. 906.

Sic ambo ad muros rapidi, totoque *feruntur*
Agmine:

i. e. *cum* agmine. Et ita passim alii. Bentleius *το terris* Fabri, pro *tenebris*, probavit.

Ibid. *atram tempestatem.* Idem, ibid. v. 693.

——————— effusis imbribus *atra*
Tempestas sine more furit——.

Ver. 258. Hæc delibavit, et sublegit, memor, pro more, hujusce loci Virgilius, ad geo. i. 323. et a Lucretio certo certius emendandus est:

Sæpe etiam inmensum cœlo venit agmen aquarum,
Et *fetam* glomerant tempestatem imbribus atris,
Conlectæ ex alto, nubes.

Vides omnia quadrare. Respondet *e cœlo demissum flumen* τῳ *cœlo venit agmen aquarum;* et *atram tempestatem gravidam procellis,* τῳ *fetam tempestatem imbribus atris:* denique, vox *trahit,* τῳ *conlectæ.* Nec dubito, quin ipsam dictionem *gravidam* positurus esset Maro, nisi statim adhibuisset in ver. 319. ibidem. Amor tamen veritatis lectorem monitum vult nonnihil infirmatura fuisse meam Virgilii emendationem, quæ leguntur apud nostrum, iv. 170. nisi nihil aliud sinerent recta constructio et venustas orationis. Habet etiam Tacitus, hist. i. 18. *fedum imbribus diem:* sed neque hoc presserit Maronis restitutionem, quum longe diversa sit duarum locutionum ratio. Recte deformari dicitur *dies* imbribus; *tempestatem* vero ita deformari quis vel fando inaudiverit? Cæterum, sibi appositus est idem Mantuanus, ad Æn. i. 51.

Nimborum in patriam, loca *feta* furentibus *austris*,
Æoliam venit——.

Hinc discas, quali judicio docti velint immutare pulcherrimos incerti poëtæ versus in Anthol. Lat. Burm. iii. 82. 19.

260 In terrâ quoque ut horrescant, ac tecta requirant.
Sic igitur supera nostrum caput esse putandum est
Tempestatem altam: neque enim caligine tantâ
Obruerent terras, nisi inædificata superne
Multa forent multis exempto nubila sole:
265 Nec tanto possent venientes obprimere imbri,
Flumina abundare ut facerent, camposque natare,

Naufragus, hac cogente, natat per *feta procellis*
Æquora, cum mersas viderit ante rates.

Heinsius et editor malunt *feda*, de sensu vulgari magis. Lucanum in transitu emendatiorem dabo, Phars. v. 608. ubi libri dant *atrum*, *antrum*, et *austrum*, varietates:

Non Euri cessasse minas, non, imbribus *altum*,
Æolii jacuisse Notum sub carcere saxi,
Crediderim——:

i. e. *nutritum*, plenum, gravidum, imbribus. Jam vero librarios in vocibus *altum* et *atrum* confundendis aliquoties peccavisse, id noster index criticus docebit.

Ver. 259. *repletus:* P. *repletur.*—*Ipse* autem, *nimbus* scilicet; pariter ignibus ac ventis gravidus, atque tempestas fulminibus et procellis.

Ver. 260. *In terrâ:* V. ed. *Interea;* O. *In terram.* Nempe, compendium scribarum est *Intra.*

Ibid. *In terrâ horrescant:* i. e. *homines*, vel omnia terrestria; tam feræ, quam quod nomen sæpenumero sane subintelligitur: *homines* dico; vide iii. 848. Virg. geo. iii. 364, et infra, ver. 608. Sensum vero Lucretiani versûs sic ampliavit in loco laudato georgicôn Virgilius, poëtici sermonis et poëticorum numerorum artifex ante omnes consummatissimus:

——— quo maxuma motu
Terra tremit: *fugere feræ;* et *mortalia corda*
Per gentis *humilis stravit pavor*——.

Sed enim nobilissima descriptio, poëtâ nostro tam feliciter elaborata, majoris erat Mantuano pretii, quam ut temere dimitteretur sine repetitâ gustatione, vel, rectum rei nomen imponere si velis, venustatum tantarum devoratione. Sic igitur exhausit iterum ad Æn. xii. 451.

Qualis ubi *ad terras* abrupto sidere *nimbus*
It *mare per* medium; miseris heu! præscia longe,
Horrescunt corda agricolis: "*Dabit* ille *ruinas*
"Arboribus, stragemque satis;—*Ruet omnia*
"late:—
"Ante volant, sonitumque ferunt ad litora,
"*venti.*"

Videsne autem, quâ evidentiâ, quo spiritu, vates animosus agricolas faciat terrorem exclamationibus declarare, et prædicere futuras strages? Quod, opinor, in hunc usque diem animadvertit nemo.

Ver. 261. *supera nostrum:* Vind. O. Δ. Σ. cum edd. Junt. et Ald. *supra nostrum;* sed V. ed. *super a nostris*, et Ω. *super anostrum;* qui proinde magno opere vulgatis favent.

Ver. 262. *altam:* Δ. *aliam;* male: vide modo verr. 245. 267.

Ver. 263. *inædificata:* i. e. exstructa, per alia super aliis nubilis cumulata. Juvenalis, vi. 501. facetissime:

Tot premit ordinibus, tot adhuc compagibus altum
Ædificat caput——.

Ver. 264. *exempto:* V. ed. *exemplo.*

Ver. 265. *venientes.* Verissime, casu recto; i. e. *nubes:* et *το opprimere* absolute, ut ver. 285. Confer etiam i. 280. iv. 1173. Bentleius.

Nempe, vulgo scribitur, *has terras;* quæ lectio ex officinâ editorum, temeritatis et audaciæ plenissimorum, prodiit: eam tamen socordia viri, qui Vindobonensem codicem exprimere in se suscepit, turpis-

Si non exstructis foret alte nubibus æther.
Heic igitur ventis, atque ignibus, omnia plena
Sunt: ideo passim fremitus, et fulgura, fiunt.
270 Quippe et enim supra docui, permulta vaporis
Semina habere cavas nubeis; et multa necesse est
Concipere ex solis radiis, ardoreque eorum.
Heic, ubi ventus, eas idem qui cogit in unum

sime propagavit. Deest omnino vox V. ed.

Ver. 266. *Flumina:* P. V. ed. O. Σ. Ω. *Fulmina.*

Ibid. *Flumina abundare:* ut *amnis abundans* Virgilio, geo. i. 115. et pressius idem ad Lucretii vestigia in Æn. xi. 547.

——— summis *Amasenus abundans*
Spumabat ripis: tantus se nubibus imber
Ruperat———.

Ibid. *campos natare.* Idem, geo. i. 371.

——— omnia plenis
Rura natant fossis———.

Ovidius etiam coram veniat, amor. ii. 16. 34.

——— quamvis *amnibus arva natent*———.

Ver. 268. *Heic,* vel *Hic:* i. e. in hoc æthere. Contra libros veteres universos editoribus lubuit reponere *His;* quæ vox sane conspicitur in Vind. sed collator istius codicis non audiendus est, officio turpissime defunctus. O. autem *Sic;* non male: quod ultro mihi in mentem venerat.—*plena:* Vind. L. M. Δ. *plana.*

Ver. 270. *et* deest Vind.—*supra:* sic Vind. V. ed. O. Δ. Σ. Ω. cum Florent. et Ald. editt. Vulgo, *supera;* contra libb. MSS. uti suspicor.

Ver. 271. *habere:* Vind. *hæc de re;* V. ed. O. Σ. Ω. *hac de re;* distractis primum syllabis, deinde mutatis literis.

Ver. 273. *Heic:* V. ed. O. Δ. Σ. et Ω. *Hoc;* quam vocem series constructionis respuit: confer Virg. geo. ii. 312. et rem confestim callebis.—*eas:* Ω. *etas.*

Ver. 275. *simul:* Ω. *similis.*—P. posuit *in* post *cum,* de metro timens vanâ solicitudine; quum sic in monosyllabis alii fecerint, et noster ad iii. 1095. et alibi.

Ver. 276. *vortex:* M. Δ. *vertex.* Et sane, si Quintilianus audiendus sit, ad orat. instt. viii. 2. vera scriptura hujusce dictionis fuerit *vertex:* quum vero olim scriberent, ut ibi Burmannus probe monuit, *vorto* pro *verto,* et hinc exoriatur non incommoda distinctio verborum diversa subinde significantium, nihil mutare volui.

Ibid. *vortex vorsatur.* Cognatas voces sic sapiuscule connectere noster solet, et alii vetustiores: videas annotata ad ver. 52. et alibi.

Ver. 277. *acuit fulmen.* Impendio eleganter, quasi *procudit* et inspicat *telum* fulminis. Conferas velim Virg. geo. i. 332.

Ver. 278. *adcenditur:* Ω. *attenditur.*—*cum:* Δ. *tum;* editores omnigenæ inscitiæ refertissimi, de suo, *nam.* Lambinus volebat *suapte;* Havercampus, *suâ quom;* et hoc mihi animum subierat: sed in tuto res est, et importunos emendatores indignabitur. Ita passim vel omitti solet, vel interponi, præpositio *cum,* et aliæ.

Ver. 279. *Mobilitate:* V. ed. *Nobilitate.*—*e* deest codici Δ.

Ibid. *calescit e contagibus.* Quemadmodum Silius Italicus, ii. 60.

——— iniquo *e sole calentes.*

Ubi simplex editio habet *a,* quod non deterius: videas Virg. geo. i. 234. Lucan. vii. 503. Qui volunt τὸ *e* extrusum, libris MSS. adversantibus, temerarii sunt

Forte locum quem vis, expressit multa vaporis
275 Semina, seque simul cum eo conmiscuit igni;
Insinuatus ibei vortex vorsatur in alto,
Et calidis acuit fulmen fornacibus intus.
Nam duplici ratione adcenditur: ipse suâ cum
Mobilitate calescit, et e contagibus ignis.
280 Inde, ubi percaluit gravius ventosus, et ignis
Inpetus incessit; maturum tum quasi fulmen
Perscindit subito nubem, ferturque, coruscis
Omnia luminibus lustrans loca, percitus ardor:

habendi, atque in errore gravissimo versantur.

Ver. 280. Feci, quod potuerim, cum loco difficili in primis propter librorum veterum molestissimas depravationes; habitâ pensitate ratione, tam sensûs, quam lectionum veterum in codicibus.—*gravius ventosus et ignis:* P. *gravius jam ventus in ignis;* quæ prorsus futilia sunt, et inextricabili constructione: prisca Pii exemplaria, O. Ω. *vis venti vel gravis ignis;* quæ placuerunt editoribus, sed sine caussâ, quum neque scriptoris scopo conveniant, neque elegantem artificem sapiant, nec denique vetustissimorum codicum scripturæ satis concinant. Vind. V. ed. *gravis ventum insigni;* L. M. *gravis venti vis igni;* Δ. *gravibus ventis insignis;* Σ. *gravis ventilis vis.* Vides igitur, nos solummodo mutavisse *i* geminum, vel *u*, in *os;* atque *cl*, quæ vocula sæpenumero elabi solet, interposuisse. Inepti tamen essemus, et merito φιλαυτιας coarguendi, si nimium huic emendationi fideremus: et æquo sumus animo probabilius tentamen quodpiam, ex ruderibus corruptelarum erutum ingenio sagaciore quolibet, accepturi. Saltem nostras emendationes satis poëtæ menti facere, et undequaque tam prægressis, quam secuturis, congruere, nemo denegabit. Bentleius scribendum edixit:

—— ubi percaluit *venti vis, vel gravis* ignis:

et ad verr. 299. 509. provocavit: sed, an contextus, vel membranæ veteres, huic edicto faveant, alii velim cogitent.

Ver. 281. *tum:* P. V. ed. *cum;* solenni peccato.

Ver. 282. *Perscindit nubem fulmen.* Ovidium in tempore castigabo, ad met. xv. 70.

—— unde nives: quæ *fulminis* esset origo;
Jupiter, an venti, *discissâ nube, tonarent.*

Vulgo, *discussâ;* sed *discutere* est διασκιδασαι, vel in omnem partem spargere; *discindere* autem valet διασχιζειν, seu *dissecare* et *perrumpere:* quod tenor loci postulat. Diogenes Laërtius, sive potius Epicurus, x. 103. unde sua Lucretius derivavit, πυρος ΈΡΗΞΑΝΤΟΣ το νεφος dicit. Confer nostrum, ver. 137. et infra, ver. 292.

Ver. 285. *ut:* V. ed. *et.*—*videantur:* Σ. *videatur.* Nimirum, absolutus usus verbi *opprimere* librario displicuit, sed injuriâ: regredere ad ver. 265. et ibidem dicta.

Ver. 286. *tremor pertentat:* i. e. "per-"cellit concutitque; quasi *per* omnia ple-"ne vellet firmitatem ejus *tentare,* et pe-"nitus experiri quid demum ferre vale-"at." Virgilius, geo. iii. 250.

Nonne vides, ut tota *tremor pertentet* equorum
Corpora, si tantum notas odor adtulit auras?

Consulas commentarium Servii ad locum: atque cum his versibus committas v. 1220.

Ver. 288. *fremitusque:* V. ed. *fremitus;* sine *que.*

Quem gravis insequitur sonitus, displosa repente
285 Obprimere ut cœli videantur templa superne.
Inde tremor terras graviter pertentat, et altum
Murmura percurrunt cœlum; nam tota fere tum
Tempestas concussa tremit, fremitusque moventur:
Quo de concussu sequitur gravis imber, et uber,
290 Omnis utei videatur in imbrem vortier æther,
Atque ita præcipitans ad diluviem revocare:
Tantus, discidio nubis, ventique procellâ,
Mittitur ardenti sonitus quom provolat ictu.

Ibid. *fremitus moventur.* Hinc Arnobius, flores poëticos undique decerpens, et propriis areolis immiscens, lib. iv. p. 153. —" nam sæpe illos dicitis—*tremoribus* " *infremuisse terrarum*, et contagione " pestilenti corrupisse auras—." Unde etiam me habeo persuasissimum, Maronem ita esse rescribendum, ad geo. i. 330. illo quoniam libentius Arnobius est imitatus neminem:

——————— quo maxuma *motu*
Terra fremit——.

Et ita postea conspexi unum codicem dedisse: vulgo, *tremit.* In *tremo* autem et *fremo* commutandis scribæ soliti sunt peccare. Conferas annotata inferius, ad ver. 580.

Ver. 289. *Quo de:* V. ed. *Quod e.*—*concussu:* V. ed. *concussis;* O. Ω. *concussus;* arreptâ insequentis dictionis primâ literâ. Priscianus posteriorem partem versûs sine varietate lectionis protulit in lib. v. p. 647.

Ver. 290. *utei:* Vind. V. ed. L. M. Δ. Σ. *ut;* Ω. *ita ut.* Hinc eram conjecturâ id assecutus, quod postmodum invenerim in O. codice:

Omnibus ut videatur——:

i. e. *hominibus;* quæ vox reticetur etiam in verr. 260. 285. sed enim vulgatis stari malim.

Ibid. *Omnis in imbrem vortier æther.* Hanc notionem Virgilius conatus est sic fortius et solidius efferre, ad geo. i. 324.

——————— ruit arduus æther:

i. e. " omnis æther decidit, et in pluviam " liquescere videtur." Ad venustatem phraseos Heynius haud penitus pervenit. Idem Mantuanus, toties adhibitus, ibid. ii. 325. bene potest iterum admoveri:

Tum pater omnipotens fecundis *imbribus Æther*
Conjugis in gremium lætæ descendit——.

Ver. 291. *revocare.* Lego, *revocari.* Bis idem dicit, In imbrem verti æthera, et Ad diluviem revocari: vide v. 256. *Diluvies* est *humor.* BENTLEIUS.
Non assenserim equidem, codicibus invitis; ipse quamvis in eandem conjecturam, adeo in proclivi jacuit, ultro incidissem. Ordo est, et sensus, hoc modo capiendus: " Æther videtur revocare *imbrem* in dilu- " viem:" i. e. de novo quasi universam vim imbrium convocare, ut secundam diluviem importent terris.

Ibid. *præcipitans:* i. e. impetu maximo, quasi *capite prono* decidens. Maro, Æn. x. 804.

——— effusâ si quando grandine *nimbi*
Præcipitant——.

Ver. 292. *Tantus:* O. *Tantos;* Ω. *Tanto.*—*discidio:* P. *dissidio;* ut alibi quoque peccatum deprehendimus.

Ver. 294. *quom,* vel *cum:* Σ. *tum.*—*incita:* Ω. *excita;* a primâ manu, lectione receptâ tamen superscriptâ.

Est etiam, quom vis extrinsecus incita venti
295 Incidit in validam maturo a culmine nubem:
Quam quom perscidit, ex templo cadit igneus ille
Vortex, quem patrio vocitamus nomine fulmen.
Hoc fit idem in parteis alias, quoquomque tulit vis.
Fit quoque, ut interdum venti vis, missa sine igni,
300 Igniscat tamen in spatio, longoque meatu,
Dum venit; amittens in cursu corpora quædam

Ver. 295. De hoc versu, conjecturis nostris restituto sinceritati pristinæ, maximo nos opere lætamur. Vult nimirum poëta, ventum ita incidere vertici, vel superiori parti, nubis, jam maturos ignes gestantis, ut eam permeet, atque alteram, sive inferiorem, partem ejus, unde fulmen evolet, perrumpat. Hinc omnia fiunt clara, et expedita. Sed varietatem lectionis indicemus. *Incidit:* Vind. *Incedit.—in:* Δ. *ad.—validam:* Vind. O. *valida.—culmine:* sic omnes libri præter P. qui dat *fulmine;* quam vocem editores avide corripuerunt, sed egomet haud dubitem correctoribus imputare, scripta exemplaria commento proprio posthabentibus. Hinc existimavi τo *a* supplendum esse; favetque tentamini V. ed. vice τu *maturo*, scribens *matura*. Si Lucretius primitus posuisset *fulmine*, an credibile est librarios scriptores, ut ut inscitos et oscitantes, in *culmine* mutaturos? Nemo dixerit. Contrarium est veri certe similimum.

Ibid. *validam.* Lego, *gravidam;* ut ver. 258. Sic *partum*, *fetum*, dicimus *maturum:* vide ver. 439. Bentleius. Ad scopum hoc tempore, nobis saltem arbitris, nullo modo collineavit. *Validam nubem* sonat *crassam conspissatam*que; rei utique propositæ quam idoneam. Huic autem expositioni nullus tu repugnaveris, postquam commiseris verr. 175. 245. 249. superius.

Ver. 297. *Vortex:* omnia vetera exempla, *Vertex.—quem:* Vind. V. ed. pro var. lect. Σ. *quam;* O. Ω. *quod;* sed hic in margine habet *quem.—patrio:* Vind. V. ed. pro var. lect. Δ. Σ. *spatio;* M. a sec. manu, *e Latio;* et *Latio* adscribitur margini cod. Σ.

Ibid. *fulmen* hic idem vult quod *fulgur;* ut in Virg. Æn. ix. 733. Aurelius Victor, epit. i. 20. " A cujus facie cum " quidam miles oculos averteret, et inter- " rogaretur ab eo, cur ita faceret, respon- " dit: Quia *fulmen* oculorum tuorum " ferre non possum." At *fulgur* est, quo soleant oculi hominum præstringi. Silius Italicus, xii. 700.

——— namque, ut cernis, jam flagitat *ignes*,
Et parat accensis imitari *fulmina* flammis.

Hæc autem reputans ita censeo: *Fulgur* scilicet *cum sonitu* vocitari aliquoties *fulmen;* ast *fulgur tacitum* non item, sed proprium nomen retinuisse.

Ver. 298. *in parteis alias:* i. e. " non " solummodo *a* nubis *culmine*, sed a la- " teribus, et ab imâ parte denique; si ven- " ti vis eo se forte fortunâ tulerit, et irru- " perit in nubem." Hinc nostra ver. 295. constitutio validissime roboratur ipsius vatis auctoritate. Mentem loci non attigit interpres Creechius.

Ver. 300. *Igniscat.* Quum utraque forma in hujusce generis dictionibus obtineat, quisnam ego, ut audeam codicibus MSS. antiquissimis inverecunde refragari? Quod dederim vero, scriptum est in Vind. L. M. nec multum abludit codicis Ω. scriptura, *Ignificat:* reliqui, *Ignescat.* Opportune satis vetus onomasticon, haud ignobilis aliquoties subsidiarius: " *Igniscit*, πυρωται." Neque aliter in Græcis: " Πυρωται, *igniscit.*" Nempe,

Grandia, quæ nequeunt pariter penetrare per auras:
Atque alia ex ipso conradens aëre portat
Parvola, quæ faciunt ignem, conmixta, volando.
305 Non aliâ longe ratione, ac plumbea sæpe
Fervida fit glans in cursu, quom, multa rigoris
Corpora dimittens, ignem concepit in auris.
Fit quoque, ut ipsius plagæ vis excitet ignem,
Frigida quom venti pepulit vis, missa sine igni;

ab uno schemate casûs sexti, *igne*, venit *igneo*, *ignesco;* vide Priscian. lib. ix. p. 858. et ab alterâ antiquiore, *igni* scilicet, Lucretianum *igniseo*, et *ignio* Prudentii, peristeph. 1378. quem satis audacter barbarismi Vossius hac de caussâ postulat.

Ibid. *in spatio:* i. e. dum progreditur, dum viam peragit. Hinc autem, ut taceam de locupletissimo Silianæ imitationis testimonio, quod præripuerunt alii, et egregie commisit Heinsius, ad liquidum perducitur illa Virgilii scriptura, ad geo. i. 513.

Ut, quum carceribus sese effudere quadrigæ,
Addunt *in spatio*——:

i. e. "celeritatem ac vires eundo sibimet "acquirunt." Pronomen autem de præcedentibus repetendum est. Plinius, epist. vi. 20. 12. "Dein, manum ejus amplex-"us, *addere gradum* cogo." Hirtii locum, de bell. Afric. lxx. 3. male huc relatum Oudendorpio satis constiterit attento animo perlegentibus.

Ver. 304. *Parvola:* P. Vind. V. ed. O. Δ. Σ. Ω. *Parvula.*

Ibid. *faciunt ignem volando.* Maronem componamus, ad Æn. v. 525.

Namque *volans* liquidis in nubibus *arsit* arundo.

Ver. 305. *plumbea glans:* redeas ver. 177.

Ver. 306. *Fervida fit:* V. ed. *Fecunda fit;* O. Δ. autem, *Fervidior.*

Ver. 307. *concepit:* Vind. Vossii MSS. *concipit.*

Ibid. *ignem concepit.* Ut locutum video Avienum, Arat. 1645. quem in transitu et emendabo, et rectius explicitum vindicabo:

Sæpe etiam Phœbo nubes percussa rubescit;
Et, meditata dei formam, procul *igne* recepto
Concipit effigiem, simulato *numinis* orbe.

Jam quo successu divinationem suam Grotius sit periclitatus, *Atque imitata* scilicet, pro elegantissimâ et indolis exquisitæ phrasi *Et meditata*, luculenter tibi commonstratum dabunt annotationes meæ ad ver. 111. hujusce libri. Adscribam insuper Nasonem, met. i. 255.

Sed timuit, ne forte sacer tot ab ignibus æther
Conciperet flammas, longusque ardesceret axis.

Ver. 308. *ipsius:* Vind. V. ed. Δ. Σ. *ipsis;* unde O. *ex ipsis;* ut metro laboranti succurreret.—*plagæ vis:* Vind. V. ed. Δ. Σ. Ω. *plagæ ejus;* iisdem prorsus lineamentis literarum.

Ver. 309. *pepulit:* i. e. τυ *aliquid* subaudito; vide ver. 316. Verbum scilicet absolute ponitur pro *pulsationem fecit:* uti *perculit* in versu proxime insequente, et modo superius *opprimere*, ver. 285.

Ver. 310. *quia:* V. ed. *qui;* ut erratum alibi est plus semel.

Ibid. *perculit:* i. e. ita percussit, ut *penitus conquasset* commoveatque. Veram vim dictionis nescio an unus doctorum probe perceperit, aut quid distet τυ *percutio*, tenuerit. Emendabimus, hinc exorsi, Catullum, in lxiv. 365.

Quom teres, excelso coacervatum aggere, bustum
Excipiet niveos *percussæ* virginis artus:

310 Nimirum, quia quom vehementi perculit ictu,
Confluere ex ipso possunt elementa vaporis:
Et simul ex illâ, quæ tum res excipit ictum:
Ut, lapidem ferro quom cædimus, evolat ignis;
Nec, quod frigida vis ferri est, hoc secius illa
315 Semina concurrunt calidi fulgoris ad ictum.
Sic igitur quoque res adcendi fulmine debet,
Obportuna fuit si forte, et idonea, flammis.
Nec temere omnino plane vis frigida venti
Esse potest, ex quo tantâ vi missa superne est;

i. e. ισφαγμενης· confer Juvenal. i. 163. Vulgo, *perculsæ;* sine dubio mendose. Burmannus ne per tenebras quidem proprietatem vocis quivit aliquatenus dispicere ad Virgilii Æn. v. 374.

Perculit, et fulvâ moribundum extendit arenâ:

i. e. " ictu tam vehementi cunctos artus " pertentavit et penitus concussit, ut eti- " am sine spe vitæ tellure sterneret." Verbum *percutio*, respectu ad etymon ejus minus habito, nihil ultra *ferire* scriptoribus omnibus valere solet. Cæterum, in nostro, vice *perculit*, B. O. Ω. *pertulit.*

Ver. 311. *ex ipso:* nempe, vento; ut rectissime interpres: nam Pius exposuit, " Propter ipsum ictum;" perperam, ut loci scopus, et maxime sequens versus, liquidissime declarat. Pius insuper habet *vapores.*

Ver. 312. *ictum:* P. V. ed. B. *illum.*

Ver. 313. *cædimus:* Vind. Ω. *cedimus.*—Porro, huc respexit Servius, in commentariis ad Virg. Æn. i. 743. sub vocibus *unde ignes:* " Scilicet ex nubium " collisione: nam omnium rerum collisio " ignem creat; ut in *lapidibus* cernimus; " vel attritu rotarum, ut in plaustris; " vel, in sylvis, arborum."

Ver. 314. *ferri est:* sic L. M. neque aliorsum spectat lectio Vind. V. ed. O. Ω. *ferris*, facillime ex *ferrist* effecta: vulgo, satis duriter et inculte, *sit ferri;* haud dubie sine libris vetustis.—*secius:* Vind. O. *sencius;* neque discrepat τὸ *sentius* in Ω. et *stutuis* V. ed. *t* solummodo cum *c* mutato: Δ. *saucius;* Σ. *sentiat.* Passim librarii in hoc voce peccant, *segnius* etiam, et *setius*, sæpenumero scribentes.—*illa:* V. ed. O. Ω. *ille;* M. *illo;* i. e. ni fallor, *illom*, vel *illum;* quemadmodum profecto exaratum plane offendi in Σ.

Ver. 317. *idonea:* V. ed. *indomeat;* Δ. *pervia*, sed super rasurâ tamen.

Ver. 318. *temere:* volebat *tamen*, miram per inscitiam, Gassendus. Exquisitum hunc *temere* vocis usum vel pueruli, ut arbitror, resipiunt.

Ver. 319. *quo:* P. Δ. *qua.*—*vi missa:* sic L. Ω. neque re verâ discrepat scriptura V. ed. *immissa*, et Vind. *umissa:* O. *vis missa;* Δ. *vi nixa:* vulgo, *vi inmissa;* ductibus voculæ *vi* male repetitis. Porro, *est* in Σ. locatur post *tantâ*, non male.

Ver. 320. *prius:* Δ. *tamen.*—*in cursu si:* P. Δ. Σ. O. *in cursus si;* Vind. V. ed. *in cursus.*

Ver. 321. *At:* Vind. O. Δ. Σ. *Ad.*—*calore:* Vind. V. ed. O. *colore.*

Ibid. *tepefacta calore* saltem, si non *igni accensa.*

Ibid. *calore:* quem ex ipso aëre nanciscitur: vide verr. 303. 304. Bentleius.

Ver. 323. Bis in hoc versu conjectu-

320 Quin prius, in cursu si non adcenditur igni,
At tepefacta tamen veniat, conmixta calore.
Mobilitas autem fit fulminis, et gravis ictus,
Ac celeri ferme pergunt tibi fulmina lapsu,
Nubibus ipsa quod omnino prius incita se vis
325 Conligit, et magnum conamen sumit eundi.
Inde, ubi non potuit nubes capere inpetis auctum,
Exprimitur vis; atque ideo volat inpete miro,
Ut validis quæ de tormentis missa feruntur.
Adde, quod e parvis, et lævibus, est elementis;

ram in subsidium advocavi, præter votum meum ac consuetudinem; sed rationes meas non vereor quin candidus lector et intelligens suo sit suffragio donaturus. *Ac:* omnes libri veteres, *At;* editores de suo *Et*, uti conspicitur in Vind. ob indiligentiam collatoris. Sed nostrum *Ac* probabilitate præstat, tam quod *c* et *t* elementa passim permutentur, quam quod ipsa *Ac* et *At* non raro alterum in alterius locum vicissim subrogentur.—Porro, solet evulgari *pergunt sic;* sed, an ex auctoritate codicum, nequaquam constat: P. V. ed. *pergunt ubi:* jam vero scribæ frequenter confudere voces *ubi* ac *tibi;* et nostra lectio est ex elegantiis vere Lucretianis: confer mox ver. 364. et v. 261. —deest *sic* Vind. codici; O. Δ. *dispergunt;* Σ. *pergunt cum;* Ω. *jam pergunt:* quæ omnia sese traducunt pro miseris numerorum claudicantium tibicinibus. De L. M. ut alias nimium sæpe, nihil Havercampus retulit.

Ver. 324. *se vis:* V. ed. O. *sævis;* Vind. *sacius;* eidem prorsus oberrans chordæ.

Ver. 326. *inpetis:* V. ed. O. *impetus.* —Vetus glossarium: "*Impes*, ῥυμη, "βια."

Ibid. *capere inpetis auctum.* Livius, xxii. 5. haud discrepat:—"in omnes "partes nequidquam *inpetus capti;*" ubi consulendi tibi sunt doctissimi enarratores.

Ver. 327. *Exprimitur vis.* Ita Lucanus, i. 151.

——— *expressum* ventis per nubila *fulmen*—.

Ver. 328. *de tormentis missa.* Cognatus locorum tenor probat Virgilium hujusce versûs memorem fuisse, dum scriberet, Æn. xi. 616.

——————— Excussus Aconteus
Fulminis in morem, aut *tormento* ponderis acti.

Pariter de *tormentis* Vegetius, iv. 29. "Nam, *more fulminis*, quidquid percus-"serint, aut dissolvere, aut irrumpere, "consueverunt." Dum in hoc sum, morbosum Ammiani Marcellini locum, xxiii. 4. editorum crucem ac tormentum, sanitati suæ restituam: "Et *tormentum* "quidem appellatur ex eo, quod *loris ex-*"*plicatis* torquetur." Libri, *omnis explicatio.*

Ver. 329. *et:* ita P. V. ed. O. Δ. Σ. Ω. reliqui omnes, ut suspicor; nam supinitatem collatoris Vind. nihil moror. Vulgo, *ac.*

Ver. 331. *rara:* Vind. V. ed. *ara;* absorpto *r* ab præcedente dictione: O. *astra;* Δ. *strata;* Σ. *arcta;* Ω. *aperta;* etiam bene, et forsan vere: sed antiquissimis libris obtemperandum; atque eodem plane spectant Vind. ac V. ed. quæ dat etiam pro var. lect. *nara:* ut Ω. vicissim favent O. et Σ. Mox V. ed. *inter*, pro *in.*

Ver. 333. *Hæsitat:* V. ed. Σ. Ω. *Hæ-*

330 Nec facile est tali naturæ obsistere quidquam:
Inter enim fugit, ac penetrat, per rara viarum.
Non igitur multis obfensibus in remorando
Hæsitat: hanc ob rem celeri volat inpete labens.
Deinde, quod omnino naturâ pondera deorsum
335 Omnia nituntur: quom plaga sit addita vero,
Mobilitas duplicatur, et inpetus ille gravescit:
Ut vehementius, et citius, quæquomque morantur,
Obvia discutiat plagis, itinerque sequatur.
Denique, quod longo venit inpete, sumere debet
340 Mobilitatem, etiam atque etiam quæ crescit eundo,

sit at.—celeri: O. *cœli;* Δ. *celi:* deest autem omnino vox in V. ed.

Ibid. *labens,* de *fulmine:* vide nos ad i. 1003.

Ver. 334. *naturâ:* P. *naturæ.—deorsum:* Vind. L. M. V. ed. Σ. *deorum;* sed vulgatum etiam pro var. lect. exhibent. Nimirum, scriptum erat *deōsum:* hinc *deorum.*—Mox Vind. Δ. *si,* pro *sit.*

Ver. 338. *itiner.* Nonius, ad viii. 2. versum citat; ibique, et ad 54. ibid. exempla dictionis profert ex Varrone, Plauto, Accio, Turpilio, Ennio, ac Pacuvio: ubi scriptum est etiam mendose *gladiis,* pro *plagis.* Vetustæ glossæ: "*Itiner,* "*ὁδοιπορία. Itiner, ὁδός.*" Accedat porro Juvencus, hist. evang. iv. 73.

Nam, vobis *itiner* clausum quia jure negatur,
Non sinitis quenquam penetrare per ardua lucis.

Manilius, i. 88. similiter:

Fecit et ignotis *itiner* commercia terris.

Quod miror Bentleium in animum inducere potuisse ut rejiceret. Certe non exspectandum est, ut omnia verba Latini patris intra breve corpus Augustanorum scriptorum reperiantur: non igitur pro cascis et obsoletis eæ locutiones sunt statim proscribendæ, quas illi usu suo non comprobaverint; ne dicam vel venustos homines diverso gustu vivere, et alia aliis, vel unius varietatis gratiâ, merito complacere.

Ibid. *itiner sequatur.* Plautus, Merc. v. 2. 88.

—— Quin tu ergo *itiner exsequi* meum me sinis?

Hujusce autem formæ apud priscos grammaticos frequens habetur mentio.

Ver. 340. *Mobilitatem quæ crescit eundo.* Hæc sumpsit, et ita exhibuit, Virgilius, Æn. iv. 175.

Mobilitate viget, *vires*que *adquirit eundo.*

Cæterum, Ω. *quia,* pro *quæ;* non male.

Ver. 343. *E regione:* i. e. "ex omni "parte fulmini, cursum suum sequenti, "objacentia;" quæ si vera sint, voces sunt ad præcedentem clausulam referendæ: sin malis phrasin *e regione* per *itinere directo* interpretari, pertinet ad sequentia: qui sane sensus est verborum Ciceroni et aliis; adeoque nihil novavimus. Virgilius, Æn. ii. 737.

———— notâ *excedo regione* viarum.

Ver. 344. *coniciens:* sic Ω. purissime; unde hanc scripturam hic admittendam habui, pœnitetque me locupletissimis auctoritatibus codicum haud devictum superius fuisse ad i. 285. sed melior est sera emendatio errore falsi pudoris repetito. Vulgo, *conjiciens.* Vetus onomasticon;

Et validas auget vireis, et roborat ictum.
Nam facit, ut, quæ sint illius semina quomque,
E regione locum quasi in unum cuncta ferantur,
Omnia coniciens in eum volventia cursum.
345 Forsitan ex ipso veniens trahat aëre quædam
Corpora, quæ plagis incendunt mobilitatem:
Incolomeisque venit per res, atque integra transit
Multa, foraminibus liquidus quia transviat ignis.
Multaque perfregit, quom corpora fulminis ipsa
350 Corporibus rerum inciderint, quâ texta tenentur.
Dissolvit porro facile æs, aurumque repente

"*Conicio*, εμβαλλω. *Conicit*, βαλλει." *Coniciens* autem, congregans, colligi faciens. Nonius, iv. 89. "Conjicere, *col-* "*ligere*, certare." Lege, *confligere*. Antiquæ glossæ denuo: "*Conicit*, συνζευγ- "νυει."

Ver. 345. *Forsitan:* P. *Forsan et;* ut editorum vulgus: contra libros scriptos universos, ni fallimur.—*trahat:* Havercampus, *trahit;* operarum, ut videtur, vitio.

Ver. 346. *incendunt:* sic malim in ligato sermone, præ *intendunt*, ut poëticum magis, grandius, et exquisitius; licet utriusque vocabuli in hoc usu prorsus eadem sit potestas. Hinc etiam a testimoniis exemplarium veterum propius absumus. P. sane, cum editis vulgaribus, *intendunt;* quemadmodum *c* et *t* perpetuo confunduntur: sed O. *incendunt*, et reliqui omnes, *incedunt;* i. e. *incēdunt*, vel *incendunt*. Vanus essem, et inutiliter operosus, si exempla dictionis *incendo*, Lucretii loco commoda, vellem congerere. Plura sunt loca in Tacito et aliis, quibus *incendo* restitui debet, vice *intendo;* hæc autem discutere nec tempus, nec iniqua operis vel nunc prolixioris spatia nobis permittunt. Nullus interea dubitaverim, quin hanc ad normam emendandus sit Virgilius, in Æn. viii. 514. Lucretio favente:

Pastorale canit signum, cornuque recurvo
Tartaream *incendit* vocem——.

Et sic profecto nonnulli libri MSS. magno nomine: conferas Æn. vi. 165. v. 455. ix. 500. geo. iii. 459. atque suffragium tuum, lector! mihi forsitan accedet.

Ver. 347. *per res:* Ω. *partes;* quæ debetur aberratio simillimæ figuræ literarum *r* et *t*, in Longobardicis characteribus.

Ver. 348. *liquidus:* ita L. redeas ver. 204. P. Vind. O. Δ. Σ. Ω. *liquidis;* V. ed. *lapidis;* M. *liquidum.*—*transviat:* sic, dilucide ac vetusto more, Vind. V. ed. L. M. Δ. Σ. Ω. editores, in nullâ parte temeritatis et inscitiæ cessantes, ex arbitrio dedere *travolat;* P. *traviat;* B. *transivit;* O. *transeat.*

Ver. 349. *perfregit:* i. e. "usu com- "pertum est aliquoties fregisse;" per lepidissimam variationem temporum, et optimis poëtis frequentatam. Quod genus ista sunt Virgiliana, geo. iii. 363.

Æraque *dissiliunt* volgo, vestesque *rigescunt*
Indutæ, *cædunt*que securibus humida vina;
Et totæ solidam in glaciem *vertere* lacunæ,
Stiriaque inpexis *induruit* horrida barbis.

Hoc autem modo conspicitur exaratum in Vind. V. ed. B. M. O. Δ. Σ. Ω. vulgo, *perfringit;* L. *perfigit.*—Ab hoc insuper loco Lucretii elaborata Flori perio-

Confervefacit; e parvis quia facta minute
Corporibus vis est, et lævibus ex elementis,
Quæ facile insinuantur; et, insinuata, repente
355 Dissolvunt nodos omneis, et vincla relaxant.
Auctumnoque magis, stellis fulgentibus apta,
Concutitur cœli domus undique, totaque tellus;
Et, quom tempora se veris florentia pandunt:
Frigore enim desunt ignes, venteique calore

dus et emendanda est, et explicanda, ad ii. 6. 9. "Igitur, ubi semel se in His-"paniâ movit illa gravis et luctuosa Pu-"nici *belli* vis atque *tempestas*, destina-"tumque Romanis jam diu *fulmen* Sa-"guntino igne conflavit; statim, quodam "impetu *rupta*, medias *perfregit* Alpes, "et in Italiam ab illis fabulosæ altitudi-"nis nivibus, velut cœlo missa, descen-"dit." Vulgo, *rapta;* sed color oratio-nis et concinnitas figuræ nostram vocem flagitant, *rupta*, sive *se erumpens:* vide sis Virg. geo. iii. 428. Stat. Theb. xii. 275. neque aliter alii passim.

Ver. 350. *inciderint:* V. ed. *incederint.* —*quâ:* P. *quæ;* V. ed. *que.*—*tenentur:* Ω. *tuentur.*

Ibid. *texta tenentur:* ita compactâ scilicet et condensatâ materie, ut nulla sint foramina, per quæ fulmen sine corporis discidio perniciali transfundi possit.

Ver. 356. *apta.* Sic lego. Hinc Virgilius, Æn. vi. 798.

——— ubi cœlifer Atlas
Axem humero torquet, *stellis* ardentibus *aptum.*

Apta: i. e. *fixa;* ut noster, *radicibus apti.* v. 806. et ibid. ver. 1204.

——— *stellis*que micantibus æthera *fixum.*

BENTLEIUS.

Eandem emendationem alii dudum, et nosmet etiam, utpote Virgilii amatoribus in apertissimo jacentem, occupaveramus. Omnes libri veteres, pervicaci et molestissimo consensu, dant *alta;* cum nullâ vel tolerabili constructione. Ennius bis posuit, apud Macrob. Sat. vi. 1.

——— cœlum *stellis fulgentibus aptum:*

ad ipsissimas poëtæ nostri voces; quas Mantuanus denuo excepit, nullâ mutatione locutionis factâ, ad Æn. xi. 202.

——— nox humida donec
Invertit *cœlum stellis fulgentibus aptum.*

Extra omnem dubietatis suspicionem locari videtur hæc divinatio; nam, si *το alta* ferre posset interpretationem *referta,* ab *ἀλο*, nutrio, hoc foret duriusculum, et id ambigui contineret, quod ab homine venustissimo quibusvis demum machinis editor studiosus contendat amoliri. Positis igitur omnino acquiescendum esse arbitramur.

Ibid. *stellis fulgentibus — cœli domus.* Apposite Horatius, od. ii. 12. 8.

——— unde periculum
Fulgens contremuit *domus*
Saturni veteris.

BENTLEIUS.

Ver. 458. *Concutitur cœli domus, totaque tellus.* Quemadmodum Horatius, od. i. 34. 9. de *tonitru:*

Quo bruta *tellus*, et vaga flumina,
Quo Styx, et invisi horrida Tænari
Sedes, Atlanteusque finis,
Concutitur——.

Ibid. *tempora se veris:* Vind. V. ed. *tempora seris;* et hæc pro var. lect. *tempora veris:* Δ. *temporibus seris;* Σ. *tempora quæ veris.*

360 Deficiunt, neque sunt tam denso corpore nubes.
Inter utrasque igitur quom cœli tempora constant,
Tum variæ caussæ concurrunt fulminis omnes.
Nam fretus ipse anni permiscet frigus, et æstum;
Quorum utrumque opus est fabricanda ad fulmina nobis,
365 Ut discordia sit rerum, magnoque tumultu
Ignibus et ventis furibundus fluctuet aër.
Prima caloris enim pars, et postrema rigoris,

Ibid. *tempora se veris pandunt.* Hæc eleganter illustrabuntur Virgilianis illis ad geo. i. 217. iv. 52. 77. Serviique commentariis: ad quæ lector amandandus est.

Ver. 359. *Frigore:* M. *Frigora.*— *ventique calore:* Vind. *ventique colores;* V. ed. *ventisque caores;* L. M. Ω. *venti atque calores;* O. *venti calores.* Hæ autem membranarum discrepantiæ non sunt hoc tempore vitiosæ nucis æstimandæ; nihil enim, opinor, unquam fuit receptis lectionibus magis indubitatum.

Ibid. *Frigore,* pro *hyeme;* ut v. 640. et *calore,* pro *æstate;* ut i. 175. Virgilius, geo. iv. 36.

——— Nam *frigore* mella
Cogit *hyems,* eademque *calor* liquefacta remittit.

Ver. 360. *Deficiunt:* V. ed. *Defiunt;* nescio an vere, an ex errore, ad eum fontem referendo, quem aperuimus in notis ad ii. 1045. Conferas interea Virg. ecl. ii. 22.

Ver. 361. *utrasque:* ita scriptum est in Vind. V. ed. O. Δ. Σ. Ω. Florent. etiam atque Ald. editt. doctissime quidem, et longe longeque supra captum librariorum; ut non sit hæc varietas eorum oscitationibus vel importunitatibus imputanda. Vulgari solet, *utrumque;* sed me persuasum habeo sic scribi contra veteres libros MSS. si modo collatores rem fideliter inventi essent administrasse. Nempe, *το utrasque* latenter respicit dictionem *tempestatem* in nomine *tempora* comprehensam: videas annotata ad i. 353. et in indice critico uberiorem exemplorum segetem. Nempe, formulis poëtici sermonis exquisitissimis, et maxime speciosis, omnium veterum unus est Lucretius noster abundantissimus, atque adeo universæ Latinitatis auctor locupletissimus.

Ibid. *constant* hic potest simpliciter *sunt;* neque aliter in Maronis Æn. v. 748.

——— quæ nunc animo sententia *constet.*

Ennius, ut videtur, in Cic. Tusc. dispp. i. 16.

—— ubi rigida *constat* crassa caligo inferûm.

Glossæ veteres: "*Constant,* καθεστηκασι." D. Jacobus similiter, iii. 6. οὕτως ἡ γλωσσα ΚΑΘΙΣΤΑΤΑΙ εν τοις μελεσιν ἡμων.

Ver. 363. *frigus et:* P. Vind. V. ed. O. Δ. Σ. Ω. *frigidus;* Nonius, *frigus ad:* qui versum profert in iii. 92.

Ibid. *fretus anni.* Eleganter et signate; nam per *incertos menses,* ut Virgilii verbis utar, *fluctuat* aër, *æstuat*que, tempestatibus confligentibus: redeas autem ad iv. 1024.

Ver. 364. *fabricanda ad fulmina.* Pariter Naso, met. i. 259.

Tela reponuntur, manibus *fabricata* Cyclopum.

Ver. 365. *sit:* Σ. *cum;* Ω. *sic:* exsulat autem vocula Vind. et V. ed.

Ibid. *magno tumultu.* Virgilius, Æn. vi. 858.

——— *magno* turbante *tumultu*—,

Tempus id est vernum: quâ re pugnare necesse est
Dissimileis inter sese, turbareque, mixtas.
370 Et calor extremus primo cum frigore mixtus
Volvitur, auctumni quod fertur nomine tempus:
Heic quoque confligunt hyemes æstatibus acres.
Propterea, sunt hæc bella anni nominitanda;
Nec mirum est, in eo si tempore plurima fiunt
375 Fulmina, tempestasque cietur turbida cœlo,

Ver. 366. *ventis:* O. *veris;* i. e. *vētis: t,* quod adsolet, in *r* migrante.—*fluctuet:* Vind. V. ed. Δ. Σ. *fluctus et.*

Ibid. *Ignibus fluctuet.* In hac metaphorâ poëtæ sæpissime versati sunt. Sufficiat testimonio Sidonius Apollinaris, ix. 196.

Per templum male *fluctuante flammâ.*

Ibid. *fluctuet aër:* confer v. 277. et ibi dicta. *Fluctuet* autem, κλυδωνιζηται. Propertius, ii. 21. 5.

Venit enim tempus, *quo* torridus *æstuat aër.*

Editiones quædam, *quum;* i. e. *quom:* unde harum vocularum in MSS. confusio.

Ver. 367. *et:* sic soli Δ. Σ. cæteri, *est;* facili errore, ob compendium *ē.*—*rigoris:* ita soli Junt. et Ald. editi; cæteri veteres universi, molestissime conspirantes in vitio, *liquoris:* quam lectionem, licet de *pluvioso* tempore, pro *hyemali,* non inepte forsitan intelligi poterit, receptæ tamen voci, sive sit e libris MSS. deprompta, sive doctorum acumini debeatur, nos toti, et ex animo, subscribimus.

Ibid. *rigoris:* i. e. frigoris. Arnobius, lib. vi. p. 205.—" illud in *rigoribus* algi- " dum, hoc vaporum—." Unde Virgilius, geo. i. 143. *rigor ferri:* i. e. *durum* ferri *frigus;* vel *glacies ferri,* de phrasi longe longeque venustissimâ Lucretii, ad i. 494. quo te recipias, et annotata perlegas. Adrianus ad Animam:

Quæ nunc abibis in loca,
Pallidula, *rigida,* nudula?

i. e. morte *frigida;* de sensu secundario, quum *frigus* mox faciat corpora *rigere.*

Ver. 369. *sese:* sic codex optimus L. et Δ. quæ mihi videtur lectio summe probabilis; quum in his syllabarum earundem duplicationibus literæ sæpe soleant elabi, et distantia substantivi *partes,* quod τα *Dissimileis* et *mixtas* respiciunt, manus importunas sciolorum librariorum ad inferciendum nomen facile incitaverit. Vulgo, *se res;* uti conspicitur in P. V. ed. et edi vulgo solet; abest *res* Vind. M. Non male Σ. pro variâ lectione:

Dissimileis inter se, *conturbare*que mixtas.

O. utrumque vocabulum exhibet, *sese res;* metro redundante. Hunc verborum ordinem dat Ω.

Dissimilis *res inter se,* turbareque, mixtas.

Ver. 370. Deest versus Vind. nam consimiles dictiones *mixtas* et *mixtus,* quibus verr. 369. 370. clauduntur, oscitantem scribam fefellerunt.

Ver. 371. *Volvitur.* Hoc verbum non tangit, ut opinor, *fluctuationem* hac mixturâ excitatam, de quâ in ver. 363. superius actum est; sed simplicem *rotationem* temporum: quemadmodum in hoc versu Virgiliano, geo. ii. 402.

Atque in se sua per vestigia *volvitur annus.*

Ver. 372. *hyemes acres.* Plautus, Trinum. ii. 3. 7.

Suæ senectuti is *acriorem hyemem* parat.

Ver. 373. *bella:* Σ. *et;* abest vox Vind. V. ed. O. Δ.—*nominitanda:* V. ed. B.

Ancipiti quoniam bello turbatur utrimque,
Hinc flammis, illinc ventis, humoreque mixto.
Hoc est igniferi naturam fulminis ipsam
Perspicere, et, quâ vi faciat rem quamque, videre:
380 Non, Tyrrhena retro volventem carmina frustra,
Indicia obcultæ divôm perquirere menti;
Unde volans ignis pervenerit, aut in utram se
Vorterit hic partim, quo pacto per loca sæpta

non imitanda; quod literarum ductibus nihil discrepat.

Ver. 374. *mirum est in eo si;* P. *mirum si in eo tum;* Vind. *mirum est in eos;* et eodem spectat V. ed. *mirum stineos;* O. *mirum si in eo jam;* Σ. *mirum æstivo hoc;* Ω. *mirum si in eo sic.* Sane quivis oculatus videt, quid scrupulum scribis fecerit, atque ad locum solicitandum impulerit. Omnino reponendum aio:

Nec mirum est, *si* eo *sic* tempore—:

sed, quum Havercampi silentium videatur indicare membranas vetustissimas atque emendatissimas vulgatis suffragari, nihil in memet volui suscipere, aut novare leviter. Redeas autem velim ad iv. 1054. v. 7. videas etiam infra, ver. 796.

Ver. 375. *cietur:* Vind. *cie;* V. ed. *ciet:* sequens nempe syllaba sibi gemellam extrivit.

Ibid. *tempestas cietur turbida cœlo.* Hæc Virgilius usurpavit, Æn. xii. 283.

——————— it toto *turbida cœlo*
Tempestas telorum—.

A. Gellius, xiii. 9. e Tyronis pandectis: —" *tempestates* pluvias, largosque imbres, " *cient*—."

Ver. 376. *utrimque:* V. ed. *utriusque;* ex interpretatione forsitan: Δ. a primâ manu, *utrumque;* a posteriore, *utrinque.*

Ibid. *bello turbatur.* Idem Maro, Æn. viii. 29.

——— tristi *turbatus* pectora *bello.*

Ver. 378. *Hoc:* i. e. *hoc modo,* quem in superioribus exposui. Sane licet, nec invenuste, in nominativo casu positum intelligere; sed illud equidem malim, ut magis Lucretianum: videas ad iv. 775. v. 805. ne plures locos excitem.

Ibid. *igniferi fulminis.* Hæ voces breviter significant, et eleganter, *tonitrum* ac *fulgur.*

Ver. 379. *quâ vi:* O. *quam;* conjunctis nimirum vocibus.

Ibid. *rem quamque:* i. e. omnes effectus, valde mirabiles et difficiles explicatu, fulminis fulgurisque licet hinc intelligere.

Ver. 380. *Tyrrhena carmina.* Nam ratio omnis aruspiciorum, et prodigiorum procurandorum, cum aliis huc spectantibus cærimoniis, ab Etruscis religiosissimis, atque hujusce disciplinæ peritissimis, ad Romanos derivata est; ut omnes nôrunt.

Ibid. *retro volventem.* Quod breviter dictum est, vice *undique* volventem, *ultro citroque* volventem. Gemellum schema sermonis compendiarium est infra, ad ver. 1278.

Ver. 381. *Indicia:* P. V. ed. Δ. *Judicia.*—*obcultæ:* P. V. ed. O. *occulte.*—*menti:* sic clarissime Vind. V. ed. L. M. O. Σ. nec ausus equidem sum tam gravibus auctoritatibus obsistere, quum vero videatur simile, delicatissimum Lucretii sensum a genitivo duplice abhorruisse. Nec minus rectum est, si minus vulgare, *indicia* quæ sunt *menti,* quam *indicia* quæ sunt *mentis;* uti legitur in cæteris exemplaribus, et scriptis, et impressis ære.

Ibid. *divôm menti.* Virgilius, Æn. v. 56.

Insinuarit, et hinc dominatus ut extulerit se;
385 Quidve nocere queat de cœlo fulminis ictus.
Quod, si Jupiter, atque aliei fulgentia divei
Terrifico quatiunt sonitu cœlestia templa,
Et jaciunt ignem, quâ quoique est quomque voluntas;
Quur, quibus incautum scelus avorsabile quomque est,
390 Non faciunt, ictei flammas ut fulguris halent
Pectore perfixo, documen mortalibus acre?

——— sine *mente*, reor, sine numine, *divûm*—.

Ver. 382. *utram se:* Vind. V. ed. *utrame;* Σ. *utramve.*

Ver. 383. *partim:* ita luculenter V. ed. L. M. redeas ad notam in ver. 87. Vulgo, *partem.*

Ver. 384. *dominatus:* V. ed. *dominatur.*—*ut extulerit se:* Vind. *ut fatulerit se;* V. ed. *ut faculerist;* Δ. *ut attulerit se;* Σ. *ut facile erit se.* Quæ dissimilitudines suspicionem nobis obmovent, lepidissimum artificem variatum voluisse dicendi genus, et scripsisse:

——— et hinc dominatus ut *abstulerit* se.

Ver. 386. *Jupiter atque aliei divei:* vide Servium, ad Virg. Æn. i. 42. Plin. nat. hist. ii. 53. Arnob. lib. iii. p. 122. Duos posteriores Lambinus advocavit.

Ver. 387. *quatiunt sonitu templa.* Pulchre; quum *pulsibus aëris*, sonitu excitatis, *concutiantur* res. Hinc longe longeque venustissimâ Virgilius audaciâ, in geo. iii. 150.

——————— furit *mugitibus* æther
Concussus, sylvæque, et sicci *ripa* Tanagri.

Nec cedit elegantiâ Claudianus, xxxiv. 33.

Te neque, Dictæas *quatiens mugitibus urbes*,
Taurus, nec Stygii terruit ira canis.

Sed enim, perpensis omnibus, et animadverso poëtarum more, sic ille fortasse scripserit:

——————— nec *Stygius* terruit *ore* canis:

nam sententiæ sic convenientius respondent. Satis sit te misisse ad Virg. Æn. vi. 401. 417. non aliter enim de Cerbero passim reliqui.

Ibid. *cœlestia templa;* τεμενος αιθερος, uti princeps Æschylus nominavit, in Pers. 365. Multa diximus ad v. 522. et alibi.

Ver. 388. *ignem.* Revocavi lectionem omnium librorum veterum; nam editores audaculi ex ingenio vulgaverunt *igneis*, in numero multitudinis.—*quo quoique*, vel *cuique, est:* ita legitur in O. Ω. sed, an hic scribendi modus probabilior sit P. lectionibus, *quo inducit* utique, haud temere affirmaveris; si diligenter attendas optimorum codd. scripturas, et elementorum ductus morosis oculis contempleris. Vind. *quo in quæ est;* V. ed. *quo inquic* (i. e. *inquit*) *se;* L. M. Δ. Σ. *quo inque est.* Litem dirimant eruditi. Postremis exemplaribus si inseras *c*, lectio ipsissima nascitur, quam exhibuimus.—*voluntas:* sic P. Vind. V. ed. L. O. Δ. Σ. Ω. Evulgari solet, *voluptas;* contra libros scriptos haud dubie.

Ver. 389. *avorsabile:* P. V. ed. Σ. Ω. *adversabile.*

Ibid. His committas parallelum locum in ii. 1099—1104. et mox venientia, ver. 416—422.

Ibid. *incautum scelus*, αφυλακτον μυδ quod homo non satis diligenter caverit.

Ver. 390. *ictei:* V. ed. Δ. Ω. *ictu;* non male, sed infra vulgatorum elegantiam, propter minus expeditam constructionem. —*halent:* V. ed. Ω. *habent;* Σ. *alent.*

Ibid. *flammas ut halent pectore perfixo* —*Turbine conreptus.* Mantuanus hæc defloravit, ad Æn. i. 44. haud pudenter satis:

Et potius, nullâ sibi turpi conscius in re,
Volvitur in flammis innoxius, inque peditur,
Turbine cœlesti subito conreptus, et igni?
395 Quur etiam loca sola petunt, frustraque laborant?
An tum brachia consuescunt, firmantque lacertos?
In terrâque Patris quur telum perpetiuntur
Obtundi? quur ipse sinit, neque parcit in hosteis?
Denique, quur numquam cœlo jacit undique puro

Illum, *exspirantem transfixo pectore flammas,*
Turbine conripuit, scopuloque *inflixit* acuto:

Ita certissime scribendum, quicquid obnitantur Heinsius Heyniusque: nam neque sic juxta positas voces cognatas, ac sono simili, *transfixo* et *infixit*, fastidiosissimus summi poëtæ sensus toleravisset; et efficaciorem dictionem plane flagitat nomen *Turbine*, atque loci totius impetus. *Inflixit* autem, per acerrimam violentiam illisit; " quasi confringere membratim " vellet, et, undique perforatum scopuli " acuminibus, vel frustulatim commi- " nuere." Nihil undique rotundius, ac vividius. Fidem faciet emendationi nostræ haud levem Hyginus, fab. cxvi.—" in " quâ tempestate, *Ajax Locrus fulmine* " *est a Minervâ ictus*, quem fluctus *ad* " *saxa inliserunt;* unde Ajacis petræ sunt " dictæ."

Ver. 392. *sibi:* Ω. *si.—in re:* V. ed. *jure;* cum eisdem prorsus vestigiis literarum. Jam vero contempleris fedissimum versum, quem, invenustissimi hominum et inscitissimi, Lucretiani editores nobis ex officinâ suâ non erubuerint proferre, libris vetustis omnibus de solito præfracte ' nculcatis:

Et potius *nullæ* sibi *turpis* conscius *rei.*

Te, mi lector! rogatum velim, an noveris facinus aliud detestabilius, impudentiusque? Bonos viros labefecit haud dubie phrasis *conscius in re;* sed inscitiæ tantæ puditum est. Sic Propertius, i. 10. 2. ubi consulas eruditos editores:

——— vestris *conscius in* lacrymis.

Ver. 393. *Volvitur in flammis.* Similiter Maro, ad geo. ii. 308.

Et totum *involvit flammis* nemus——:

ubi verum fuerat, ob impensissimos summi vatis in Lucretium amores, si codex vel unus addixisset, hoc modo:

Et totum *in flammis volvit* nemus——.

Ver. 394. *Turbine cœlesti et igni.* Hendyades est, pro " turbine cœlestis ignis," seu fulminis.

Ver. 395. *frustra laborant:* in expediendo fulmine scilicet, et fabricando; si sit usu nullo locis vacuis, ubi nemo percutitur, immittendum.

Ver. 396. *tum:* Vind. *con;* V. ed. *cum.* —Et demiror maximum stuporem doctorum, patienter per editos putidum ac temerarium Lambini commentum, libris vetustis reclamantibus, propagantium; nam Vind. nihil morer:

An *con* brachia *sufaciunt*, firmantque lacertos?

Quisquamne poëtarum tam crudeliter dilaceratus est, tam lamentabiliter depravatus, mutilatus, truncatus, deperditus denique, ac Carus noster? Ου γενεσ', ουκ εσται.

Ibid. *brachia consuescunt.* Nonius, ii. 199. " *Desuevi* illum, pro *desuefeci* il- " lum—. Titinnius Geminâ: *Parasitos* " —*desuevi*—." Et Apuleius, p. 302. *desuescere vocem.* BENTLEIUS.
Sic alii autem in cognatis vocibus non raro.

Ver. 397. *telum:* V. ed. O. *cœlum;* i. e.

400 Jupiter in terras fulmen, sonitusque profundit?
An, simul ac nubes subcessere, ipsus in æstum
Descendit, prope ut hinc teli determinet ictus?
In mare quâ porro mittit ratione? Quid undas
Arguit, et liquidam molem, camposque natanteis?
405 Præterea, si volt caveamus fulminis ictum,
Quur dubitat facere, ut possimus cernere missum?
Si nec opinanteis autem volt obprimere igni,

celum: et similiter P. V. ed. Σ. ad ver. 402. inferius.

Ibid. *In terrâ.* Lego: *Interea.* BENTLEIUS.

Atque hoc modo nimirum offendi scriptum in O. et hæ voces subinde permutantur: ingeniosa tamen est magis hæc viri sagacis divinatio, quam vera; quum frustretur prorsus oppositionem istam, quam Lucretius instituerit, inter *Jovem* ac *divos alios*, ver. 386. inter *illos*, qui parant fabricantque telum Patris, ver. 395—398. et *ipsum* Patrem, ver. 398. *In terrâ* utique, ubi fulmen obtundi amittique solet, obrutum *ac sepultum*, nullius scopi compos. Certa est, et dilucida satis, hæcce versuum expositio, atque adeo totius argumenti conspectus.

Porro, vice *In terrâque Patris*, superscriptum erat in M. *In terrâ atque petris:* quam rationem modo disputata nobis penitus infirmant, exploduntque. Nec acumen tamen non inest isti conjecturæ; nam libris MSS. haud videtur imputanda.

Ver. 398. *sinit:* Ω. a primâ manu *sint;* uno ductu inter plures similes facile prætermisso.—*neque:* V. ed. *atque.*

Ver. 399. Sic supra, ver. 246. eodem libro; et Aristoteles, de meteor. ii. 9. *και δια τι ποτε τυτο γιγνεται κατα τον υρανον, ὅτ' αν επινεφελον η μονον, αλλ' ουχι συνεχως αὑτως· αιθριας δ' υσης, υ γιγνεται;* Lambinus.

Ver. 400. *Jupiter fulmen sonitusque.* Nec multo aliter Mantuanus, Æn. vi. 586.

Dum *flammas Jovis*, et *sonitus* imitatur Olympl.

Ibid. *sonitus profundit:* ut Euripides, Supp. 773. *μολπας εκχεω·* ac similia centum utriusque sermonis poëtæ. Si libeat, plura videas in notis meis ad i. 40. non inelegantia.

Ver. 401. *ipsus in æstum:* sic conspicitur expresse positum in P. L. M. Ω. Hac autem scripturâ quid luculentius, quid commodius, quid venustius, quid denique ex omni parte perfectius, fingi vel optari potest? Editores tamen, tot criminibus inexpiabilibus devovendi, non sibi flagitiosi satis in Lucretii carmen videbantur, nisi his nugamentis despicatissimis acervum sceleris cumulatissimum rotundarent:

——— nubes subcessere, *ipse* in *eas tum*—.

A page hæc odiosissima commenta cum inventoribus suis in malam rem!—Vind. Σ. *ipse in æstum;* V. ed. *ipse in hæstum;* O. Δ. *ipse et in æstum.* Nullus relinquitur dubitandi locus.

Ibid. *æstum:* redeas verr. 363. 366. et notas.

Ver. 402. *determinet:* i. e. finem, vel terminum, figat quoadusque telum mittendum sit.

Ver. 404. *liquidam molem:* ut de Marsyâ *flumine* Q. Curtius, iii. 1. 5. "majore "vi ac *mole* agentem *undas.*" Et Lucanus, v. 625.

——— tanta *maris moles* crevisset in astra?

cum Silio Italico, iii. 46.

Quur tonat ex illâ parte, ut vitare queamus?
Quur tenebras ante, et fremitus, et murmura, concit?
410 Et simul in multas parteis quî credere possis
Mittere? An hocc' ausis numquam contendere factum,
Ut fierent ictus uno sub tempore plures?
At sæpe est numero factum, fierique necesse est,
Ut pluere in multis regionibus, et cadere imbreis,
415 Fulmina sic uno fieri sub tempore multa.

——————— surgentis *mole* profundi
Injectum terris subitum *mare:*

ubi plura contulit Drakenborchius, et nos supra, ad v. 489. de phrasi *natantes campos.* Interea, eleganter, atque etiam magnifice, de ingruente *diluvio* Alcimus Avitus, iv. 472.

Insequitur tamen oceanus, refugisque fluentis
Imminet, et salsis impellit *molibus* amnes.

Unde statim emacules eundem infra, ver. 489.

Prægravis insanis pulsatur *molibus* arca:

ubi libri dant *motibus.* Nec Sedulius lauto lectori displicebit, carm. i. 58.

Qui genus humanum, præter quos clauserat arca,
Diluvii rabidâ spumantis *mole* sepultum,
Unâ iterum de stirpe creas—.

Ver. 405. *Præterea:* L. M. O. Σ. Ω. *Propterea;* Δ. *Propter.*—*si volt,* seu *vult:* Vind. *si cuuit;* vel, ut puto, si per collatorem res stetisset, *sic uuit; si* nempe cum *sic,* et *l* cum *i,* ut alias sæpiuscule, mutatis: V. ed. *sinuit;* in quibus nihil confusum est præter *i* et *l:* L. M. *juvit;* uno ductu inter tot similes elapso: O. Δ. *sævum;* Σ. *sevit;* Ω. *sevi ut.*

Ver. 407. *obprimere:* Δ. *premere;* Σ. *perimere:* M. etiam dat *vel,* pro *volt.*

Ver. 408. *ut vitare queamus:* tenebroso nempe cœlo, et crassioribus nubibus, præmoniti.

Ver. 410. *quî credere possis:* tu nimirum, qui pariter credis eum velle, ut nos ictum fulminis caveamus. Res autem hæc difficilis fit multiformi ac promiscuâ telorum jaculatione.

Ver. 411. *Mittere:* quidam codd. Pii, *Mittier.*—*hoc:* Σ. *hac;* nec sane displicet.

Ver. 413. *At:* V. ed. *Et;* O. *Ac.*

Ver. 415. Nihil volui ex ingenio, re non prorsus cogente, demutare; sed meis est oculis luce meridianâ clarius, Lucretium haud aliter, quam ad hunc modum, primitus scripsisse versum:

Fulmina sic uno *ferri* sub tempore multa.

Sic *cadunt* imbres, *feruntur* fulmina, cum amicissimo consensu locutionum. *Ferri* etiam et *fieri* solent sæpenumero confundi: nec frequentiorem imbellis et otiosæ dictionis repetitionem patienter admittimus. Judicio tamen suo lectores fruantur velim; nam tædet plura dicere.

Ver. 416. *delubra:* Ω. *dilubra;* male: vide Festum. Hæc autem videtur de Comico, ad Nub. 401. mutuatus noster, sic facetissimæ filo dictionis, ut solet, argumentum deducente, et numeris commodissimis:

Και πως, ω μωρε συ, και Κρονιων οζων, και βεκκεσελκυε,
Ει περ βαλλει τους ετιορκους, πως ουχι Σιμων' ενεπρησεν,
Ουδε Κλεωνυμον, ουδε Θεωρον; και τοι σφοδρα γ' εισ' ετιορκοι·
Αλλα τον αυτου γε νεων βαλλει, και Σουνιον ακρον Αθηνων,
Και τας δρυς τας μεγαλας· τι παθων; ου γαρ δη δρυς ετιορκει.

His appositus lucem inferet Demetrius Phalereus, de eloc. sect. cl. qui videtur doctos viros, in Aristophane occupatos,

Postremo, quur sancta deûm delubra, suasque
Discutit infesto præclaras fulmine sedes;
Et bene facta deûm frangit simulacra, suisque
Demit imaginibus violento volnere honorem?
420 Altaque quur plerumque petit loca; plurima quo plus
Montibus in summis vestigia cernimus ignis?
Quod super est, facul est ex hiis cognoscere rebus,

effugisse; et sub nomine Dionysii Halicarnassensis laudatur scholiaste. Jam vero, quum illud γε in versu quarto plane sit intempestivum, et vi propriâ particulæ istius, certo certius, destitutum, atque rhetor sic versum proferat, Αλλα τον ἑαυτυ νεων βαλλει, και Σϋνιον ακρον Αθηνων· rescribendum censeo:

Αλλα νεων τον ΈΑΥΤΟΥ βαλλει—·

vel saltem, si hoc displiceat:

Αλλα τον αὑτυ ΤΕ νεων βαλλει—.

Nemo etenim, penitiore sensu Græcæ phraseos imbutus, quæ vulgata sunt, probabit. Brunckius interea in notis pulchre meminit Lucretii.

Ver. 417. *Discutit fulmine.* Ita Persius, ii. 25. de *fulmine* itidem loquens, et Aristophanis haud immemor:

Ignovisse putas, quia, cum *tonat*, ocyus *itex*
Sulfure *discutitur* sacro, quam tuque, domusque?

Julius Obsequens, de prodigg. sect. lxxi. "*fulmine* pleraque *discussa*—." Nihil agit Schefferus, libris consentientibus, proponens *decussa:* bonum est enim sæpenumero, si dicas res *ad terram* fulmine *dejectas esse*, non minus quam si dicas *undique disjectas*, et comminutas: sed *discutio* fortius est verbum, et fortiori melius conjungitur. Subinde tamen pro libitu, et in eodem effectu describendo, eâdemque caussâ, scriptores, nec sine judicio, dicendi modum variant. Similiter invenies fieri cum cognatis dictionibus *disjicio* ac *dejicio;* nec quidquam temere novandum est, nisi conviciis scopus loci flagitet, contra codices consentientes. Coram veniat Virgilius, Æn. ix. 810.

Discussæque jubæ capiti—.

Ubi, si vel unus liber addixisset, prætulissem equidem *Decussæ:* quum illa vox magis congruisset fulminatæ Capanei galeæ, (vide modo Stat. Theb. x. 928.) quam *saxis* ut ut duriter impetitæ Turni.

Ibid. *præclaras sedes:* i. e. *fulgentia templa.* Arnobius, lib. iii. p. 106.—" qui-" bus (formis deos superos) imo formatis, " et *templorum* amplissimis collocatis in " *sedibus.*"

Porro, his Lucretianis apposita sunt hæc Minucii Felicis, sect. 5. ubi laudat nostrum Davisius: " Adeo passim cadunt " (fulmina); montes irruunt, arboribus " incurrunt, sine delectu tangunt loca sa-" cra et profana; homines noxios feriunt, " et sæpe religiosos."

Ver. 418. *frangit simulacra.* Non dubito quin cum electu verborum prudentissimo, et sine vanâ sermonis superfluitate, noster sit locutus: intellexerim igitur per *simulacra*, statuas *marmoreas*, quas recte *frangi* dicit; per *delubra* autem, *ligneas*, recte rursus *discussas* diffissasque: et per *imagines* denique, *picturas;* quarum *honores* statim deflorescerent, fulminibus afflati.

Ver. 419. *volnere:* V. ed. *volvere;* prout alibi.

Ver. 420. *petit loca:* Vind. *petitiora.*— *quo plus:* ita P. Possis etiam non male, *quâ plus;* omnes enim libri, quibuscum nobis res est, præbent *que plus.* Havercampus, qui de membranis L. M. nihil re-

Πρηστηρας Graiei quos ab re nominitarunt,
In mare quâ missei veniant ratione superne.
425 Nam fit, ut interdum, tamquam demissa columna,
In mare de cœlo descendant; quam freta circum
Fervescunt, graviter spirantibus incita flabris:
Et, quæquomque in eo tum sunt deprensa tumultu,
Navigia in summum veniunt vexata periclum.

nunciaverit, se, ut alias sæpiuscule, valde negligenter habuit. Editi, ex Lambini emendatione arbitrariâ, *plurimaque hujus.*

Ver. 421. *vestigia ignis.* Virgilius, Æn. iv. 23.

——— Agnosco veteris *vestigia flammæ.*

Ver. 422. *facul est:* sic felicissimâ, ni fallimur, emendatione locum venerabili suo nitori restituimus ex vestigiis cod. Ω. apud quem, pro vulgari *facile est*, simplex *facile* scriptum vidi. Nimirum, ex *facul* c̄, sive *facul est*, mox evenit, vocibus coalitis, *facule;* unde, non longo morantibus tempore librariis, exsurrexit *facile* et *facilest*, omnia germanæ antiquitatis vestigia passim obliterantibus. Jam vero vetustissimos usurpavisse *facul* ac *difficul*, pro *facile* ac *difficile*, te Nonius docebit, ad ii. 331. Videas proporro, quæ nos annotavimus superius, in iii. 401.

Ver. 423. Πρηστηρας· omnes nostri, *Presteras;* Latinis literis.—*Graiei:* Vind. V. ed. *Grali;* Ω. *Grai.*—De his autem presteribus, et Epicuri super illis sententiâ, consulendus est Diogenes Laërtius, x. 104. prolixior, quam qui commode nostris annotationibus adscribi queat. Videas quoque Plinium, nat. hist. ii. 50. et alibi, has philosophiæ partes uberius tractantem.

Ibid. *ab re:* a πρηθω, πρησω, scilicet; quia cum *ardore* quodam *tumescant:* inest enim voci non minus *inflationis* notio, quam *ignis.*

Ver. 425. *tamquam;* Vind. *tam cum;* Δ. *tantum;* Σ. autem, *tum cum.*

Ver. 426. *descendant:* nempe, πρηστηρες. Ita sponte rescripseram ex divinatione, mecum certissime exploratum habens, elegantissimum poëtam, ut ambiguum effugeretur, haud aliter potuisse scribere in hoc locō: postea vero sic offendo luculenter positum in O. qui codex, ut ut recenti manu sit exaratus, haud dubie multo antiquiorem pro archetypo suo habuit. Δ. *distendat;* Σ. *discendat.* Vulgo, *descendat.*—*quam:* Δ. Σ. *qua;* non male, ut arbitror, pro *quâ viâ*, vel quo loco.

Ver. 427. *incita:* sic soli P. O. Δ. Ω. cæteri, *lacita;* i. e. *lacessita*, uti quoque manus interpretis margini cod. Σ. allevit; sive percussa. Certe vox adeo rara, et extra communem usum jacens, depravationibus librariorum valde fuerit obnoxia; et an ferri poterat in hoc loco per duplicationem consonantis, uti factum est in verbo *reducere*, atque aliis quibusdam, nec temere negaverim equidem, nec contenderim: verum enim tutius habui libros sequi, recentiores quamvis, ac minus gravi testimonio, at minime contemnendos tamen.

Ibid. *Fervescunt freta spirantibus flabris.* Hæc etiam Mantuanus attigit, geo. i. 327.

——— *fervet*que *fretis spirantibus* æquor:

et in ejusdem libri ver. 455.

Omnia tunc pariter *vento*, nimbisque, videbis
Fervere———.

Ibid. *graviter spirantibus.* Idem, Æn. vii. 753.

Vipereo generi, et *graviter spirantibus* hydris—.

Ver. 428. *tum sunt:* P. V. ed. *cum sint;* Σ. Ω. *tum sint.*—*deprehensa* dant plene P. V. ed. O. et in Lucretio proba-

430 Hoc fit, ubi interdum non quit vis incita venti
Rumpere, quam cepit, nubem; sed deprimit, ut sit
In mare de cœlo tamquam demissa columna
Paullatim; quasi quid pugno brachiique superne
Conjectu trudatur, et extendatur in undas:
435 Quam quom discidit, hinc prorumpitur in mare venti
Vis, et fervorem mirum concinnat in undis.
Vorsabundus enim turbo descendit, et illam
Deducit pariter lento cum corpore nubem:

mus, ut alibi diximus atque exposuimus: vulgo, *deprensa*. Nihil mutamus tamen.

Ibid. *in eo deprensa tumultu*. Sic, uti Horatius insuper, aliique, Virgilius etiam locutus est, in Æn. v. 52.

Argolicove *mari deprensus*, et urbe Mycenæ—.

Ibid. *Navigia vexata:* vide nos ad i. 276. Similiter Phædrus, iv. 16. 3.

Vexatâ sævis *navi tempestatibus*.

Ver. 430. *quit vis:* V. ed. *quitus;* Δ. *quantus*.

Ver. 431. *cepit:* ita Vind. Ω. et præferendum esse existimo solitæ lectioni *cœpit*. Jam vero *cepit* simplicius etiam videtur, pro invasit, occupavit. Sane nec obstant multum, nec vicissim multum juvant, in hujuscemodi diversitatibus vetusta exemplaria. Lucanus apposite, v. 414.

Fortius hiberni *flatus* cœlumque, fretumque,
Quum *cepere*, tenent——.

Ver. 433. *brachiique:* O. Σ. habent *brachiisque*.

Ver. 435. *hinc:* Ω. *huc.—prorumpitur:* Δ. *prorumpit.—venti:* M. *ventus*.

Ibid. *prorumpitur:* i. e. *se prorumpit*, de mediæ vocis usu. Virgilius similiter, Æn. vii. 459.

——— toto *proruptus* corpore sudor.

Ver. 436. *fervorem in undis:* ut mox ver. 441. *fervere* cogens, et alibi, translatione maxime usitatâ; ob *spumas*, et *sonitum* excitatum, ut aquæ vi flammarum bullientis. Huc referas etiam gemellam locutionem, *æstuantem* pontum; et haud rarius frequentatam. Audacior Florus, utpote stylo usus, floridius ad poëtarum normam colorato, iv. 2. 37.—" *ardente* " ventis mari." Cujus periodi posterior pars ita est constituenda: " Nec Cæsar " moratur; quippe, ordinatis a tergo om- " nibus, quamvis hiems mediâ prohibe- " ret tempestate, ad bellum navigavit:" i. e. tempestate interveniente. Hinc fortasse perplexum Horatii locum feliciter dederis explicitum, quem aliter tentavi in Silvâ Criticâ, od. iii. 27. 27.

——— scatentem
Beluis pontum, *mediasque fraudes*,
Palluit audax:

i. e. pericula maris duobus litoribus interjacentis.

Ibid. *concinnat*. De hac voce consulas cum multo fructu Nonium, i. 207. 295. ii. 170.

Ver. 439. *detrudit:* sic, magis extra vulgariorem usum, ac more Lucretiano, P. L. O. Σ. Ω. et eodem spectat V. ed. corruptela, *detendit*. Editi, *detrusit;* contra scriptos, uti suspicor.

Ibid. *nubem gravidam:* ut Statius, Theb. v. 362.

——— cæruleo *gravidam* cum Jupiter imbri,
Ipsa super, *nubem*, ratis armamenta Pelasgæ
Sistit agens——.

Adi supra ver. 258. hujusce libri.

Ver. 441. Fortassis poëta noster ita sim-

Quam simul ac gravidam detrudit ad æquora ponti,
440 Ille in aquam subito totum se inmittit, et omne
Excitat ingenti sonitu mare, fervere cogens.
Fit quoque, ut involvat venti se nubibus ipse
Vortex, conradens ex aëre semina nubis;
Et quasi demissum cœlo prestera imitetur.
445 Heic, ubi se in terras demisit dissoluitque,
Turbinis inmanem vim provomit, atque procellat.
Sed, quia fit raro omnino, monteisque necesse est

plicius atque comptius hos versus disposuerit:

Ille in *aquam* subito totum se inmittit, et *omnem*
Excitat, ingenti sonitu mare fervere cogens.

Ver. 442. *venti se:* P. V. ed. *ventis e;* proclivi satis aberratione: prisci codices Pii, *venti se e.*

Ver. 443. *Vortex:* V. ed. O. Δ. Σ. Ω. *Vertex.—conradens:* V. ed. *concandens.—aëre:* V. ed. O. *aëra;* Ω. *acre.*

Ibid. *conradens:* redi verr. 303. 342. 345.

Ver. 444. *imitetur:* Vind. *annitetur;* arreptâ præeuntis vocis postremâ literâ, absque cæterarum linearum mutatione: V. ed. *mutetur;* ne uno quidem ductu variato.

Ibid. *quasi prestera imitetur:* quum non sit verus prester habendus, nisi qui in mari generetur.

Ver. 445. *Heic:* sic malim intelligere, ut de more magis Lucretiano, quam pro casu recto pronominis accipere: quamvis parum intersit.—*demisit:* Ω. *dimisit.*

Ver. 446. *Turbinis:* Ω. *Turbines.—inmanem:* V. ed. *immane in.—provomit:* Vind. O. *promovit;* metro repugnante: *promovet* non fuisset aspernandum.—*procellat.* Mihi religio est in his venerabilibus sinceræ vetustatis reliquiis vel latum unguem a codicibus abscedere: jam vero sic scriptum conspicitur in omnibus antiquis, excepto P. et Ald. Junt. editt. ab eo pendentibus; unde vix dubium fit, quin Bononiensis editor contra scripta sua exemplaria contextum immutaverit. Ex hoc autem consensu membranarum satis liquet, vetustissimos Latinos non minus in conjugatione primâ, quam tertiâ, *procello* verbum agnovisse. Plautus, mil. glor. iii. 1. 167.

Sed *procellunt* se, et procumbunt dimidiati:

i. e. "se *protrudunt*, promoventque." Neque alia est dictionis potestas in Lucretii loco. Nescias utrum vellet Servius, ad Virg. Æn. i. 85. "*Procella* est vis "ventorum cum pluviâ; dicta *procella* "ab eo, quod omnia *procellat.*" Nonnulli codices, *percellat:* mendosissime, quamvis error, ut erat in exquisitissimâ voce exspectandum, recoctus sit librariis in Isidori origg. xiii. 11. clarissimo cum dissensu ipsius rei naturâ reclamante. Glossæ veteres præbent *Procellit*, *Procello*, atque *Procello*, *is.* Festus exhibet, "*Pro-*"*cellunt*, procumbunt." Sed enim corrigendum valde censeo, vice *protrudunt*, *procumbunt.*

Ibid. *Turbinis inmanem vim.* Similiter Virgilius, ad Æn. vi. 594.

——— præcipitemque *inmani turbine* adegit.

Ver. 448. *Obficere in:* Vind. V. ed. *Officeret in;* Δ. *Officeret.* Sed illud *in* haud dubie postmodum est codicibus Vind. V. ed. intrusum, et primus error fuerit *Officerent*, postremo ductu lineamentorum *in* in *t* mutato: unde *Officerēt.*

Ver. 449. *Prospectu maris.* Commode Virgilius, ad Æn. i. 181.

Obficere in terris; adparet crebrius idem
Prospectu maris in magno, cœloque patenti.
450 Nubila concrescunt, ubi corpora multa volando,
Hoc super in cœli spatio, coiere repente
Asperiora; modis quæ possint indupedita
Exiguis tamen inter se conpressa teneri.
Hæc faciunt primum parvas consistere nubeis:
455 Inde ea conprendunt inter se, conque gregantur,

Prospectum late pelago petit——.

Ibid. *cœloque patenti.* Idem, geo. iv. 77.

—— ver nactæ sudum, *camposque patentis:*

i. e. *cœlum patens,* vel " aërem purum " et liquidum, non nubibus clausum: et " ita *aër*, *campus* est apum, ut mare " navium, hominum solum." Quæ verissima est Servii expositio ad locum: conferas Æn. vi. 888.

Ver. 450. *Nubila:* Δ. *Jubila.*—Mox Vind. V. ed. *coire.*

Ibid. *Nubila concrescunt.* Hanc rem tractat Epicurus apud Diog. Laërt. x. 99. qui studiosis lectoribus adeundus est.

Ver. 451. *cœli spatio.* Mantuanus, ecl. iii. 105.

Tris *pateat cœli spatium*, non amplius, ulnas.

Ver. 452. *quæ:* V. ed. B. *quo;* nec male.

Ibid. *modis indupedita exiguis.* Ordo et sententia est: " Quæ *impedita* et im- " plicata *modis exiguis*, i. e. modice, nec " nimis arte, aut adstricte, possint tamen " complexa cohærere." Lambinus.

Ver. 453. *Exiguis:* V. ed. *Ex ignis*, errore duplici. Nempe, *το u* cum *n* primo mutatum est, dein separatio verborum facta.—*conpressa:* Ω. *comprenssa;* vulgo, *comprensa*, ne uno quidem, uti vehementer suspicor, vetere libro addicente. Hinc multorum librorum lectionem libentissime accipio ad Virgilii Æn. xi. 723. ut efficaciorem longe; præsertim, quum probabile sit maximum virum non immemorem Lucretii fuisse:

Quam facile accipiter saxo sacer ales ab alto
Consequitur, pennis sublimem in nube, columbam;
*Conpressam*que *tenet*, pedibusque eviscerat uncis.

Certe affine est otiosæ voci vulgatum *Conprensam.* Deinde, phrasis *pedibus eviscerat uncis*, nec Servio, nec alii cuilibet, opinor, probe intellecta, pulchre dictionem *conpressam* explicat: i. e. " tam validâ et " artâ compressione tenet, ut ungues " etiam penetrent in viscera." Princeps locus in Homero est, Od. ο. 526.

Κιρκος, Απολλωνος ταχυς αγγελος· εν δε ποδεσσι
Τιλλε πτελειαν εχων· κατα δε πτερα χυνεν εραζε.

Hesychius: Τιλλει, ΔΙΑΒΑΛΛΕΙ. Et hæc glossa tam primariam, quam secundariam, vocabuli significationem felicissime respexerit. Phavorinus: Τιλλω, *τεμνω, σπαραττω.* Quæ non minus apposita sunt. Cæterum, hos versus Virgilianos in editione nostrâ alias etiam verissime castigavimus: ad quam lectores ablegamus.

Ver. 455. *conprendunt:* O. *comprehendunt;* quem modum orthographiæ minime abjudicandum arbitror Lucretio.—*conque:* Vind. *cunque.*

Ver. 456. *conjungundo:* neutre positum est, pro *se conjungundo.*

Ver. 457. *tempestas sæva coorta est.* Non multo aliter Virgilius, geo. iii. 478.

—— morbo cœli *miseranda coorta est Tempestas*——.

Ver. 459. *quoique.* Elegantissimam poëtæ scripturam sic haud dubie ex operto resuscitavimus haud ambigendâ emendatione. Vulgo nimirum scribi solet *quæ-*

Et conjungundo crescunt, ventisque feruntur
Usque adeo, donec tempestas sæva coorta est.
Fit, quoque, utei montis vicina cacumina cœlo
Quam sint quoique magis, tanto magis edita fument
460 Adsidue fulvæ nubis caligine crassâ:
Propterea, quia, quom consistunt nubila primum,
Ante videre oculei quam possint tenuia, ventei
Portantes cogunt ad summa cacumina montis.

que; sed V. ed. B. L. M. Δ. Σ. exhibent *quoque.* Liquidissimum est utique cuilibet rem consideranti, vetustiorem formam *quoique* haud ægre per scribarum manus in *quoque* fuisse migraturam; ast *quæque* rursus non item.

Ibid. *Quam magis tanto.* Par est harum dictionum sodalitium et oppositio in Plauti Menæchmis etiam, i. 1. 19.

Quam magis extendas, *tanto* adstringunt artius.

Ibid. *fument nubis caligine.* Non alienus est Maronis versiculus, in geo. ii. 217.

Quæ tenuem exhalat *nebulam*, *fumos*que volucris.

Ver. 460. *nubis:* V. ed. O. Δ. Σ. Ω. *nubes.*

Ibid. *fulvæ nubis caligine crassâ.* Virgilius, Æn. xii. 792. partim secutus est:

Junonem interea rex omnipotentis Olympi
Adloquitur, *fulvâ* pugnas de *nube* tuentem.

Conferas ibid. vii. 142. 143. Insuper Homeri locus, et commentarius Eustathii, quos Creechius adscripsit, operam utilem navabunt tam Lucretio, quam Virgiliano versui. Legitur in Il. Ξ. 343.

——— τοιον τοι εγω ΝΕΦΟΣ αμφικαλυψω
ΧΡΥΣΕΟΝ· υδ' αν νυϊ διαδραικοι ηελιος περ—.

Πυκνοτητα πολλην ὁ Ζευς δηλοι νεφυς. Χρυσεα δε φασιν οἱ παλαιοι νεφη, τα εν ὑψηλῳ αερι· ἁ πυροειδης ων αιθηρ χρυσιζειν ποιει.

Ibid. *fulvæ.* Forte, *furvæ.* BENTLEIUS. Sic *atræ nubes*, Virgilius et alii; Homerus etiam νεφεα κυανεα, πορφυρεα, μελανα, σκιοεντα, et ερεβεννα: sed, quæ præcesserint, nihil esse novandum in Lucretio clare ostendunt, atque Ennius apud Gell. xiii. 20. *aëre fulvâ* ex eo memorantem.

Ver. 461. *quom*, vel *cum:* P. V. ed. B. *tum.*

Ver. 464. *utei turbâ majore:* Vind. *uti turba minora;* O. Δ. Ω. *uti turba minore;* depravationes V. ed. non aliorsum spectant, *utitur sammor*, cod. Vind. quam proximæ: Σ. *ut turba humore.*

Ver. 465. Ex rationibus valde vero similibus, et quas nemo cordatior temere coarguerit, sanitate pristinâ locum redonavimus: qui sane unâ et alterâ viâ satis facili probabilique tentari poterat. Quam inivimus autem, cæteris meliorem arbitramur. *Et:* ita P. Vind. V. ed. O. Δ. Σ. Ω.—abest vocula B. L. M. si fidos se dederint collatores; quibus equidem nullus in hac re credam.—*condensa atque:* Vind. V. ed. Σ. *condensatque.*—*arta:* Ω. *rata. apparere:* sic O. Ω. reliqui, *parere;* P. excepto, qui *patere.* Hinc, quum similium syllabarum repetitio sæpissime faciat, ut exteratur una, locus ad hanc normam constitui ac distingui possit:

——————— utei turbâ majore coorta
Condensâ atque *artatâ parere*, et——.

Ego tamen positis in contextu malim adhærere. Jam vero tempus est bellissimi versûs videndi, quem nobis puerperio satis impudente et infausto profudit cerebellum editorum, Lambino primum, ex margine nescio cujus libri, poëtæ nostro temere illum obtrudente:

Condensa, *ac stipata* simul *cernantur*, et *udo*—.

Heic demum fit, utei, turbâ majore coortâ,
465 Et condensa atque arta adparere, et simul ipso
Vortice de montis videatur surgere in æthram.
Nam loca declarat sursum ventosa patere
Res ipsa, et sensum, monteis quom adscendimus altos.
Præterea, permulta mari quoque tollere toto
470 Corpora naturam, declarant litore vestes
Subspensæ, quom concipiunt humoris adhæsum.

Quas inficetias! qualem inverecundiam!

Ver. 466. *videatur:* i. e. *nubes;* Vind. autem, Δ. Ω. *videantur:* quod editoribus immerito placuit, majore librorum emendatorum numero contra stante.

Ibid. *in æthram:* " ubi versantur scili- " cet fulvæ nubes et crassissimæ, (vide " ver. 460. cum annotatis) quæ jam pos- " sunt oculis usurpari; ex tenuibus illis, " acie oculorum minus contingendis, fa- " bricatæ ac contextæ." Locus quibusdam male est acceptus; et, an interpres verum viderit, vehementer dubito. Qui vero quatuor postremos hujusce periodi versus tollendos judicavere, non audiendi sunt, sed acriter corripiendi, atque ob ineptas emendationes scilicet irridendi.

Ver. 467. *loca:* P. *si;* sed emaculati codices ejus vulgatæ lectioni adstipulantur; Vind. V. ed. *se;* Δ. *vel;* Σ. *ea.*

Ibid. Sensus est: " Nam ab experien- " tiâ discimus, ea loca, quæ summo sint " opere ventis exposita, esse sine obstacu- " lis in æthera patentia." Ex quo genere scilicet sunt summa montium cacumina, de quibus sermo institutus est. Ovidius, amor. ii. 16. 19.

——— si premerem *ventosas* horridus *Alpes:*

i. e. " *horrens,* sive horrificatus superfi- " ciem, corporis, *propter frigus.*" Heinsius crasse, nec eleganter, exponere vocabulum conatus est: de quo nos alibi. Homerus Ιλιον nunc αιπεινην vocitat, et nunc congruenter πνεμοεσσαν. Sed enim pudet trivialibus immorari.

Ver. 468. *et sensum:* i. e. " id, quod " sentimus." Nempe, idem est ac si dixerat, *sensus noster.* Sic autem castissime exaratum conspicitur in Vind. V. ed. B. L. M. Ω. Vulgo, *ad sensum;* contra libros veteres universos: P. Δ. Σ. *et sensus;* O. *et sensim.* In numero multitudinis pervagatus est hujusce dictionis usus.

Ver. 470. *litore vestes.* Ita supra, i. 306.

Ver. 472. *Quod:* i. e. *secundum quod;* ut Græci ὁ, pro καθ' ὁ. Nos hanc usitatissimam auctorum optimorum formulam, editoribus parum intellectam atque obliteratam sæpiuscule, Lucretio multoties in superioribus vindicavimus, ac restituimus; ita ut non opus sit vel unum verbum amplius adjicere jam nunc. P. Vind. Δ. *Quo;* O. *Quid.* De codice B. nihil dico, et sæpe tacui, quum sit collatoribus negligentissime excussus, testimonia ejus perraro allegantibus.

Ver. 473. *momine:* Vind. V. ed. Δ. Σ. *in homine;* cujus corruptelæ nihilominus perfacilis est ratio reddenda. Nimirum, postea quam *m*, vel *in*, a parte reliquâ dictionis abstractum fuisset, futilis vox *omine* cito literam nancisceretur, unde legitimum nomen posset succrescere. L. M. O. *nomine.* Jam vero *momen* generaliter valet id, " quod in rebus *movendis* " valet." Neque discrepat cognata vox *momentum.* Lucretius alibi usurpavit. *Momen* igitur *ponti* valet *mobilis moles ponti,* vel *motari facilis;* propter *fluidam* naturam scilicet: conferas paullo supra, ver. 404. ubi sensus idem diversimode signifi-

Quod magis, ad nubeis augendas, multa videntur
Posse quoque e salso consurgere momine ponti:
Nam ratio consanguinea est humoribus omnis.
475 Præterea, fluviis ex omnibus, et simul ipsâ
Surgere de terrâ nebulas, æstumque, videmus;
Quæ, velut halitus, hinc ita sursum expressa feruntur,
Subfunduntque suâ cœlum caligine, et altas
Subficiunt nubeis paullatim conveniundo:

catus est. Manus vetusta pro interpretatione in cod. Ω. superscripsit *motu aquæ.* Sensu secundario *momen* stat pro *pondere;* ob majorem inclinationem, quam corpus ponderosius, brachio bilancis appensum, facit. Hinc glossa veram scripturam expulit ad Ovidii, doctissimi vatis, epist. ex Ponto, iv. 10. 64. sic quantivis pretii emendatione corrigendam:

Innatat unda freto dulcis, leviorque marinâ est,
Quæ proprium mixto de sale *momen* habet.

Edi solet *pondus;* sed quinque codices dant *nomen:* unde ponitur extra controversiæ fines nostra divinatio. Confer ibid. 13. 49.

Ver. 474. *consanguinea est:* P. *cum sanguine adest;* Vind. O. *cum sanguine abest;* V. ed. Δ. *cum sanguine ab;* L. M. *consanguineas*, atque similiter Σ. *con* et *cum* syllabis passim confusis, *cum sanguineas:* quæ peccata facile provenerunt ex compendiariâ scripturâ *consanguineast:* Ω. *cum sanguine ab est.—humoribus:* L. M. *eumoribus.* Vossius primus vidit voces *consanguinea est* evolvendas esse ex *consanguineas* membranarum veterrimarum: et sane quotusquisque in arte criticâ vel perfunctorie saltem exercitatus, qui dubitaverit eam sibimet portionem sagacitatis arrogare? Nec Vossius non laudandus tamen.

Ibid. *ratio consanguinea est humoribus:* i. e. "Liquòres salsi, æque ac dulces, "nebulas exhalant augendis atque con-"formandis nubibus idoneas."

Ver. 475. *fluviis ex omnibus—nebulas—velut halitus.* Aliquantulum addubitare soleo, an Homerus de hoc *halitu* loqui non melius intelligatur, quam de *flatu*, Od. E. 469.

ΑΥΡΗ δ' εκ ΠΟΤΑΜΟΥ ψυχρη ΠΝΕΕΙ ηωθι προ.

Maximus Tyrius, xxxvi. 1. Homerum de more suo respiciens: Αυρακι δε εκ ποταμων, ὡρα θερους, ΑΠΟΠΝΕΟΥΣΑΙ, ανεψυχον αυτοις τα σωματα. Sic rescribendum censeo: libri, επιπνευσαι.

Ver. 476. *Surgere de terrâ nebulas—velut halitus:* redeas ad ver. 459. et ibi nuper dicta. Idem Virgilius, geo. ii. 350.

Inter enim labentur aquæ, tenuisque subibit
Halitus——:

i. e. *nebulam* tenuem *tellus* exhalabit. Lucilius, apud Varron. ling. Lat. iv. 5. "*Terra* abiit in *nimbos*, *imbreis*que." Et Pacuvius, ibidem, sic forsitan scribendus, ut versus sit trimetrus trochaïcus hypercatalecticus:

Terra exhalat auram, *ad* auroram, humectam
humidam.

Servius, in Virg. Æn. i. 743. ad voces *unde imber*, hunc locum respicit: "Scilicet "de nubibus; quæ secundum Lucretium "nascuntur *de terræ halitu*, qui *nebulas* "creat—."

Ibid. *nebulas æstumque.* Iterum ille, ad Æn. viii. 258. ore perquam magnifico locum:

——— *nebulâ*que ingens specus *æstuat* atrâ.

Ver. 477. *halitus:* V. ed. Δ. Σ. *alitus.*

480 Urguet enim quoque signiferi super ætheris æstus,
Et, quasi densendo, subtexit cærula nimbis.
Fit quoque, ut hunc veniant in cœtum extrinsecus illi
Corpora, quæ faciunt nubeis, nimbosque volanteis.
Innumerabilem enim numerum, summamque profundi
485 Esse infinitam docui; quantâque volarent
Corpora mobilitate, obstendi, quamque repente
Innumerabile per spatium transire solerent:

Ver. 480. *Urguet:* V. ed. *Surgit;* M. *Urget.* Abest autem *quoque* V. ed.

Ibid. *Urguet:* i. e. premit deorsum, ita ut latius diffundi nequeant, atque tenuiores fieri; comprimit, conglobatque.

Ibid. *signiferi:* i. e. stelliferi; vide v. 1189.

Ver. 481. *densendo:* Vind. V. ed. Δ. *densando.*

Ibid. *densendo subtexit cærula nimbis:* " quemadmodum arte textoriâ den-" seri solet tela liciorum ordinibus adden-" sendis." Et elegantissimi est ingenii fetus hæc translatio. Cum hoc autem versiculo compares v. 467. i. 1089.

Ver. 482. *hunc:* P. *huc;* O. Δ. Ω. *hinc;* utrobique non absurde.—*cœtum:* P. V. ed. B. O. *cœlum.*—*illi:* nempe, *vortici,* vel *nubi,* caussæ vorticis; loci totius argumento. Sic autem scriptum invenitur in Vind. V. ed. B. L. O. Δ. Σ. vulgo, *illa:* M. *ille.*

Ver. 484. *summamque:* V. ed. *summaque;* pro *summāque.*

Ibid. *Innumerabilem numerum—volarent Corpora.* Ammianus Marcellinus, xxvi. 1.—" quas (humilium minutias " caussarum) si scitari voluerit quispiam, " *individua illa corpuscula, volitantia per* " *inane,* atomos, ut nos appellamus, *nu-* " *merari* posse sperabit."

Ver. 485. *quantâque.* De sinceritate hujusce lectionis vehementer dubito, quamquam Havercampi silentio colligere debeamus haud aliter exhiberi scriptum in B. L. M. sed quam lubrica sit hæc conclusio, satis ostenditur præcedentibus: P. cum edd. Junt. et Ald. certe non aliter; Vind. V. ed. Δ. Σ. *cunctaque;* O. Ω. *et qua cuncta:* quod nobis placet.

Ver. 487. *Innumerabile:* redeas annotata ad iv. 195. Hanc autem exquisitissimam scripturam luculenter exhibitam inveni in melioris notæ membranis Δ. Ω. cæteri, longe infra hujusce lectionis elegantiam, *Immemorabile.*—*per:* P. *tum;* deest vocula Vind. V. ed. Δ. Σ. Ω. Conjectare possis Lucretium dedisse, ut aliqua saltem caussa extritæ vocis appareat:

Innumerabile *ea* spatium transire solerent:

i. e. ea *corpora.* Brevem autem syllabam consonantibus *sp* firmiter sustentari puerulus agnoscet.

Ver. 488. *Haud:* Δ. *Hanc;* quod erroris est depravatio gravior prioris, *Haut* dico; literis *c* ac *t,* ut passim, permixtis.

Ver. 489. *magnos:* Vind. V. ed. O. *magnis;* Δ. autem, *magni.*

Ver. 490. *Cooperiant:* Vind. Σ. Ω. *Coperiant:* unde mox derivatum est *Cōperiant,* i. e. *Comperiant;* quod conspicitur in V. ed. O. Δ.

Ibid. *Cooperiant maria tenebræ.* Non multo aliter Virgilius, Æn. iii. 195.

——————— et inhorruit *unda tenebris.*

Ibid. *inpensa.* Neutrius generis adjectivum animadvertas nomina diverso genere respiciens: cujus schematis exemplum videas in Virg. geo. ii. 15. 16. de Reiskii emendatione, quam nos in nostram editionem recepimus. Quid autem sibi velit, aut unde veniat, hæc dictio *inpensa,* mihi non satis liquet. Lambino placuit ad

Haud igitur mirum est, si parvo tempore sæpe
Tam magnos monteis tempestas atque tenebræ
490 Cooperiant maria, ac terras, inpensa superne:
Undique quandoquidem, per caulas ætheris omneis,
Et quasi per magni circum spiracula mundi,
Exitus introitusque elementis redditus exstat.
Nunc age, quo pacto pluvius concrescat in altis
495 Nubibus humor, et in terras dimissus, ut imber,

impendor referre: mihi contra videtur nihil commune intercedere has voces; et *impensa*, nec minus *suspensa*, ad radicem *pando* nullus dubitem remittere: sed in veterum grammaticorum silentio præstiterit suspiciones nostras modestius proponere. Melius intellexissem *intensa*. Virgilius, Æn. iv. 506. ubi Burmannum consulas:

*Intendit*que locum *sertis*——.

Ver. 491. *caulas:* Vind. V. ed. Σ. Ω. *caveas;* ex glossatore, ni fallimur.

Ver. 492. *spiracula:* i. e. sensu secundario, foramina, poros, vel aperturas; nam translatio est a *meatibus*, per quos secula *spirant* animantum. His moniti, emaculabimus Isidorum in origg. xiv. 9.—"spi-"racula ex eo dicuntur loca, *quia* terra "*spiritum* edit." Vulgo, *qua*. Pariter Virgilius, ad Æn. vii. 568.

—— specus horrendum, sævi *spiracula* Ditis—.

Sed forte an timor inscitus de metro corruptelam versui indiderit, et Maro scripserit:

———————— *sæva* spiracula Ditis.

De pollente fulcimento literarum *sp* diximus alibi copiosius plus vice simplici. Locus est quam appositus in eodem libro, ver. 84.

—— *sævam*que *exhalat* opaca *Mephitim*.

Addam Valerium Flaccum, iii. 553.

———————— ad nitidi *spiracula* fontis
Ducit——:

ubi nempe aperitur et rumpitur in terram.

Ver. 494. *concrescat:* V. ed. *crescat*.

Ver. 495. *dimissus Decidat:* i. e. "de-"orsum cadat, *undique dispersus*." Sic legitur in P. V. ed. B. O. Ω. et hoc vocabulum, τῷ *Decidat* consociatum, placet præ vulgari *Demissus*, jam prorsus supervacaneo. Virgilius, geo. i. 23.

Quæque satis largum cœlo *demittitis* imbrem.

Ibi quidam codd. solenni varietate, *dimittitis;* sed omnino perperam. De locis Ovidianis minus fidenter pronunciaverim; quorum prior occurrit in met. i. 261.

———— et ex omni *nimbos dimittere* cœlo:

et posterior ibid. ii. 310.

———— nec, quos cœlo *dimitteret*, *imbres*.

Alii rem dijudicent: nam in locis hoc genus innumerabilibus similis patet dubitandi copia. Codicibus igitur emendatissimis, re incertâ, obsequendum est.—Cæterum, potest ambigi, an Lucretius ipse dederit:

—— quo pacto pluvius concrescat in altis
Nubibus *udor*——.

Sane ob insolentiam vocis, nec minus ob literarum viciniam, *udor* lapsu proclivi in *umor* demigrare potuit. Veteres glossæ: "*Udor*, ὑγρασία." Ad Statii locum, Theb. i. 206.

———— summis cognati nubibus amnes:

ita Lactantius: "Secundum *Lucretium;* "qui dicit ex *udore* terræ (vide supra ver. "476.) nebulas oriri, ex nebulis nubes,

Decidat, expediam. Primum, jam semina aquaï
Multa simul vincam consurgere nubibus ipsis
Omnibus ex rebus; pariterque ita crescere utrumque,
Et nubeis, et aquam, quæquomque in nubibus exstat,
500 Ut pariter nobis corpus cum sanguine crescit,
Sudor item, atque humor quiquomque est denique membris.
Concipiunt etiam multum quoque sæpe marinum
Humorem, velutei pendentia vellera lanæ,

" ex nubibus pluvias: ex quibus amnes " augentur." Lectores caussam meritis expendant.

Ver. 496. *semina:* nempe, primordialia; ut *semina maris*, Virg. ecl. vi. 32.

Ver. 497. *vincam:* Vind. *vineam;* nec temere dixerim, utram vocem librarius scriptor cod. Ω. vellet: Δ. *nivea;* Σ. *videam.*

Ver. 498. *utrumque:* i. e. nubes et aquam; cujus schematis exemplum simile habuimus nuperrime, atque disertis verbis indicavimus, ad ver. 490. Nihil est varietatis per libros veteres, vel scriptos, vel signatos formis; ut merito audiant audacissimi bipedum editores hodierni, Lucretio arbitrarium commentum *utrasque* obtrudentes.

Ver. 499. *nubeis*, vel *nubis:* Vind. Σ. *nubibus;* O. Δ. *nimbos.—et:* V. ed. *ut.*

Ver. 500. *corpus cum sanguine.* Malo, " *sanguis* cum *corpore.*" Et sic Lambinus. Bentleius.

Nihil unquam vidi invenustius, aut doctis hominibus indignius. Vix aliquid inficetius speravisses ab infimo grege sciolorum, in diversicoloribus sermonis poëtici leporibus prorsus hospitum.

Ver. 501. *est denique:* Ω. *edenique;* ob scripturæ compendium *ē*, et coalitas dictiones.

Ibid. *Sudor.* Lego, *Udor.* — Bentleius.

Quid infelicius? Perlegas quæ modo diximus ad ver. 495. et notas Gottofredi, p. 1580. in Varron. de ling. Lat. iv. 5.

Ibid. *Sudor atque humor quiquomque.* Speciatim sic enumerationem Carus fecit, ut melior sit similitudinis hujus convenientia cum *multis* aquaï *seminibus*, jam memoratis, in verr. 496. 497. adeo ut temeritas, atque inscitia, Lambini Creechiique plane sit non amplius tolerabilis, versum coram positum pro spurio rejicere audentium.

Ver. 502. *Concipiunt:* quidam Pii codices, *Consugunt;* ex interpretatione, ut ego censeo: Vind. *Concidunt;* V. ed. *Concuderint;* L. M. Ω. *Concidiunt; p* nimirum et *d* commutatis: de quâ literarum confusione Drakenborchius egit ubertim et erudite, ad Liv. xliii. 6. 9. atque adeundus est: Σ. *Conciderunt.*

Ibid. *Concipiunt marinum Humorem.* Columella, in libro de arbb. sect. x. " Vineam novellam ante brumam abla- " queatam habeto, ut omnes *imbres*, li- " mumque, *concipiat.*" Paullo supra dixerat: —" *humorem*que recte *capiat.*" Plinius, nat. hist. xvii. 33. " prono cacu- " mine (seritur arundo,) ne *rores conci-* " *piat.*" Copiose atque eleganter, ut omnia et ubique, Ovidius, met. vi. 397.

Fertilis immaduit, madefactaque, terra caducas
Concepit lacrymas, ac venis perbibit imis.

Ver. 503. *vellera lanæ.* Virgilius, geo. i. 397.

Tenuia nec *lanæ* per cœlum *vellera* ferri.

Ver. 504. *supera:* V. ed. Σ. *super;* O. Ω. *supra.—mare ventei:* editi recentiores, *venti mare;* sacra prurientibus auriculis

Quom supera magnum mare ventei nubila portant.
505 Consimili ratione ex omnibus amnibus humor
Tollitur in nubeis: quo quom bene semina aquarum
Multa modis multis convenere, undique adaucta,
Confertæ nubes humecti mittere certant
Dupliciter: nam vis venti contrudit, et ipsa
510 Copia nimborum, turbâ majore coactâ,
Urguens ex supero premit, ac facit ecfluere imbreis.

facientes contra universorum veterum exemplarium religionem.

Ver. 506. *bene semina Multa:* i. e. semina bene multa. BENTLEIUS.

Ver. 508. *humecti:* i. e. *humidi*, pro *humoris;* ut Græci passim, nec minus Latini. Sic Tacitus, ann. i. 61.—"pontes *humido* paludum imponeret—;" pro *humori* paludum, sive humidis paludibus: ne plures testes advocemus. Erunt tamen fortasse, qui versum sic leviter variatum unice probavissent:

Confertæ nubes *humentia* mittere certant——:

i. e. humentia *semina*, in ver. 506. Vel rursum sic:

Confertæ nubes *tum se dimittere* certant——.

Aut etiam hoc modo denique:

Confertæ nubes *tum ventrim* mittere certant:

i. e. *tumorem suum.* Lauti atque intelligentes lectores, quibus omnia nostra libentissime deferimus dijudicanda, electionem faciant. Quod nobismetipsis simillimum vero videretur, ac vetustis exemplaribus minorem vim inferre, id repræsentandum existimavimus. Evulgari solet:

Confertæ nubes *vi venti* mittere certant:

prorsus ἀπροσδιονυσως, atque etiam contra manifestissimas ipsius poëtæ rationes et effata; qui nubes facit *modis multis* (ver. 507.), jam expositis, *confertas* atque *adauctas;* non autem *vi ventorum:* ne dicam quam probabile sit, si stationem vocabulorum contempleris, oculos librarii errabundos in sequentem versum præproperanter conjectos fuisse, et ea inde importavisse. Cæterum, haud unanimis invenitur librorum antiquorum sensus: V. ed. enim, pro vulgatis *vi venti*, præbet *tumenti;* quod ab *umecti* proxime nimirum abest: Σ. autem, *humenti.* Jam vero ista vox, quum *c* et *r*, *r* et *n*, sæpiuscule commutentur, nostræ divinationi quantillum distat! simplice tantummodo literulâ. Ω. denique, *vim venti.* His addam licet, ea, quæ sequuntur, *vis venti contrudit*, putide superflua accedere, ac minime ferenda, si vulgariter editis acquiescendum putes.

Ver. 510. *nimborum:* V. ed. *membrorum.*—*turbâ majore:* Vind. V. ed. Δ. *turbam more:* i. e. literis aliter distributis, et τῷ *m* in membra *i* ac *n* dispertito, *turba minore;* qualiter utique clare et distincte postmodo exaratum offendi in Ω. codice: confer sis var. lectt. ad ver. 464. L. O. *turbarum more;* M. *turbai more;* Σ. *turbatus humore.* Vides miseris modis divexatum versum. Profecto, in vocibus *turba majore*, postquam litera *m* semel præcedenti vocabulo adhæsisset, ex *turbam iore*, non longo tempore librarii, dictione nihili offensi, efficerent *turbam more;* vel ex *turba miore* exsurgeret celeriter *turbā more*, i. e. *turbam more*, et *turba minore.*—*coacta:* sic Vossii MSS. P. V. ed. O. Δ. Σ. vulgo, *coorta;* sed, opinor sine libris manu exaratis: Ω. *coapta; c* tamen super *p* ab eodem scribâ positum est.

Præterea, quom rarescunt quoque nubila ventis,
Aut dissolvuntur solis super icta calore,
Mittunt humorem pluvium; stillante, quasi igni
515 Tela super calido, tabescens multa, liquescat.
Sed vehemens imber fit, ubei vehementer utrâque
Nubila vi, cumulata, premuntur, et inpete venti.

Ver. 511. *Urguens*, vel *Urgens:* ita codd. emendatissimi et antiquissimi, L. M. cæteri, *Urget et;* me judice, minus venuste, sive constructionis habueris rationem, sive sonitûs sonantis.—*ex supero:* sic solet Lucretius; videas ii. 227. 241. 248. atque *e*, *et*, *ex*, confundi solent: unde non erubui ex ingenio restituere. Vulgo, *e supero;* sed Vind. *a supero;* L. M. *et super;* quod forte fluxerit ab *ecsuper*, solenni mutatione c et *t*.—*ac:* Ω. *et.*

Ver. 513. *solis icta calore.* Hoc elegantissimum dicendi genus nos in hujusce commentarii decursu frequenter illustratum dedimus, quum Lucretius sit talium leporum refertissimus. Pulchre non minus in eâdem re Lucanus, ix. 396.

Me *calor* ætherius *feriat*——.

Hinc autem periclitabor emendationem, quæ mihi semper visa est verissima, in D. Joannis apocalypsin, cap. vii. com. 16. Ου πεινασουσιν ΕΤΙ, ουδε διψησουσιν ΕΤΙ· ουδε μη ΠΑΙΣΗ ΕΤΙ αυτους ὁ 'ΗΛΙΟΣ, ουδε παν ΚΑΥΜΑ. Vulgo humilius πεση επ' αυτους. Ita Hebraïcis ad amussim congruunt in Psalm. cxxi. 6. sic verbum verbo fideliter reddendis: "Interdiu non *sol* te *feriet*, "et *luna* noctu." Evangelicos autem scriptores se ad veteris instrumenti phrasin passim componere, nemo, his literis vel leviuscule imbutus, potest ignorare. Jam vero, quam facile ΤΙ in Π migrare queant, ut re verâ sæpe migraverunt, quivis videat. Exempla sunt ad manum; sed annotationes nostræ sine his accretionibus per se satis intumescent. Confer autem Horat. od. ii. 15. 9.

Ver. 514. In his versibus constituendis nullo modo nobismetipsis potuimus placere: quod ex variarum lectionum recensione liquido patebit.—*stillante:* i. e. "eo "humore stillante." Pius maluit interpretari, "Stillare cogente et effluere:" sed, an hoc ferendum sit, non equidem temere dixerim; et saltem, propter sequentia, duriusculum videtur, ac supervacaneum, hoc tempore. Editi recentiores, ex emendatione Lambini, contra vetera exemplaria, *stillantque;* et utinam codices addixissent: mihi autem non valde veri simile est, tam dilucidam scripturam sic omnibus libris in *stillante*, cum unanimi concordiâ aberrationis, migraturam. Juntina, *stillando;* quod multo minus patienter accipiendum est.

Ver. 515. *Tela.* Propter magnam antiquarum artium atque consuetudinum ignorantiam, in quâ nos nunc dierum versamur, mihi in religionis parte ponendam existimavi conservationem scripturæ, pluribus et emendatioribus libris exhibitæ, nempe Vind. V. ed. L. M. Σ. Ω. nam, quod comparet in P. O. *Cera* scilicet, unde hodiernas editiones occupavit, correctorem redolet, scripta exemplaria conculcantem: Δ. *Tera.*—Non displicet Vossii conjectura, *Teda;* sed me ab innovando versus Homeri, in Il. Σ. 595. lectus, potissimum absterrebat:

Των δ', αι μεν λεπτας ΟΘΟΝΑΣ εχον, οι δε ΧΙΤΩΝΑΣ
Ειατο ωνητους, ηκα ΣΤΙΛΒΟΝΤΑΣ ΕΛΑΙΩ:

licet sane tam scholiastis, quam Eustathio, placuerit voces quasi per *similitudinem* tantum positas accipere; non penitius fortasse, quam nosmet, morem veterum super hac re callentibus. Neque ali-

At retinere diu pluviæ, longumque morari,
Consuerunt, ubi multa fluenter semina aquarum,
520 Atque aliis aliæ nubes, nimbeique rigantes,
Insuper, atque omni volgo de parte, feruntur;
Terraque quom fumans humorem tota redhalat.
Heic, ubi sol radiis, tempestatem inter opacam,

ter intellexerunt locum Odyss. H. 107. qui nos profecto in sententiâ propriâ vel validissime confirmavit:

Αἱ δ' ἱστοὺς ὑφόωσι, καὶ ἠλακάτα στρωφῶσι,
Ἥμεναι, οἷα τε φύλλα μακεδνῆς αἰγείροιο·
Καίροσιν δ' ΟΘΟΝΕΩΝ ΑΠΟΛΕΙΒΕΤΑΙ
ΥΓΡΟΝ ΕΛΑΙΟΝ.

Expendant rem sagaciores, et telis acutioribus, si quæ sint in pharetrâ reposita, conficiant. Nos, quod potuimus facere pro ingenii modulo ac doctrinæ, sic fecimus.

Denique, vulgata lectio *Cera liquescat* a Virgilio favorem acquirere videri possit, in ecl. viii. 8. sed tritior est comparatio, quam quæ tali consensu juvari queat efficaciter:

Limus ut hic durescit, et hæc ut cera *liquescit*,
Uno eodemque *igni*——.

Valeat autem, quantum valere debeat: Lucretio ac probabilitati nos unice studemus.

Ibid. *multa liquescat:* i. e. πολλα, *multum.*

Ver. 516. *utrâque:* "*vi* scilicet, tam "cumulatarum aquarum, quam venti "inurgentis." Sic optime scriptum est in L. M. O. Δ. Ω. vulgo, *utroque;* ut in Vind. de falsidici, uti suspicor, collatoris testimonio: P. V. ed. *utrinque;* Σ. *uterque.* Tot varietatibus ignorata constructio caussam peperit, dum insciti homines necessum habebant ad *cumulata* το *vi* referre scilicet.

Ibid. *utrâque.* Quidam codd. *utrinque.* Recte: scilicet *superne*, vi et copiâ nimborum, et vento *ad latera;* vide ver. 509. Et ordo est: "Nubila cumulata "premuntur vi, et impete venti;" ut ver. 734. BENTLEIUS.

Lectores proprio judicio utantur: nos majori numero exemplarium proborum stamus. Possis sane *utrâque* capere, ut sæpe alias, pro *utrâque viâ*, et conjungere *vi cumulata;* hoc tamen nec venustum foret, et ambiguum.

Ver. 517. *vi:* Δ. *in.—premuntur:* Σ. *premunt.*

Ver. 518. *retinere pluviæ;* pro *retineri*, vel se tenere: absoluto verbi usu, Lucretio multum familiari. Non aliter cum verbo simplice Gratius egit in cyneg. 219. ubi consulendi sunt docti:

——————— nec sibi turbam
Contraxit comitem, nec vasa *tenentia* longe.

Si opus esset, quum in *a* et *æ* confundendis scribæ Lucretiani passim peccaverint, conatu parum operoso sic poteras versum reformare:

At retinere diû *pluviâ*, longumque morari,
Consuerunt——:

i. e. "*nubila* (ver. 517.) consuerunt *plu-* "*viam* retinere." Sed enim nos recepta pro Lucretianissimis habemus.

Ibid. *retinere morarique.* Maro, Æn. x. 308.

Nec Turnum segnis *retinet mora*——.

Ver. 519. Ad hunc modum, non illaudabili sane, uti sentio, conjecturâ prius hunc versum emendaveram, quam sincerissimam ex codicibus MSS. lectionem eruissem:

——————— multa *cientur* semina aquarum.

Vide iv. 1035. et exaratum est *fientur* in

Advorsâ fulsit nimborum adspargine contra;
525 Tum color in nigris exsistit nubibus arqui.
Cætera, quæ sursum crescunt, sursumque creantur;
Et, quæ concrescunt in nubibus omnia, prorsum
Omnia, nix, ventei, grando, gelidæque pruinæ,
Et vis magna geli, magnum duramen aquarum,
530 Et mora, quæ fluvios passim refrenat, aventeis

Vind. L. M. Jam vero quot vicibus *f* et *f*, *s* et *c*, commutata sunt? At enim, quum noster codex, emaculatus in primis, Ω. clare præbeat *fluenter*, nihil ultra disquirendum putavimus: confer iv. 226. et mox, ver. 931. hujusce libri. O. proxime abest a vero, dans *fluentur;* V. ed. Δ. Σ. *fiant:* communes editi, ex arbitrio correctorum, *fuerunt.* Cæterum, verba *fio* et *fluo* solere confundi, noster index criticus te certiorem faciet. Denique, ordo est:—" ubi multa semina aquarum fluen- " ter feruntur." Et hinc una fit atque integerrima structura versuum.—Porro, Δ. *Consuerant.*

Ver. 522. *quom fumans:* P. *consumens;* V. ed. *cum sumans.—redhalat.* Hæc videtur accuratissima verbi scribendi ratio, quæ pariter obtinet in *redhibeo, redhibitio* in glossis vetustis, atque *redhostio* apud Nonium, ii. 740. Neque aliorsum spectare judicaverim codicum L. M. corruptelam, *redralat:* idem Vossio dudum arrisit. Cætera exempla, *rehalat.*

Ibid. *Terra fumans redhalat:* revertaris velim ad verr. 459. 476. 477. superius, ac notas.

Ver. 523. *Heic:* ita, ut passim noster adsolet, jubente etiam Bentleio, P. Vind. V. ed. O. Δ. Σ. Ω. vulgo, *Hinc;* forte sine libris MSS.—*inter:* V. ed. B. *intus.*

Ibid. *sol radiis Advorsâ fulsit.* Ore magnifico Virgilius, ad Æn. ix. 374.

Et galea Euryalum, sublustri noctis in umbrâ,
Prodidit inmemorem, *radiisque adversa refulsit.*

Ubi clausula *sublustri noctis in umbrâ* pulchre conservat etiam venustam oppositionem Lucretii, *tempestatem inter opacam;* quâ res clarius et vividius exhibetur. Et lector lepidus multâ cum voluptate committet scholasticorum poëtarum decem tetrasticha de *Iride*, in Anthol. Lat. Burm. v. 17. longiora, quam quæ huc transferri possint. Videndus insuper de hoc phænomeno magister Epicurus, apud Diog. Laërt. x. 109. Aristoteles etiam, et Plutarchus, cum Stobæo in physicis; cui sit otium, ac voluntas.

Ver. 523. *adspargine:* sic Vind. L. M. vulgo, *aspergine:* V. ed. Σ. *aspargine;* Δ. *aspergere.* Heinsii notam videas ad Virg. Æn. iii. 534.

Ver. 525. *nubibus:* Pii quidam codd. *nubilus.—arqui:* iidem Pii codd. *arquis;* Vind. *arcu;* V. ed. *aeo;* Δ. Σ. *arci.* De hac autem orthographiâ, quam nos repræsentavimus, vide Sosipatrem Charisium, sub init. libri de analogiâ, *arquum* ex Cicerone proferentem; Nonium, ad v. 14. discrimen futile, et ignotum veteribus, comminiscentem; cum Heinsio, ad Ovid. met. xi. 590. Sic Arnobius, lib. ii. p. 59. " *arquata* sellula;" et vetus onomasticon: " *Arquites*, τόξοται." Sed *abit dies:* nosmet igitur in itinere pergamus, te ad notas in v. 554. relegantes.

Ibid. *nigris nubibus.* Virgilius, Æn. v. 516.

——————— *nigrâ* figit sub *nube* columbam.

Ver. 527. *omnia, prorsum Omnia.* Sane jucundissima est hæc verborum revocatio, et jure Lucretio perplacuit: de quâ vide nos ad iii. 13. et alibi plus semel.

Ver. 528. *nix, grando, pruinæ.* De his

Perfacile est tamen hæc reperire, animoque videre,
Omnia quo pacto fiant, quâ reve creentur,
Quom bene cognoris, elementis reddita quæ sint.
Nunc age, quæ ratio terraï motibus exstet,
535 Percipe: et in primis terram face ut esse rearis
Subter item, ut supera, ventosis undique plenam
Speluncis; multosque lacus, multasque lacunas,

prior Epicurus, apud Diog. Laërt. x. 106. 107.

Ver. 529. *vis geli, duramen aquarum.* Virgilius aderit non intempestivus, Æn. ix. 604.

——— sævoque *gelu duramus*, et *undis*——.

Ver. 530. *refrenat aventeis*, sive *aventis:* ita legitur in B. L. M. neque discrepat τo *refrenata ventis*, in Vind. Δ. Paullo aliter V. ed. *refrenat amentis;* O. *refrenat aquantis;* Σ. *refrenat agentis;* Ω. *refrenat aquentes:* audaculi editores de suo *eunteis;* qui plenius interpungunt etiam ad finem versûs, poëtæ mentem et structuram sermonis, cuilibet ex nostrâ loci constitutione manifestissime patentia, nullo modo cognita habentes. Confer ii. 216. iii. 259.

Ibid. *mora quæ fluvios refrenat.* Elegantissimam translationem suo more Mantuanus involavit, ad geo. iv. 136. sic fors leniter castigandus:

Et, quum tristis hyems etiam nunc frigore saxa
Rumperet, et *glacies cursus frenaret aquarum*—.

Vulgo, *glacie;* sed suavis est, et eleganti ingenio affinis, hæc immutatio constructionis. Et sic forte legebat Macrobius, Saturn. vi. 6. fin. aliter enim videtur priorem quoque versum adscripturus.

Ver. 531. *Perfacile est:* sic P. O. Δ. Ω. scribunt; Vind. V. ed. Σ. *Perfacile si; i* scilicet, in scripturâ *Perfacilest*, cum *t* mutato: L. M. *et.—reperire:* P. *te per te;* sed in notis idem receptæ lectionis meminit: V. ed. *repente;* nimirum, *ri* pro more in *n* abierat; et ex *repenre* statim venit *repente:* vide var. lectt. ad v. 932. 1161. 1162.

Ibid. *tamen:* i. e. " ut ut videri possit difficilioris investigationis argumentum." Fateor interea me *tandem* præpositurum fuisse, si libri veteres addixissent: et in his vocibus scribæ solent aberrare.

Ver. 532. *fiant:* Vind. V. ed. B. L. M. Σ. Ω. *fluant;* simili peccato, quo nuper in ver. 530. O. Δ. *refluant.*

Ver. 533. *cognoris:* V. ed. *cognitis;* Ω. *cognoveris.—sint:* P. V. ed. B. *sunt.* —V. ed. quoque *elementis*, pro *elementis.* —Quin etiam P. habet *bone*, vice *bene;* ut alibi variatum est: sed in hoc loco nihil novandum arbitror.

Ver. 534. *terraï:* Vind. *terra;* V. ed. *terræ.—motibus:* Ω. *montibus;* sed *n* subnotatum est.—*exstet:* Δ. *exstat.*

Ibid. *quæ ratio terraï motibus.* Hoc argumentum ventilatum videas apud Diog. Laërt. x. 105. 106. in Epicuro; Ammian. Marcell. xvii. 7. Plut. plac. phil. iii. 15. Servium, ad Virg. geo. ii. 479. ut Aristotelem, Stobæum, et alios, prætceram. Phænomenon autem *terræ tremorum* gnaviter exercuisse ingenia veterum philosophorum liquido docet Gellius, ii. 28. conferas Virg. geo. ii. 479. Ovid. met. xv. 71. Et caussas principales, quas uberius explicatas noster dederit, ita summatim complexus est carmine quam suavissimo Statius, Theb. vii. 809.

Sive, laborantes concepto flamine, terræ
Ventorum rabiem et clausum ejecere furorem;
Exedit seu putre solum, carpsitque terendo,
Unda latens; sive hac volventis machina mundi

In gremio gerere, et rupeis, diruptaque saxa:
Multaque sub tergo terraï flumina tecta
540 Volvere vi fluctus, submerso capite putandum est:
Undique enim similem esse sui, res postulat ipsa.
Hiis igitur rebus subjunctis, subpositisque,

Incubuit; sive omne fretum Neptunia movit
Cuspis, et extremas gravius mare torsit in oras.

Ver. 535. *terram:* V. ed. L. M. O. Σ. *terras;* sed obstant sequentia.—*face:* sic, optime ante vocalem, P. O. Ω. cæteri, *fac;* de quo nos videas ad ii. 484. iii. 422.

Ver. 536. *ut:* P. V. ed. *et;* non male. —*supera:* sic P. L. M. Δ. quos sequendos habui; huc enim *το super* in V. ed. O. Ω. clare pertinet: Vind. Σ. *supra.* Et vulgo solet edi:

——— ut supera *est*, *ventis atque* undique—:

quum vero omnibus desit *est*, et *atque* non compareat in Vind. V. ed. L. M. Δ. Σ. Ω. sitque haud dubie doctorum commentitium additamentum contra scripta exemplaria; res mihi videbatur minimæ violentiæ, atque maximæ probabilitatis, substituere *ventosis*, pro *ventis* librorum, de regulâ critices innixâ fusius declaratis ad ii. 1045. et alibi. Nec vereor, quin æqui lectores mihi sint consensuri, atque conatum comprobaturi: versus enim claudus, et dimidio pedis mutilus, non erat in textu relinquendus.

Ver. 538. *dirupta.* Sic sponte restitueram prius ex ingenio, quam clare scriptum invenissem in V. ed. Δ. Nimirum, saxum *deruptum* id est, unde aliqua pars *defringitur;* vel *deminutum* saxum: *diruptum* vero, quod discissum est, et *fissuris hiat*, ita ut venti possint penetrare: quale mens poëtæ flagitat. Haud accuratum satis se præstitit, si quid ipse valeam discernere, Gronoviorum maximus, ad Senecæ Herc. Œt. 1262.

——— ecce! *diruptâ* cute,
Viscera manus detexit——.

Vir summus malebat *dereptâ;* egomet contra contenderim receptam lectionem anteferendam esse, quamvis utralibet ferri queat: nam *viscera* sine *dereptâ cute* patere poterant, non autem vicissim sine *diruptâ* cute. Et haud ignobilis fuerit disquisitio rem per scriptores antiquos uberius prosequi; sed iniqua spatia latiorem evagationem prohibent.

Ibid. *In gremio gerere:* i. e. φερειν, εχειν· ut noster ad iii. 1062. et alibi plus semel.

Ibid. *rupeis saxaque.* Virgilius, Æn. x. 677.

In *rupes*, in *saxa*, (volens vos Turnus adoro)
Ferte ratem——.

Ver. 539. *terraï:* Vind. *terra;* solenni errore.

Ibid. *tergo terraï.* Sic Virgilius, geo. i. 97. iii. 36. *terga*, pro æquor seu superficiem, *telluris* ac fluvii: ut prior Homerus νωτα θαλασσης, ad Il. B. 159. i. e. interprete scholiastâ, *την επιφανειαν της θαλασσης.* Apollonius Rhodius, iv. 1246.

Ηερα, και μεγαλης ΝΩΤΑ ΧΘΟΝΟΣ—.

Ibid. *sub tergo terraï flumina tecta.* Callimachus est appositissimus, hymn. Jov. 27.

——— νισσετο δ' αυχη
Πεζος ὑπερ Κραθιν τε, πολυστεμον τε Μεταωτην,
Δικψαλεος· το δε πολλον ὑδωρ ὑπο ποσσιν εκειτο.

Et profecto fingebant poëtæ fluvios, quos videmus, prius sub terrâ labi, quam ex fontibus suis erumperent: conferas autem super hac re Virg. geo. iv. 363—373.

Ver. 540. *Volvere vi:* O. Δ. *Volvier in;* ubi, male posito *in*, librarius versui de suo suffulsit *τῳ Volvier*, ne metrum caderet: Ω. *Volvere in.*—*submerso capite*

Terra superne tremit, magnis concussa ruinis
Subter, ubi ingenteis speluncas subruit ætas;
545 Quippe cadunt totei montes, magnoque repente
Concussu late disserpunt inde tremores:
Et merito; quoniam, plostris concussa, tremiscunt

putandum est: i. e. submerso *fonte;* ut noster, v. 271. et alias: nam Havercampus portentosam plane et subtilissimam interpretationem, quam piget recoquere, commentus est. Sic autem legendum existimavimus, ne temere videremur doctis viris dissentire, ita librorum veterum corruptelas evolventibus. Forte tamen vestigia scripturarum sic pressius legi poterant:

——— *submersis capitibus dandum* est:

i. e. *cap'tibu'* dandum est. P. O. et Ω. *submersaque saxa putandum est.* Nec profecto me omnino persuasum habeo, cæterorum librorum lectiones non esse meras depravationes harum dictionum, vere Lucretio positarum: de quo lectores judicent. Vind. L. M. *submersos caputandum est:* nec discrepat Δ. *submersos ea putandum est;* literis c et *e* passim confusis: V. ed. B. *submersis caputandum est:* Σ. *submersis hincque putandum est.* Editores probe contulerunt Ennianum carmen, Gellio Nonioque collaudatum:

Capitibus nutanteis pinos, rectosque cupressos.

Varietates cod. Σ. vero faciunt consimile, quod subjicitur, tentamen:

Volvere vi fluctus, *submerso funte* putandum est.

Quæ divinatio magis magisque arridebit lectoribus elementorum vestigia contemplantibus. Si capias enim illud *submersos* aliorum codicum, et tecum reputes literam *f* in *f* sæpiuscule migrare; aspiratam insuper literam passim omitti; videbis exsurgere (nam quid attinet de perpetuâ *των* c ac *t* commutatione loqui?) ex *submersos hincque*, vel *submerso finte*, ipsissimam lectionem, quam proposuimus, addito tantum recti calami ductu simplice. Sed enim redeamus in viam, post quam monuerimus, quo simus in omnibus æquiores, *saxum submersum* legi in Virgilio, Æn. v. 125. quod vulgarium editionum scripturæ quodammodo nimirum favet: ut intelligatur poëta dicere, non magis *terrestria* esse saxa, quam *in aquâ condita;* sub tellure, uti super tellurem sunt.

Ver. 541. *similem:* P. V. ed. O. Δ. Σ. Ω. *simile.*—*sui res:* Vind. V. ed. B. Δ. *vires;* O. *et res;* Σ. *et vires;* Ω. *et par res.*—*postulat:* Σ. *expostulat.* Sane cod. Ω. scripturam minime contemnendam esse puto:

Undique enim *simile* esse *et par*, res postulat ipsa.

Ver. 543. *superne:* P. O. Δ. *superna;* sed vide iv. 441. et confer Bentleium, ad Horat. ii. 20. 11.

Ver. 546. *disserpunt:* P. Vind. V. ed. B. O. Δ. Σ. Ω. *discerpunt.*

Ver. 547. *plostris:* Lucretiana exemplaria, *plaustris;* sed aliter antiquissimi Romanorum. Priscianus, lib. i. p. 562. " Transit (*au*) in *o* productam, *more antiquo;* ut lotus pro lautus, *plostrum* " pro *plaustrum*—." Vetus glossarium: " *Plostrum*, ἁμαξα." In Catone de re rust. *plostrum*, non *plaustrum*, majore consensu codices fere solent exhibere: et apud Ciceron. in Verr. i. 20. Horatius, sat. ii. 3. 247.

Ædificare casas, *plostello* adjungere mures.

—Porro, Vind. V. ed. O. *tremescunt:* rectius, ut arbitror. Sic onomasticon antiquum: " *Tremesco*, τρεμω." Neque aliter plures atque emendatiores libri ad Virg. Æn. iii. 648. v. 694. Noster etiam

Tecta, viam propter, non magno pondere, tota:
Nec minus exsultant ædes, ubiquomque equitum vis
550 Ferratos utrimque rotarum subcutit orbeis.
Fit quoque, ubei magnas in aquæ vastasque lacunas
Gleba vetustate ex terrâ provolvitur ingens,
Ut jactetur aquæ fluctu quoque terra vacillans;
Ut vas interea non quit constare, nisi humor

fervesco: et eadem forma in majore numero verborum hoc genus videtur obtinere.

Ver. 548. *viam propter;* cum simili præpositionis positurâ, quam in Græcis poëtis passim cernimus. Homerus, Il. Z. 15.

Παντας γαρ φιλεεσκεν, Ὀ ΔΩ ΕΠΙ οικια ναιων.

Ver. 549. In hoc versu, conturbato vexatissimâ lectionum dissimilitudine, constituendo, ad acumen divinationis necessario fuit defugiendum. Ad hunc modum vulgares editi:

——— exsultant ubi *currus fortis equom* vis.

Nos mediocrem, quâ pollemus, sagacitatem adhibentes, operam navavimus, ita rem administrare, ut maxima vetustæ scripturæ reverentia conservari posset. Ita P.

—— *exultantia sunt, fortis quam tibi equum vis:*

quæ sunt odiosissimâ scabitudine, tam sermonis, quam numerorum, horrificata. Vind. L. M. et pro var. lect. Ω. dant:

——— *exultantes dupuis cunque vim;*

vel *dupius:* V. ed. B.

——— *exultantes dupius cumque viri.*

O. Ω. *exultant ubi currus cumque equum vi:* Δ. *exsultans*, omissis cæteris: Σ. *exultant duplices hos cumque vierunt.* Unde sic possumus tentare:

——— exsultant, *duplices ubiquomque viri vis;*

vel *virûm vis.* Hoc etiam modo:

——— exsultant, *currus* ubiquomque *viarum*—.

Sed infinitum esset conjecturis incertissimis indulgere; et positis acquiescimus, donec felicior artifex emendationum, vel castiores codices, quod omnia doctorum puncta statim ferat, in medium poterit eruere.

Ver. 550. *Ferratos rotarum orbeis.* Hunc locum Virgilius memoriâ tenebat, ad geo. iii. 361.

Undaque *ferratos* tergo jam sustinet *orbis;*
Puppibus illa prius patulis, nunc hospita *plaustris.*

Et male Burmannus *τo patulis* ad *plaustris* referebat. Nimirum, epitheton *vehementiæ frigoris* ostentandæ inservit, tantam undarum molem valentis congelare, quæ vel *latis* ac *spatiosis* navibus vehendis sufficeret. Nihil tempestivius, aut commodius. Apage interea somniculosam Bryantis nostratis suspicionem, versum pro adulterino temere satis arguentis.

Ibid. *subcutit.* Seneca, nat. quæstt. vi, 21. "Duo genera sunt, ut Posidonio placet, quibus movetur terra: utrique nomen est proprium. Altera *succussio* "est, cum terra quatitur, et sursum ac "deorsum movetur; altera *inclinatio*, quâ "in latera nutat, navigii more." His committas, quæ sequuntur in Lucretio, ver. 559—563. Addam Ovidium, met. ii. 165. sic scribendum, quod et Heinsio videmus placuisse:

Sic, onere adsueto *vacuus*, dat in aëre saltus,
*Succutitur*que alte, similisque est *currus* inani.

Vulgo, *vacuos;* quod nimis argutum puto.

Ver. 551. *ubei:* Ω. *uti.—magnas in:* V. ed. O. Δ. Σ. Ω. *in magnas;* deest *in* L. M. Forte:

555 Destitit in dubio fluctu jactarier intus.
Præterea, ventus quom, per loca subcava terræ
Conlectus, parte ex unâ procumbit, et urguet
Obnixus magnis speluncas viribus altas;
Incumbit tellus, quo venti prona premit vis:
560 Tum, supra terram quæ sunt exstructa domorum,
Ad cœlumque magis quanto sunt edita quæque,

——— ubi *in* magnas *et aquas*, vastasque lacunas.

Et, i. e. *ē*, non raro solet excidere. Vel:

——— ubei magnas in *aquas*, vastasque lacunas:

nam *τα magnas* et *vastas*, sic uniter apta, lectores lepidi vix probaverint.

Ver. *552. ex:* ita scripsi ex conjecturâ, pro vulgari *e*, quum repererim *et* in Vind. V. ed. O. Δ. Σ. Ω. sic etenim Carus adsolet, atque confundunt aliquoties *et* cum *ex* librarii scriptores.

Ver. *553. jactetur:* Ω. *jactentur.*—*aquæ fluctu:* editores hodierni, arbitrariam Lambini emendationem inscitissime adoptantes, *aqua et fluctu.*—*vacillans:* ita P. neque aliorsum spectat *το* M. codicis *vacillas*, i. e. *vacillās*, sive *vacillans;* aut L. *vacilla:* Vind. V. ed. Δ. Σ. *vacillat;* O. *vacillet;* Ω. denique, *vacillent.*

Ver. *554. Ut vas:* P. *Et vis;* V. ed. *Et vas.*—*in terrâ:* sic P. Ald. et Florent. editt. sine varietatis cujusvis significatione; Ω. in margine, a primâ manu, *intra;* i. e. *int'ra*, vel *interra;* quod positæ scripturæ valde favet: Vind. V. ed. L. M. Ω. *inter:* unde in proclivi est expiscari *interea;* sed omnino equidem lectum velim:

Ut vas *inter nos* non quit constare—:

quum illud *nos* facile elabi poterat ob vicinitatem proximam voculæ consimilis *non:* atque sic profecto disertissime scriptum visitur in O. Pro *in terrâ non*, dat Δ. *interno;* Σ. *item non.* Certe, ad mentem poëtæ rite implendam, vel *in terrâ*, vel *inter nos*, mihi prorsus necessarium videtur, ut sit quod supra dictis in verr. *535. 536. 541.* recte respondeat: unde egomet saltem Vossii subtilitatibus ad Catullum, p. 331. editionis suæ, dubium magis dubio explicantibus; et Preigeri λεπτολογιαις, surdas aures haud dubitem obmovere.

Ver. *555. jactarier:* V. ed. *jactarer.*

Ver. *557. parte:* Σ. *parce;* editi recentiores, *parti;* libris vetustis reclamantibus.—*urguet:* P. V. ed. *urgit;* quasi ab antiquiore verbi formâ: et fortassis vere.

Ibid. *urguet Obnixus.* Virgilius, geo. iii. 222.

Versaque in *obnixos*, *urgentur* cornua vasto
Cum gemitu——.

Ver. *560. supra:* sic Vind. V. ed. O. Δ. Σ. Ω. vulgo, *supera;* sed vereor, ut sit cum scriptis.—*exstructa:* V. ed. *extincta;* per facilem errorem in literis Longobardicis, si obscurius exaratus esset, et evanidus jam fuerit, apex elementi *r*.

Ver. *562. In clinata minent:* i. e. *clinata imminent;* ad tmesin usitatissimam Lucretio, quoties ratio dictionis legibus metricis adversetur. Hanc autem viam egomet longe tutiorem habui vulgatâ, sic se habente:

Inclinata minent in eamdem——:

ut sit *το minent* radix verborum *emineo*, *immineo*, *promineo;* de quâ tamen nihil est compertum aliunde. Super verbo *clinare* ea, quæ sufficiant, invenias in notis meis ad ii. 292. *Minent* interea scriptio est librorum Vind. V. ed. B. L. M. Δ. Σ. Quidam Pii codd. *manent;* etiam bene, nisi vox exquisitior scrupulum indoctis librariis merito videretur injecisse. Placuit Oudendorpio hæc lectio ad ista Julii Obsequentis verba, de prodigg. cap. cv.

In clinata minent in eamdem, prodita, partem;
Protractæque trabes inpendent, ire paratæ.
Et metuunt magni naturam credere mundi
565 Exitiale aliquod tempus clademque manere,
Quom videant tantam terrarum incumbere molem?
Quod, nisi respirent ventei, vis nulla refrenet
Res, neque ab exitio possit reprehendere eunteis:
Nunc, quia respirant alternis, inque gravescunt,
570 Et, quasi conlectei, redeunt, ceduntque repulsei;

" In Piceno *terræ motu* domicilia ruinis " prostrata: quædam, convulsa sede suâ, " *inclinata manserunt.*" Quem locum nemo candidus cordatusque negaverit commendatæ scripturæ valde appositum adesse. P. O. Ω. *minant;* etiam eleganter, nisi caussa jam admota pariter impediret. Sane verbum *minant* domibus *ad cœlum editis* apprime congruit. Ammianus Marcellinus, xxix. 6.—" murorum- " que maximam partem, pacis diuturnitate " *conruptam*, et subversam, adusque *cel-* " *sarum turrium minas* expediit." Sic legendum: vulgo, *contemptam;* quæ menda scriptione *conrumptam* generata est. Nempe, floridissimus historicus Maronem æmulari voluit, ad Æn. iv. 88.

——— pendent opera interrupta, *minæque*
Murorum ingentes, *æquataque* machina *cœlo.*

Ubi videas Servium ac Burmannum. Similiter Avienus quoque, or. marit. 138.

Rigidæque rupes, atque montium *minæ*,
Cœlo inseruntur——.

Ad meum igitur gustum et arbitrium si modo deferretur res, nec major pars emendatiorum codicum obstaret, ita versum constitutum darem:

Inclinata *minant* in eamdem, prodita, partem.

Nec inficias iverim nostræ tmesi Virgilium nonnihil interea adversari, ad Æn. xii. 59. regimine pari usus:

——— *in* te omnis domus *inclinata* recumbit.

Sed enim integrum sit judicium lectoris. —Cæterum, Vind. V. ed. *eadem;* et Vind. Δ. *prodit.*

Ibid. *prodita:* i. e. *porro data*, sive *projecta;* in primario vocis sensu: ut profecto superius, iii. 602. Commode vetus glossator: *Prodita*, ΠΡΟΚΕΙΜΕΝΗ. Neque aliter in appositissimo exemplo Mantuanus, Æn. x. 693.

——— velut rupes, vastum quæ *prodit* in æquor.

Ver. 564. *Et:* Vind. V. ed. Σ. *Te.*— Cæterum, Bentleio obsecuti sumus, notam interrogationis præscribenti. Virgilius, Æn. vi. 807.

Et dubitamus adhuc virtutem extendere factis?

Quemadmodum in georgicis, ii. 433.

Ver. 566. *tantam:* Vind. V. ed. *tantum.* —*terrarum:* Vind. *tantarum.*

Ver. 567. *ventei, vis nulla.* Mihi videor hunc locum certissimâ emendatione restituisse. Vulgo, *venti non ulla:* P. autem, *venti si nulla;* Vind. V. ed. Σ. *ventis nulla;* O. *ventis non ulla;* Δ. *ventis et non ulla.* Similes vero depravationes centum jam vidimus in locis, ubi vocula *vis* conspicitur.—*refrenet:* Vind. V. ed. Ω. *refremet;* M. autem *re festinet.*

Ver. 568. *reprehendere:* sic L. M. O. Δ. Σ. vulgo, *reprendere:* P. V. ed. B. *deprehendere.*—*eunteis*, sive *euntis:* sic P. Vind. B. L. M. O. Δ. Σ. vulgares editi, *euntem;* ut consultum eant melius lectionibus præcedentis versûs: sed ex arbitrio prorsus; ipsemet enim, si vel singularis liber probi nominis *euntem* daret,

Sæpius hanc ob rem minitatur terra ruinas,
Quam facit; inclinatur enim, retroque recellit;
Et recipit prolabsa suas in pondere sedes.
Hac igitur ratione vacillant omnia tecta,
575 Summa magis mediis, media imis, ima perhilum.
Est hæc ejusdem quoque magni caussa tremoris;
Ventus ubi, atque animæ subito vis maxuma quædam,
Aut extrinsecus aut ipsâ tellure coorta,
In loca se cava terraï conjecit, ibeique

quæ scriptura Bentleio placuit, libens amplecterer ob i. 850. quamvis nemo frequentiorum phraseos varietatem, noster quam Lucretius, sectetur. V. ed. *virtis:* cujus corruptelæ perfacilis est ratio reddenda. Nimirum, in *euntis*, vox prægressa absorpserat *e*, atque *n* in *ir* conversum est. Hoc partim accidit codici Ω. qui dat *uncis; c*, ut adsolet, cum *t* insuper mutato.

Ibid. Hunc locum Virgilius mihi videtur pro more non neglexisse, ad Æn. i. 52.

——————— Heic vasto rex Æolus antro
Luctantis *ventos*, tempestatesque sonoras,
Inperio premit, ac vinclis et carcere *frenat*———.
Ni faciat, maria, ac terras, cœlumque profundum,
Quippe ferant rapidi secum, verrantque per auras.

Cum quibus compares Ovid. met. i. 57—61.

Ver. 570. *conlectei redeunt:* confer sis Virg. geo. iii. 235. hinc enim sermonis translatio manifesta comparebit.

Ver. 571. *ruinas:* P. *ruinam;* cui favet V. ed. depravatio, *ruinatur;* quum similia sint in minusculis scripturæ formis *m*, et *tu* literæ.

Ver. 572. *recellit:* O. Δ. Σ. *recedit;* vel ex glossâ, vel ob rariorem dictionem. *Recellere* proprie potest " in partem pos-" teriorem movere:" videas annotata in ver. 236. hujusce libri. Festus: " *Re-" cellere*, reclinare." Alia in vulgaribus lexicis exempla invenire est.

Ver. 573. Ordo est: " Et, prolabsa in " (i. e. ἐν, *cum*, διὰ) pondere, recipit suas " sedes." Editoris Vindobonensis supinitas propagavit ineptissimum additamentum *se*, quod viri docti post *suas* impudentissimo facinore contra libros immisere. lim equidem, si scripti faverent:

Et *recidit*, prolabsa, suas in, pondere, sedes:

i. e. " Et, prolabsa pondere, recidit in suas " sedes." Sed res est periculosissimi conatûs in Lucretio contra codices novare.

Ver. 577. *animæ:* i. e. aëris, vel venti; uti mox, verr. 585. 595. et alibi etiam in superioribus, atque Virgilius, ad ecl. vi. 32.

Ver. 578. *ipsâ:* deinde subjungunt scelerosi editores supplementum *a*, libris universis vetustis abnuentibus. Similis constructio mox venit, ad ver. 656. Haud aliter Seneca, Hippol. 886.

——————— lacrymas, *genis*
Subito *coortas*, veste prætentâ obtegis.

Nam *genis* pro *oculis* poësis passim usurpat. Certe res est perditissimæ temeritatis atque inscitiæ sic optimos scriptores ex arbitrio sine caussâ depravare, et elegantissimas dicendi formulas obliterare.

Ver. 579. *terraï:* V. ed. Ω. *terra.*

Ibid. *in loca se conjecit.* Hoc verbum Hygino restituendum puto, fab. cviii.— " Epeus, monitu Minervæ, equum miræ " magnitudinis ligneum fecit; eoque sunt " *conjecti* Menelaus, Ulysses, Diome-" des—:" i. e. *se conjecerunt*, vel contule-

580 Speluncas inter magnas fremit ante tumultu;
Vorsabundaque portatur: post, incita quom vis,
Exagitata foras erumpitur; et simul, altam
Diffindens terram, magnum concinnat hiatum.

runt; vulgo, *conlecti.* Committas Virg. Æn. ii. 38. 55. x. 657. In his autem vocibus commutandis solent librarii peccare.

Ver. 580. *fremit ante:* Vind. *fremit autem;* Ω. *fremitante;* sed insolens est hoc vocabulum, et vicissim stant oppositæ voces *ante* ac *post.*

Ibid. *magnas.* Faber et Bentleius vel contra scripta exemplaria reponendum esse *magno* dicunt. Nimirum, acutissimi viri poëticæ orationis indolem non satis attenderunt. *Tumultus* efficitur *magnus* ipsarum magnitudine speluncarum; ut parum referat, cui demum nomini jungatur id epitheton. Nonnulla protulimus huic rei affinia in notis ad ver. 550. Opportune Virgilius, geo. i. 485.

——————— et *altæ*
Per noctem resonare lupis ululantibus *urbes.*

Quidam libri, *alte;* sine usu, quum res eodem prorsus redeat: nam, quo sint ædes altiores, eo profundiores plateæ, majorque et terribilior sonus. Burmannus atque Heynius minus accurate mentem poëtæ ceperunt, me saltem judice. Idem Mantuanus, ad Æn. x. 693.

——— rupes, *vastum* quæ prodit in æquor.

Non otiosum est illud *vastum;* sed inservit amplitudini *rupis* etiam designandæ, quæ vel in æquor tantum videatur prominere, et ostentari. Sunt autem hoc genere innumerali numero poëtici lepores. Sed neque necesse est, ut soliciti simus de exornandâ dictione *tumultus* quolibet epitheto. Testi sit idem Maro, Æn. xii. 757.

Tum vero exoritur clamor; ripæque, lacusque,
Responsant circa, et cœlum *tonat* omne *tumultu.*

Ibid. *fremit* ventus in terrâ. Arnobius, lib. vii. p. 243. "Quid *terrarum fremitus,* "quid motus?"—Julius Obsequens, de prodigg. cap. cviii. "Pisauri *terræ fremi-* "*tus* auditus."

Ver. 581. *que* deest V. ed. Δ. Σ.—*portatur:* Σ. *portatus.*—Sic etiam, atque hoc ordine, Δ. *Portatur versabundus.* Profecto, si liquidius constaret de voce *fremito,* in proclivi jaceret elegantissima hujusce loci constitutio, atque plenissima dignitatis et evidentiæ:

In loca se cava terraï conjecit; ibeique
Speluncas inter magnas, *fremitante* tumultu,
Portatur vorsabundus——:

quæ vulgatis, meâ de sententiâ, si codices suum suffragium addixerant, longe præcellerent; nam participium *coorta* in numero multitudinis utramque vocem, *ventum* et *animam,* de more maxime Lucretiano, pulchre complecteretur. Saltem, uti nunc se res habet, nosmet punctis probe dispositis locum adjuvimus, cujus nulla est constructio in editionibus pervulgatis.

Ver. 582. *altam terram:* i. e. profundam; nam in *cava terræ* (ver. 579.) ventus penetraverat. Nihil aptius, aut inculpatius, optari debet. Virgilius, Æn. vi. 267.

——— res *altâ terrâ,* et caligine, mersas.

Miror igitur editorum inscitiam inverecundiamque, de suo reponentium, *artam:* et quod tu, lector! magis mireris, cum hoc modo doctorum temeritas unamquamque paginam Lucretii fedissimis maculis deturpaverit, et libros scriptos, nullis religionibus deterrita, passim spreverit, false renunciaverit, proculcaverit, et obtriverit, ultra quam quod credibile sit, nisi verum expertis usu;—Creechius tamen, quâ erat inscitiâ ac stupore, sustinuit summatim affirmare, "Lucretium adeo emendatum

In Syriâ Sidone quod adcidit, et fuit Ægii
585 In Peloponneso: quas exitus hicc' animaï
Disturbât urbeis, et terræ motus obortus!
Multaque præterea ceciderunt mœnia, magnis

" edi Lambino, ut nullus fere poëtarum " integrior!"

——————— Clamet Melicerta perisse
Frontem de rebus.

Ver. 583. *Diffindens:* V. ed. Ω. *Diffidens.*

Ibid. *concinnat:* i. e. facit; uti Nonius etiam interpretatus est vocem, in i. 207.

Ver. 584. *Syriâ Sidone.* Plinius, nat. hist. xxxv. 51.—" terrâ in *Syriâ*, circa " *Sidonem*, oppidum maritimum." Quem videas etiam ibid. v. 13. Et res est trita ac notissima; unde valeat Lambinus, atque editores, eum patientissime secuti, cum suo commentitio *Tyriâ*, libris vetustis ad unum obsistentibus.—*Ægii:* sic, vel *Ægi*, et *Egi*, vetera exemplaria universa; sed editores, immundo contactu omnia fedantes, sine caussâ dederunt *Ægis;* nam *Ægium*, non minus quam *Ægæ*, urbs erat Peloponnesi. Testium instar omnium, huic loco adscribatur idem ille Plinius, longe nobis commodissimus, in nat. hist. iv. 6. " Oppida (Achaiæ), He- " lice, Bura; in quæ refugere, *haustis* " *prioribus*, Sicyon, Ægira, *Ægion*, Eri- " neos." Videas ibi Harduinum. Meminit etiam Strabo plus semel *Ægii* ejusdem. Nempe, ad designandam regionis cladem, oppido viciniæ maxime celebrato recte usus est Lucretius; uti prius in *Sidone.* Consulas autem doctas animadversiones ad Stephanum Byzantium, in voce Αιγιον.—Cæterum, Strabonis locus, in quo rei Lucretio memoratæ narratio legitur, est in lib. i. p. 100. edit. anni 1707. et apponi debet: Εν δε τη Φοινικη, φησι Ποσειδωνιος, γενομενε σεισμε, καταποθηναι πολιν ιδρυμενην ὑπερ ΣΙΔΟΝΟΣ· και αὑτης δε Σιδονος σχεδον τι τα δυο μερη πεσειν· —το δ' αυτο παθος και επι την ΣΥΡΙΑΝ ὁλην διεπεινε—. Plura dabunt Heinsius et Burmannus in notis ad Ovid. met. xv. 293.

Ver. 585. *quas:* V. ed. O. Δ. Σ. Ω. *qua.—animaï:* Vind. *anima;* Σ. *animantes.*

Ver. 586. *Disturbât:* P. O. Δ. *Disturbatque;* Σ. *Disturbate.—obortus* omnes, exceptis L. M. Σ. *abortus;* et sic passim librarii peccavere: vide Burmannum, ad Virg. Æn. iv. 30. Similis est aberratio loci commodissimi in Orosio, hist. iii. 3. " Anno ab urbe conditâ ccclxxvi. sævissi- " mo terræ motu Achaia universa con- " cussa est, et duæ tunc civitates, id est, " Bura et Helice, *obruptis* locorum hiati- " bus devoratæ sunt:" i. e. hiatibus locorum *in* eas urbes rumpentibus; vel terrâ his urbibus se *obrumpente.* Vulgo, *abruptis.* Super voce *obrumpo* nos alibi plura.

Ibid. *Disturbât:* de hac contractionis formâ satis diximus in notis ad v. 443. Sanissimo cum judicio, quamvis Burmannus et Heynius dissenserint, huc Trappius retulit Virgilii Æn. vii. 363.

At non sic Phrygius *penetrât* Lacedæmona pastor,
Ledæamque Helenam Trojanas *vexit* ad urbes:

i. e. *penetravit.* Nihil unquam certius; Trappius licet neutiquam perceperit contractam esse dictionem scilicet ad morem scriptorum veterum, quum nos ille vir remittat ad Æn. xi. 403. longe longeque ineptissime.

Ver. 587. *Multaque:* B. *Multa.—ceciderunt:* Vind. *ceciderct;* Ω. *cecidere et;* forsitan vere, si hoc modo distinguas locum, et accipias:

Multaque præterea *cecidere*, *et* mœnia, magnis—:

i. e. " Multæ aliæ res etiam cecidere, tam

Motibus, in terris; et multæ per mare pessum
Subsedere suis pariter cum civibus urbes.
590 Quod, nisi prorumpit, tamen inpetus ipse animaï,
Et fera vis venti, per crebra foramina terræ
Dispartitur, ut horror; et incutit inde tremorem:
Frigus utei, nostros penitus quom venit in artus,

"mœnia, vel arces munitæ in collibus, "quam urbes." Et sane sic legendum omnino censemus; quum veri simile non sit in exprimendâ lectione *ceciderunt* scribas fuisse peccaturos.

Ver. 588. *pessum:* Δ. Σ. *passim;* et equidem nescio, an non verissime. Licet enim probum sit *pessum sidere*, cum verbo simplice, quod Boëtius, lib. v. met. 5. et Lucanus exhibuit in Phars. iii. 674. an *subsidere pessum* sit inculpatæ Latinitatis locutio, haud confidenter affirmaverim, sed in medio rem relinquere, doctioribus expendendam, prætulerim.

Ibid. *pessum Subsedere.* Quidam codices, *passim:* male. Severus in Ætnâ:

——————— et jugera *pessum*
Intercepta leges——.

BENTLEIUS.

Talemne rem tam perfunctorie, tam negligenter, vir doctissime? Alia exempla non deteriora suppeditantur lexicis vulgari manu versatis. Nempe, *pessum subsedere* sonat *in barathrum mersæ sunt.* Philoxeni glossarium: "Βυθος, altum, profundum, gurges, *pessum:*" et vicissim, "*Pessum*, βυθος και βοθρος." *Pessum* vero, quasi *pes sub*, ni fallimur; eodem schemate, quo *sursum*, *deorsum*, ac similiter terminata quædam: neque audiam profecto Cortium ad Sallustii Jugurth. i. 4. quem locum ita interpungendum et hinc explicandum puto: "Sin, captus pravis "cupidinibus ad inertiam et voluptates "corporis, *pessum* datus est—:" i. e. irretitus cupidinibus ad inertiæ servitutem et voluptatis; ut D. Paulus, 2 Tim. ii. 26. εζωγρημενοι εις το εκεινου θελημα. Ad rem Prudentius, præf. lib. ii. cont. Sym. ver. 36. de *Petro* καταποντιζομενῳ, uti locutus est S. Matthæus, ad xiv. 30.

Jussis obsequitur Petrus:
Sed vestigia fluctibus
Summis tingere cœperat,
Et lapsante gradu pedes
Pessum mergere lubricos:

ubi non expedio grammaticas rationes; nam *mergere pedes* de male voluntario vix recte dixeris. Legerim itaque:

Et lapsante gradu pedes
Pessum *vergere lubrici:*

i. e. "pedes cœperunt καταποντιζεσθαι;" ut Philoxeni verbo utar, sic interpretantis: "*Pessundat*, βυθιζει, καταποντιζει." Videas etiam Plaut. Trucul. i. 1. 15. qui non latuit nuperum Prudentii editorem; Sil. It. viii. 288. Pompon. Mel. iii. 9. 21. Senec. nat. quæstt. iii. 25. bis. Aliud Julio Obsequenti placuit, de prodigg. cap. lxxxvi. "Lunæ terra quatuor jugerum spatio *in* "*profundum abiit.*" Sed manum de tabulâ; ne velimus, quæ sunt innumerabilia, persequi.

Ver. 589. *Subsedere:* P. *Subsidere.*— *civibus:* V. ed. *civibus et.*

Ibid. *Subsedere pessum urbes.* J. Obsequens, de prodigg. cap. cx. "Venafri "hiatu terra *alte subsedit.*" Lucanus, i. 646.

——————— terræne dehiscent,
*Subsident*que *urbes?*

Sic alii. Opportunus etiam Juvenalis, vi. 409.

——————— isse Niphatem
In populos, magnoque illic cuncta arva teneri
Diluvio; *nutare urbes*, *subsidere terras*—.

Ibid. *Subsedere suis cum civibus urbes:*

Concutit, invitos cogens tremere, atque movere.
595 Ancipiti trepidant igitur terrore per urbeis;
Tecta superne timent, metuunt inferne cavernas
Terraï ne dissolvat Natura repente;
Neu distracta suum late dispandat hiatum,
Idque suis confusa velit conplere ruinis.

i. e. ut olim Atticus sermone pressiori dixisset, ὑφιζανον αυτανδροι πολεις.

Ver. 590. *nisi tamen:* i. e. *si non.* Quod notandum. BENTLEIUS.

Ver. 591. *fera:* V. ed. *feta;* Δ. *crebra.*

Ver. 592. *horror incutit tremorem.* Uti plus semel alias exposuimus, *horror* est is affectus, unde *aspera* redditur cum *tremore*, et inæqualis, quælibet superficies. Nihil novi commodius huic rei illustrandæ pervagatissimo loco Virgilii, quem legimus ad Æn. iii. 29.

——————— mihi frigidus *horror*
Membra *quatit*——.

Non nihil, neque omnia tamen, ad definitionem videtur attulisse Celsus, de med. iii. 3.—" *horrorem* (voco), ubi totum cor-" pus *intremit.*" Rectius aliquantulo Nonius, in v. 7. qui videndus. Sed enim ovum non habet majorem ovo similitudinem, quam *horror* et *horreo* vicissim Græcis φρικη et φρισσω· de quibus scholiastas ac veteres lexicographos fructuose poteris consulere.

Ver. 593. *utei;* vel *uti:* Vind. V. ed. L. M. Δ. Ω. *ut in;* quo nullius erroris facilius est reddenda ratio ex scripturæ compendio scilicet, *ut ī*, pro *ut in:* nisi malis:

Frigus *ut in* nostros penitus quom *venerit* artus.

O. *et in;* Σ. autem, *ut in.*

Ibid. *Frigus penitus quom venit:* ideo Maroni vocitatum, ad geo. i. 93. *penetrabile frigus;* " quod omnia penetrat," exponente Servio.

Ver. 594. *movere:* editores hodierni de suo, omnibus omne genus libris abnuentibus, *moveri;* satis impudenter atque inscite: redi annotata ad iii. 570. Sane credibile est, hanc exquisitiorem elegantiam librariis quoque sæpissime obliteratam esse; neque similitudo locorum, et summi poëtæ consuetudo, me dubitare vel perhilum sinunt, Virgilio in primis hoc facinus accidisse, ad Æn. iii. 91. ubi libri dant *moveri:*

Vix ea fatus eram, *tremere* omnia visa repente,
Liminaque, laurusque dei; totusque *movere*
Mons circum——.

Error par Marklandi notandus, ad Max. T. xii. 4.

Ibid. *Concutit cogens tremere.* Virgilius eleganter vocem transtulit ad animi motus, in Æn. xii. 468.

—— *concussa metu mentem* Juturna virago——.

Ver. 595. *Ancipiti terrore.* Idem Maro, Æn. iii. 47. fere pariter:

——— *ancipiti* mentem *formidine* pressus——.

Ibid. *trepidant terrore:* i. e. undique *properanter* cursitant perterrefacti. Virgilius iterum similiter, Æn. ii. 685.

Nos, pavidi, *trepidare metu*——.

Ver. 596. *superne inferne:* P. O. Δ. *superna inferna.*—*metuunt* in V. ed. non comparet.—*cavernas:* V. ed. *cariernas.*

Ibid. *metuunt ne Natura dissolvat Terraï cavernas.* Hic videtur facilior ordo verborum, et maxime naturalis. Sunt, qui conjungant *natura terraï,* pro *ipsa terra;* quibus equidem nullus, ad constitutionem receptam loci, consenserim. At dubito nonnihil, an Lucretiani sermonis indoles non edicat sic potius esse rescribendum, clausulis inde melius sibi vicissim responsuris:

600 Proinde, licet quam vis, cœlum terramque reantur
Inconrupta fore, æternæ mandata Saluti:
Et tamen interdum præsens vis ipsa pericli
Subditat hunc stimulum, quadam de parte, timoris;
Ne pedibus raptim tellus substracta feratur
605 In barathrum, rerumque sequatur prodita summa
Funditus, et fiat mundi confusa ruina.

Tecta superne timent, metuunt inferne cavernas,
Terraï ne dissolvat natura repente:

ut verbum *dissolvat* absolute ponatur, usu poëtæ nostro valde familiari. Et huic crisi nosmet prorsus, et ex animo, standum esse arbitramur. Interea, liquido patet, Lucretium ob oculos habuisse versus Homeri decantatos, Lambino laudatos quoque. in Il. Υ. 62.

——— αυταρ ενερθε Ποσειδαων ετιναξε
Γαιαν απειρεσιην, ορεων τ' αιτεινα καρηνα—.
Εδδεισε δ' ὑπενερθε, αναξ ενερων, Αἰδωνευς·
Δυσας δ' εκ θρονε αλτο, και ιαχε, μη οἱ ὑπερθε
Γαιαν αναρρηξειε Ποσειδαων ενοσιχθων—.

Virgilius minus, quam exspectavisses, sua coloravit ad Lucretii locutiones, in Æn. viii. 240—247. quo lectorem proinde relegamus: nec tamen imitationem horumce versuum, et qui subsequuntur, non facile deprehendere, si caute perlegas, valebis.

Ver. 597. *Terraï ne:* P. *Terræ ne;* Vind. Σ. *Terra ne;* V. ed. *Terrave;* O. *Terrarum ne;* Ω. *Terra orbem;* insigni sane ac mirabili varietate. Sed librarius profecto versûs mensuram volebat adimplere.—*dissolvat:* P. *dissolvatur;* Δ. *dissolvit.*

Ver. 598. *Neu:* Ω. *Heu.*—*dispandat:* Δ. autem, *dispandit.*

Ver. 599. *complere:* sic Ω. diserte; cæteri vero, *complere.*

Ibid. *Idque:* nempe, " id, quod hiatu " fecerit:" nam de nomine *hiatum* in casu recto nihildum comperire quivi. Lambinus proposuit, *Imque:* sed absque codicibus, et consuetudine Lucretii; quæ in omnibus servanda est.

Ver. 600. *licet quam vis:* i. e. " Non " interpono, quo minus, in quantum ve- " lis, reantur cœlum ac terram esse im- " mortalia." Vossius, de analog. lib. iv. p. 240. quem laudat Havercampus, Lucretii locum protulit in exemplum formulæ *licet quamvis;* cujus tamen veras rationes nullo modo perspectas habuit vir literatissimus: et in libro de construct. p. 268. ex Lælio Ciceronis, " *Quamvis licet* " excelleas." Similiter in sect. 26. ejusdem libri: " *Quamquam* ista assentatio, " *quam vis* perniciosa sit, nocere tamen " nemini potest, nisi ei, qui eam recipit, " atque eâ delectatur." Lectiones positas Grævius solito cum judicio tuetur; sed ipsam phrasin parum feliciter exposuit. Vide mox, ad ver. 620. repetitam formulam. Græce locutionem hoc modo reddas: Εξεστιν αυτοις ὑπολαμβανειν ὡς τα μαλιστα.

Ver. 601. *æternæ mandata Saluti.* Noster, optimus omnium ferme poëta, an magis magnifice locutus sit hac occasione, plane dubites, an eleganter. Quasi scilicet universus mundus quædam παρακαταθηκη foret, quam Salus ipsa in æternum conservaret, dente Temporis indelibatam, nullisque injuriis obnoxiam. Quemadmodum Terentius, Adelph. iv. 7. 43.

——— Ipsa, si cupiat, *Salus*
Servare prorsus non potest hanc familiam.

Ubi plura Westerhovii nitida eruditio.

Ver. 602. *Et tamen:* prisci codices Pii, et Σ. *Attamen;* quod editoribus perperam placuit, contra reliqua exemplaria.

Ver. 603. *Subditat:* P. Ω. *Subdit et;* Vind. V. ed. O. Δ. Σ. *Subdita et;* quibus-

Nunc ratio reddunda, augmen quur nesciat æquor.
Principio, mare mirantur non reddere majus
Naturam, quo sit tantus decursus aquarum,
610 Omnia quo veniant ex omni flumina parte.
Adde vagos imbreis, tempestatesque volanteis;
Omnia quæ maria, ac terras, sparguntque rigantque:
Adde suos funteis: tamen ad maris omnia summam

aberrationibus raritas vocabuli præbuit originem. Antiquum glossarium: "Ὑπο-χυριαζω, *subdito.*" Quæ repetuntur in Latinis ibidem.

Ibid. *Subditat stimulum.* Ab *aurigariis* moribus translata est hæc dicendi ratio. Pariter luscinia Sulmonensis, trist. v. 1. 76.

Ingenio *stimulos subdere* Fama solet.

Ver. 604. *substracta:* ita Σ. rectius; P. Vind. V. ed. O. Δ. Ω. *subtracta;* L. M. *substructa:* unde cogitare liceat de *subducta;* et committas velim i. 1099. Sed nihil demutandum est. Nec tamen alias vel illud *substructa* leviter abjecissem: "Ne terra scilicet, quæ, fundamenti loco, "nostris pedibus subjecta est, raptim in "barathrum feratur." Recepta vero sunt undequaque bona, sine ullâ exceptione vel verborum, vel constructionis; ideoque sanis judiciis minime solicitanda. Cæterum, memorata varietas in ultimæ vetustatis membranis et ipsa scripturæ nostræ suffragatur. Glossæ quoque Philoxeni: "*Substrako,* αποσυρω."

Ibid. *tellus substracta.* Maro, Æn. v. 199.

*Subtrahitur*que *solum*——.

Ver. 605. *barathrum:* O. Δ. Σ. Ω. *baratrum.*—*summa:* Σ. pro var. lect. *forma.* Nimirum, vetustissimi indifferenter utebantur *o* et *u*, ut in *consol*, *funtes*, ac similibus, quæ memorant grammatici; et notissimum, librarios sæpissime peccavisse in literis *ſ* et *f:* unde nullo negotio permutari poterant *ſoma*, et *fo'ma.*

Ver. 605. *rerum summa.* Paullo aliter Mantuanus extulit, ad Æn. ii. 322.

Quo *res summa* loco, Panthu?

Ovidius autem, ut noster, met. ii. 300. exhibuit:

—————— et *rerum* consule *summæ:*

ubi doctos editores videas.

Ver. 606. Versus hic in V. ed. omissus est.

Ver. 607. In edd. Junt. et Ald. versus hic conspicitur, sed exsulat aliis omnibus, quibuscum nobis res est, quâ MSS. quâ impressis ære. Certe tale quiddam tenori atque integritati carminis omnino necessarium est; nam vix credas eo titulo, qui comparet in codicibus, "Quare "mare majus non fiat," poëtam contentum fuisse. Cæterum, de quæstione, quam sibi sumit Lucretius ventilandam, et profecto cum solertiâ, homine docto atque intelligente dignâ, tractat, nos mittit Lambinus ad Aristotelis meteor. ii. 2. Perlegas etiam argumenta Lucretii summatim et eleganter declarata in Isidori origg. xiii. 14.

Ver. 609. *Naturam:* Vind. V. ed. O. Δ. Σ. Ω. *Natura;* unde mihi vehemens oborta est suspicio, non aliter comparere, si modo verum collatores retulissent, in membranis vetustissimis L. M. Piumque ex ingenio *Naturam* contra libros scriptos intulisse; quod sæpe alias factum, est in tantum non certissimis. Me saltem persuasissimum habeo, locum sic primitus exhibitum fuisse:

Guttaï vix instar erunt unius ad augmen;
615 Quo minus est mirum, mare non augescere magnum.
Præterea, magnam sol partem detrahit æstu:
Quippe videmus enim vesteis, humore madenteis,
Exsiccare suis radiis ardentibus solem.
At pelage multa, et late substrata, videmus.
620 Proinde, licet quam vis ex uno quoque loco sol
Humoris parvam delibet ab æquore partem,

Principio, mare mirantur non reddere majus,
Naturâ quo sit tantus decursus aquarum,
Omnia quo veniant ex omni flumina parte.

Ordo est: " Principio, homines mirantur, " flumina non reddere majus mare, quo " veniant omnia ex omni parte, quo tan- " tus decursus naturâliter sit aquarum." Interea, nolim te nescire, quâ ratione Lambinus hunc versum *restituerit*, si diis placet, contra libros veteres universos in receptis consentientes, nisi quod dubitem, an librarius scriptor cod. Ω. non voluerit *fit*, pro *sit:*

Naturam, quo tantus *fuat* decursus aquarum.

Et nonne merito licet obstupescere Havercampo, ne morer alios, his inquinatissimis interpolationibus acquiescenti, et patienter propaganti?

Ver. 610. Sic leviter castigandum versum puto:

Omnia *quom* veniant ex omni flumina parte.

Nam aberratio fuerit admodum proclivis. et structuræ series hinc fit aliquantulum evoluta magis, ac dilucida: " Mirantur " flumina, quom veniant, non reddere " majus mare, quo tantus decursus sit—." Quibus utique nihil elegantius et expeditius desideres. Hinc etiam, enarratione caussæ interposità, superfluitate quadam verborum videtur exonerari locus. Cæterum, nitidissimos et appositissimos Claudiani versus, in Rufin. i. 183. lectori lauto non invidebimus:

——— innumeros amnes accedere Nereus
Nescit; et, undantem quamvis hinc hauriat Istrum,
Hinc bibat æstivum septeno gurgite Nilum,
Par semper, similisque, manet——.

Ver. 611. *vagos imbreis, tempestatesque volanteis:* quæ scilicet fortuito quasi, nec opinato, solent ingruere, ac celeriter transeunt; quales nos Angli vocitamus *Flying showers.*

Ver. 612. In dubio est structura: utrum vellet noster, " Quæ omnia (imbres uti- " que, et tempestates) spargunt maria:" an rursus, " Quæ spargunt omnia ma- " ria:" quam viam nos inivimus post alios. Ad priorem sensum hoc modo interpunxissem verba:

Omnia quæ, maria, ac terras, sparguntque—.

Conferas autem Virg. geo. i. 167.

Ibid. *rigant imbres.* Idem, ibid. iv. 115.

——————— ipse feracis
Figat humo plantas, et amicos *inriget imbris.*

Ver. 614. *Guttaï:* V. ed. Σ. *Gutta.*— *augmen:* O. *unguem.*

Ibid. *ad augmen:* i. e. ad tantam maris amplitudinem adaugendam.

Ver. 616. *magnam sol:* P. Vind. V. ed. Σ. Ω. *sol magnam;* et vereor equidem, ne receptus ordo verborum sit arbitraria editorum collocatio, codices spernentium optimos et antiquissimos.

Ibid. *sol partem detrahit æstu.* Hanc ἐννοιαν Lucanus elegantissimi carminis ornatu convestivit, in Phars. ix. 313.

Sed rapidus Titan, ponto sua lumina pascens,
Æquora subduxit zonæ vicina perustæ.

Demiror inscitiam Burmanni, *rabidus* τῷ

Largiter in tanto spatio tamen auferet undis.
Tum porro, ventei quoque magnam tollere partem
Humoris possunt, verrentes æquora ventei:
625 Unâ nocte vias quoniam persæpe videmus
Siccari, mollisque luti concrescere crustas.
Præterea, docui multum quoque tollere nubeis
Humorem, magno conceptum ex æquore ponti;
Et passim toto terrarum spargere in orbi,

rapidus præponentis; quum *rapidus* in hoc usu valeat, *raptim devorans*, et exhauriens: qui sensus menti poëtæ longe commodissimus. Nos de hac re plus semel alibi. Porro, cum hoc Cari loco committant lectores v. 383—393.

Ver. 617. *humore madenteis:* Vind. *humore addentis.* Nimirum, distracto *m*, ex *humorem adentis*, celeriter factum est *humorē*, et *humore addentis.*

Ibid. *vesteis humore madenteis.* Haud multo aliter Mantuanus, Æn. v. 179.

——— *madidâque fluens* in veste Menœtes.

Ver. 619. *At:* Δ. *Ad;* ut V. ed. etiam pro var. lect.—*pelage:* sic Vind. L. M. et prisca Pii exemplaria: P. V. ed. B. Δ. Σ. *pelagi;* O. Ω. *pelago.*—*substrata:* prisca Pii lectio, O. Ω. *subtracta;* Σ. *substracta;* omnino vitiose.

Ver. 621. *Humoris delibet partem.* Unde Virgilius, quem multi postea æmulati sunt, longe venustissime, ad Æn. i. 256.

Oscula *libavit* natæ——:

i. e. "quasi *detersit* suis labris aliquid ex "*molliculo* et humidulo *ore* filiæ:" vide notas superius ad iv. 1163. et confer Æn. xii. 434. Sic etiam *oscula carpens* similiter valet, in sensu primario, *os* ipsum *vellicans* ac *demorsicans*, apud Phædrum, iii. 8. 12. et alios. Ausonius, Mosell. 444. carmine mellito sane, sic autem, nisi me subductæ rationes fallant, emendando:

——————— Fas mihi sacrum
Præstrinxisse amnem tenui *libamine*, Musæ!

i. e. *haustu superficiario* tantum, qualis libamini sane tenui solus consonet. Vulgo, *Perstrinxisse.* Denique, Marius Victor se lautum scriptorem præstitit, in gen. iii. 504. ita punctis melius dispositis exhibendus:

Tum sacras epulas, mediumque invecta paratum
Præcipiti cursu, *delibans flamma* voravit.

Ver. 622. *Largiter:* P. *Largius;* etiam bene: et eodem spectat depravata lectio in V. ed. B. *Largitus.*—*auferet:* Σ. *aufert;* Ω. *auferat.*

Ver. 623. *quoque magnam:* hodierni editores, contra libros omnes meos, et alios haud dubie vetustos, nihil non ausi in Lucretio, dederunt ex arbitrio voces transpositas, *magnam quoque.*

Ver. 624. *verrentes:* V. ed. *vertentes.*—*ventei:* P. O. Σ. *ponti;* sed, præ antiquissimis exemplaribus atque emendatissimis, non audiendi sunt hi libri: has insuper jucundissimas repetitiones Lucretius opere magno et amavit, et frequentavit; prout in superioribus satis vidimus. Committas etiam v. 267. 389.—Cæterum, de quantitate exhalationis hujusce in mari Caspio, calculum subduxit, luculentis rationibus computabilem, in Actis Philosophicis, subtilissimus et doctissimus astronomus, Halleius nostras.

Ver. 625. *quoniam:* V. ed. *cum;* i. e. *quum*, vel *qm̄:* Δ. Σ. *quomodo.*

Ver. 626. *mollis:* P. *molleis;* sed male.

Ibid. *concrescere crustas.* Quæ delibavit apis Minciana, ad geo. iii. 360.

Concrescunt subitæ currenti in flumine *crustæ.*

630 Quom pluit in terris, et ventei nubila portant.
Postremo, quoniam raro cum corpore tellus
Est, et conjuncta est, oras maris undique cingens;
Debet, ut in mare de terris venit humor aquaï,
In terras itidem manare ex æquore salso:
635 Percolatur enim virus, retroque remanat
Materies humoris, et ad caput amnibus omnis

Ver. 627. *docui:* a ver. 494—507. et alibi.

Ver. 628. *Humorem conceptum.* Naso, met. i. 271.

Concipit Iris *aquas*, alimentaque nubibus adfert.

Ver. 629. *orbi:* vulgo, *orbe;* et sic P. Ω. Quum vero reliqui omnes libri, quorum maxima esse debet auctoritas, præstent *orbis*, manibus quam mitissimis locum tractare volui: redeas ad v. 75. Sane sequiores haud ægre posuissent *toto orbis* pro *toto orbe;* sed locutionem talem sine exemplis non ausim equidem Lucretio adscribere. Interea sic legendum confidenter dixerim:

Et passim *totos* terrarum spargere in *orbeis*.

Regredere autem notas nostras ad ii. 613.

Ver. 630. *Quom pluit in terris.* Poëtica est phrasis pro *passim pluit:* i. e. per terras, ubicunque homines versantur. Et, id observante Servio, quem Havercampus admovit, Virgilius hoc hemistichium in proprios usus transtulit, ad Æn. x. 807. atque Heynio ambabus plaudo, ineptam ac frigidulam grammatici crisin auso liberrime damnare ac rejicere:

——————— tutâ latet arce viator,
Dum *pluit in terris;* ut possint, sole reducto,
Exercere diem——.

Ver. 632. *conjuncta est oras:* Vind. V. ed. *conjuncta storas;* nempe, pro *conjunctast oras.*—*maris:* P. Vind. V. ed. O. Δ. Σ. Ω. *magis.*—*cingens:* V. ed. *augens;* ob magnam similitudinem literarum *ci* et *a* in minusculis nempe characteribus: Δ. Σ. *tingens.*

Ver. 634. Notabile exemplum in hoc versu habiturus es aberrationum, quæ ex adhæsione literarum vocibus non suis, ac permutatione elementorum *c* et *t*, exoriri soleant.—*terras itidem:* V. ed. *terra sic idem;* O. minus vitiose, *terra sit idem;* Δ. *terram sic idem;* i. e. *terrā sic idem;* Ω. denique, *terras sic idem.*

Ver. 635. *virus:* Δ. *intus.*—Hi autem versus, pauculis variatis, jam venerunt, ad v. 270. et lector admonendus est in transitu, *Oceanum* hinc apud veteres mythographos audivisse *Nymphārum*, i. e. lympharum, *patrem:* vide Catull. lxxxviii. 6. et multos alios.

Ver. 637. *redit:* V. ed. *reddit;* Ω. *reddet.*—*agmine:* P. Δ. *augmine.*

Ver. 638. *secta:* Δ. Ω. *septa;* sed frustra. Virgilius fidem faciet, ad Æn. viii. 63.

——————— pleno quem *flumine* cernis
Stringentem ripas, et pinguia culta *secantem*.

Ver. 639. *ut:* Ω. *et.*—*Ætnæ:* P. V. ed. O. Ω. *æthnæ;* ut fere codices in hac voce.—Porro, editores *fauceis* exhibent; sed V. ed. O. Ω. *fauces;* rectissime, ut alibi monuimus.

Ibid. *per fauces montis Ætnæ Exspirent ignes.* Virgilius paullo aliter, Æn. viii. 786.

——————— *Ætnæos* efflantem *faucibus ignis*.

Ubi tamen reponendum aio; ne sit obscurior et alienior illa comparatio: quid enim aliis ignibus Ætnæi distant?

——————— *Ætnæis* efflantem *faucibus* ignis:

compares modo mox dicenda, ad ver. 702. Vel potius, ut erumpat a me vera vox:

Confluit; inde super terras redit agmine dulci,
Quâ via secta semel liquido pede detulit undas.
Nunc ratio quæ sit, per fauces montis ut Ætnæ
640 Exspirent ignes interdum turbine tanto,
Expediam: neque enim mediocri clade coorta
Flammæ tempestas, Siculûm dominata per agros,
Finitumis ad se convortit gentibus ora;

——— *æternos* efflantem faucibus ignis.

Ad æmulationem scilicet Homerei carminis, ni fallor, in Il. E. 4. de Maronis consuetudine:

Δαιε οἱ εκ ΚΟΡΥΘΟΣ τε και ασπιδος ΑΚΑΜΑΤΟΝ ΠΥΡ:

i. e. indefessum, adeoque *æternum*. Et quantulum, sodes! discrepant in libris scriptis *et'nos*, sive *eternos*, atque *etneos?* Sed enim super hac divinatione ampliabimus opportuniore loco. Cæterum, alia per hos Lucretii versus vagatus decerpsit Mantuanus, quibus admirabilem suam descriptionem exornaret, in Æn. ii. 572. eundem montem celebrans:

Turbine fumantem piceo, et *candente favillâ*—:
——— ingentemque insuper *Ætnam*
Inpositam, ruptis *flammam exspirare* caminis.

"*Candente favillâ:* i. e. *scintillis*." Servius.

Ver. 640. *Exspirent ignes.* Pulchra translatio est ab animante, spiritum ore ac naribus efflante. Virgilius, Æn. i. 44.

Illum *exspirantem* transfixo *pectore flammas*—.

Ver. 641. *mediocri clade coorta.* De hac emendatione, quæ a corruptelis optimorum exemplarium proxime abest omnium conatuum, quos doctorum sagacitas exhibuit, amandandus es ad Heinsii notas in Ovid. met. iv. 536. Nec locum tamen, licet nihil melius habeo, quod afferam, ad primævam puritatem scripturæ persanatum puto. Havercampus divinationem Fabri et probavit, et admisit in contextum, *diâ de clade coorta:* mihi vero minime placet tentamen, unde tot ductus veteris scripturæ extriti pereant. Ingeniose Bentleius hic etiam, ut alibi semper, versatus est:

——— neque enim *Enceladi* de clade coorta:

quæ tamen veris esse similia, varietates codicum contemplatus, ægre dixeris. Hæ vero sic se habent: P. *media quæ clade coorta;* Vind. L. M. Δ. Ω. *media grecia de coorta;* V. ed. B. *media grecia decorata;* O. *media de glande coorta;* Σ. *media grecia coorta.* In Vossianâ emendatione, quam nos admittimus, pauca tantummodo videmus detorta et immutata; *a* in *o; g* in consanguineo sono literam *c; e* denique et *i*, in *i* ac *l*. Adhuc tamen locus est acumini conjectorum; et utinam se in hac materiâ felicius exerceant: nobis enim, cogitationes ad omnia convertentibus, nulla lux ostenditur, quæ tenebras discutiat. Saltem trivialibus, quæque lectoribus assensum nequeant extorquere, nec omnino placet, neque profecto per otium licet, indulgere.

Ver. 642. *Siculûm:* Ω. *Siculos;* forte, a *Siculom:* vel potius, uti suspicor, versis partibus, a *Siculos*, verâ Lucretii scripturâ, primum fluxit *Siculom*, deinde vulgatum illud *Siculum*. Nam in poëtis passim videas *Siculas oras*, *Siculos cantus*, et centum consimilia; sed contra *Siculorum oras*, atque ita porro, vel rarissime invenias, opinor, vel nusquam. Denique, suspicionibus meis favet nobilissimorum versuum nobilissima imitatio, quam ille Virgilius exsecutus est, ad Æn. vii. 222.

Quanta per *Idæos*, sævis effusa Mycenis,
Tempestas ierit *campos*——.

Fumida quom cœli scintillare omnia templa
645 Cernentes, pavidâ conplebant pectora curâ,
Quid moliretur rerum Natura novarum.
Hiisce tibi in rebus late est alteque videndum,
Et longe cunctas in parteis despiciundum,
Ut reminiscaris, summam rerum esse profundam,
650 Et videas, cœlum summaï totius unum
Quam sit parvola pars, et quam multesima constet:

Verum enim, an Lucretius insuper posuerit,

Flammea tempestas——?

Certe facilior videtur, ac vividior, hæc locutio. Saltem appositus adveniet Solinus, cap. ix. "Durant vestigia non lan-"guidæ fidei; quibus apparet, hos locos "superstites *undosæ tempestati* fuisse." Verum, absque auctoritate membranarum, castigationibus minus necessariis, utcunque veri simillimis, abstinendum.

Ver. 643. *se:* Δ. *sese.*—Et *Finitumis gentibus ora*, pro *Finitumarum gentium:* quod schema regiminis plus semel, contextum emaculantes in superioribus, Lucretio adstruximus.

Ver. 644. *scintillare:* Ω. *stillare;* sed vulgata lectio margini appingitur.

Ver. 645. *pavidâ:* P. V. ed. *panda.*—*conplebant:* V. ed. B. *complectant.*—*pectora curâ:* V. ed. *corpora dura.*—Cæterum, Juvencus, ii. 745. agnoscit verbum *complecto.*

Ibid. *pavidâ curâ:* i. e. *palpitante* curâ. Diserte ad hanc rem Ovidius, fast. iii. 362.

Solicitæ mentes *spe*que, *metu*que, *pavent.*

Ver. 646. *moliretur:* i. e. aggrederetur; ut v. 932. Hinc non possum doctos viros non emirari, turbantes opere maximo et æstuantes, ad Silium Italicum, xiii. 48. qui locus ita est in apertissimâ luce positus, ut pudeat interpretari:

Tum meus adjuncto monstratam evasit in arcem
Tydides Ithaco; et, dextrâ *molitus* in ipso
Custodes aditu templi, cœleste reportat
Palladium——.

Conferas Virg. Æn. ix. 325. Mox ibidem Silius, ver. 198.

Ille hastam quatere, ac medicatæ cuspidis ictu
Prælia *moliri*——:

i. e aggredi, tentare; ut sæpissime in Virgilio. Hinc pristinas venustates Ovidio licet redaccendere, in fast. iii. 278.

Principio, nimium promptos ad bella, Quirites
Moliri placuit jure, deùmque metu:

i. e. adoriri, fingere; quo nihil elegantius. Vulgo, *Molliri;* ad duriusculam constructionem. Hæ voces autem alias confundi solent. Sed solus idem vates emendationi nostræ roborandæ sufficit, ad art. am. ii. 119. ne latius dispiciam:

Jam *molire animum*, qui duret——.

Obversantur autem plurima hoc genus appositissima; et multæ restant in hac voce ex optimis scriptoribus mendæ, ni fallor, olim tollendæ; quas non vacat indagare.

Ver. 647. Editiones hodiernæ *in* omittunt, contra librorum vetustorum fidem.

Ver. 648. *despiciundum*, vel *despiciendum:* sic plures et meliores libri, Vind. L. M. Σ. Ω. quibus non ausus sum refragari: vide quæ notaverim, satis copiosa, ad ii. 741. Vulgo, *dispiciendum.* Nec consulendus non est accuratissimus Oudendorpius, ad Sueton. vi. 19.

Ver. 649. *profundam.* Animadvertas epitheton absolutum: quasi *meram profunditatem* scilicet, nullis limitibus inter-

Nec tota pars, homo terrai quota totius unus.
Quod bene propositum si plane contueare,
Ac videas plane, mirari multa relinquas.
655 Num quis enim nostrûm miratur, si quis in artus
Adcepit calido febrim fervore coortam,
Aut alium quem vis morbi per membra dolorem?
Obturgescit enim subito pes, adripit acer
Sæpe dolor denteis, oculos invadit in ipsos;

ceptam circumscriptamque.—Cæterum, O. Ω. *summa.*

Ver. 650. *summaï:* Vind. V. ed. *summa;* Σ. *cum summa;* nec male, ut mihi videtur.

Ver. 651. *multesima pars.* Nonius, ii. 520. versum citat, et, nescio quid somnians, dicit hanc phrasin nove positam esse pro *quantitas infinita.* Longe rectius et doctius explicationem molitus est Lambinus, qui cum Græco schemate πολλοστον μερος comparaverit. Havercampus etiam tempestive monuit, maximo Casaubono, ad Strabonem, lib. i. p. 26. Lucretianum versum laudari. Hæc autem sunt Strabonis verba: Πολλοστον γαρ μερος εστι τα πορρω τερατολογουμενα των εν τη Ἑλλαδι, και εγγυς της Ἑλλαδος: i. e. *perexigua tantum pars.* Porro, sic fortasse rem liquidius concipias: ut *millesima pars* ea est, quæ rationem habeat *unius* ad *mille;* sic *multesima pars* similis est diminutio vocis *multus*, atque ab ejus mensurâ ac quantitate distat quam longissime. Videas Isoc. orat. ad Philip. p. 350. 7. ed. Auger.

Ver. 652. Uti nos edidimus post Havercampum, sic dant fere expresse Vind. V. ed. B. L. M. Δ. Σ. et pro var. lect. Ω. Dissimilitudines sunt quæ sequuntur: *tota:* P. O. Ω. *quota.*—*terraï:* Vind. V. ed. *terra;* Δ. *terna.*

Ibid. *Tŏtus*, quotus; primis brevibus: unde *tŏties*, quoties. Bentleius.

Ver. 653. *bene:* P. *bone.*—*propositum si:* Vind. O. *propositus si;* Ω. *propositum est si.*—*plane:* Vind. Σ. *plani.*

Ver. 654. *Ac:* P. V. ed. *Et;* Σ. *At.*

Ibid. *mirari multa relinquas:* nam e novitatis specie admiratio gignitur, et matrem habet naturalium caussarum ignorationem: confer autem Horat. epist. i. 6. 1—6.

Ver. 655. *miratur:* P. *miratus:* forte, *miratust.*

Ver. 658. *Obturgescit:* quidam, Pio teste, legebant *Obbrutescit.*

Ibid. *acer dolor denteis.* Virgilius Æn. xi. 709.

——————— furens, *acri*que adcensa *dolore.*

Addas Serenum Samonicum, de med. 227.

Haud facile est *acrem dentis* tolerare *dolorem.*

Ver. 659. *denteis:* Vind. V. ed. O. Ω. *dentes*, non *dentis;* atque fortasse rectius. —*oculos:* P. Ω. *oculosque.*

Ibid. *in oculos invadit.* Sic alii, et Lucilius apud Nonium, iv. 238.

Ut semel *in* cœli *pugnai* te *invadere* vidi.

Ubi legendum forsan, " in *talis* pug-
" nas—." Sic Plautus, Bacch. iv. 4. 60. Sallustius, Jug. xxxii. 4. Aliter noster supra, ver. 174. uti Sallustius idem variavit, in Catil. xxxvi. 5. Videas viros doctos ad priorem historici locum.

Ver. 660. *Exsistit:* P. *Exurit.* An *Exurgit*, vel *Exsurgit?* V. ed. *Exiscit.* Sed an *Ecgliscit?* videas i. 475. uti Serenus etiam Samonicus, ver. 770. de hoc ipso morbo:

Unguine quo *gliscens* deponet *flamma furorem.*

660 Exsistit sacer ignis, et urit, corpore serpens,
Quamquomque adripuit, partem, repitque per artus;
Nimirum, quia sunt multarum semina rerum;
Et satis hæc tellus morbi, cœlumque, mali fert,
Unde queat vis inmensi procrescere morbi.
665 Sic igitur toti cœlo, terræque, putandum est
Ex infinito satis omnia subpeditare,

—*corpore:* P. V. ed. *corpora;* non probo, quum solita sit omissio præpositionis. Plinius, nat. hist. xx. 34. " Epinyctidas, " et quicquid aliud *serpit in corpore*, im- " posita levat." Nec tamen non foret in exquisitissimæ venustatis formulis illud *corpora serpens.* Sic Arnobius, lib. i. p. 20. " Indigetes illi, qui *flumen repunt*—." De hoc autem regimine hujuscemodi verborum nos plura ad i. 1060. ii. 206. et alibi. Cæterum, vox *urit* minus elegante ingenio digna apparet sic posita. Legendum:

Exsistit sacer *ignis*. et *haurit*, corpore serpens,
Quamquomque adripuit, partem——.

Verba *haurio* et *uro* scribæ permiscuerunt ad Livium, xxx. 6. 8. *Haurit* autem, depascit, devorat, *edit*, consumit: quâ dictione nihil huic loco commodius; vide sis nos ad v. 989. Virgilius, Æn. ii. 600.

Jam flammæ tulerint, inimicus et *hauserit ignis:*

quo modo rescribendum esse nos alibi docuimus; ac phrasin pluribus illustratam videas eruditis viris ad Lucan. x. 71. Liv. v. 7. 3. et profecto satis pervagata est. Hinc insuper pulchre congruunt illa Virgiliana, geo. iii. fin.

——— contactos *artus sacer ignis* EDEBAT.

De his vero docti judicium ferant.

Ver. 661. *repitque:* V. ed. B. O. *repetitque.* Nec tamen de mutatione cogitandum; hoc enim cognatorum vocabulorum sodalitium noster haud aspernatus est: conferas infra, verr. 1119. 1120. Si dixissent antiquissimi *repto* in tertiâ conjugatione, verum fuerat extra controversiam *reptit:* de hac autem re nihil compertum habeo.

Ver. 663. *morbi:* i. e. " Hæc ipsa " tellus *satis morbi* fert, unde *vel immen-* " *sus morbus* possit procrescere:" nam a *parvis* caussis res *maximæ* nascuntur. Sic satius scribendum habui cum vetustissimis et optimis exemplaribus, quam *nobis*, quod exhibent Δ. Σ. et editi recentiores, cum Florentino; sed, opinor, absque codicibus.—*mali:* P. Vind. V. ed. Ω. *male;* sed nihil novandum puto.

Ibid. *morbi mali.* Celsus, ii. 4. " *Mali* " etiam *morbi* testimonium est vehemen- " ter et crebro spirare." Sic Νοσον κακην, Il. A. 10. Homerus. Neque alienus est Horatius, art. poët. 453.

Ut *mala* quem scabies, aut *morbus* regius, urget——.

Ver. 664. *inmensi:* sic diserte Ω. reliqui, *immensi.*—*morbi:* Vind. *mobi.*

Ver. 665. *cœlo:* V. ed. *cœli;* cum insuaviore sono, et ex errore forsan operarum: aliter exemplum haberemus formulæ, de cujus proprietate dubitabamus ad ver. 629. Sane auxilium venit auribus delicatulis præsentissimum codex noster O. ordinem diversum adhibens:

——— toti *terræ*, *cœlo*que, putandum est:

nec tamen a vulgatis discedi velim.

Ver. 666. *subpeditare:* " quasi *sub pe-* " *dibus*, pro solo ac fundamento rei, se " præstare:" absoluto sensu; de quo perlegas annotata ad i. 548.

Ver. 668. *ac:* ita Vind. L. M. O. Δ.

Unde repente queat tellus concussa moveri,
Perque mare, ac terras, rapidus percurrere turbo,
Ignis abundare Ætnæus, flammescere cœlum;
670 Id quoque enim fit, et ardescunt cœlestia templa.
Et tempestates pluviæ graviore coortu
Sunt, ubi forte ita se tetulerunt semina aquarum.
At nimis est ingens incendii turbidus ardor!

Σ. Ω. vulgo, *et;* vide i. 31. Deamat hanc particulam Lucretius.

Ver. 669. *Ignis abundare Ætnæus.* Hunc fontem videtur Virgilius accessisse, ad geo. i. 472.

——— Quoties Cyclopum effervere in agros
Vidimus, *undantem* ruptis fornacibus, *Ætnam*—?

Vide Servium ibid. et Æn. xii. 673. Haud aliter Seneca, Hippol. 102.

Et ardet intus, qualis *Ætnæo* vapor
Exundat antro.

Et Claudianus, idyll. vii. 33. eodem modo:

Ipse *redundantem* frenavit Mulciber *Ætnam.*

Julius Obsequens etiam, cap. 82. ubi non latuit noster Oudendorpium: "Mons "*Ætna* ignibus *abundavit.*" Plura videas exempla, Heinsio congesta, ad Sil. It. vii. 355. Addam Statium, Theb. iii. 595. de eodem monte:

——————— procul *igneus* antris
Mons tonat: *exundant* apices——.

Ammianus Marcellinus, xvii. iv.—"facis, "—velut *abundanti* flammâ candentis." Græci magistri præivere. Sic Euripides, Med. 1187.

Χρυσος μεν, αμφι κρατι κειμενος, πλοκος
Θαυμαστον ἰυ ΝΑΜΑ παμφαγυ ΠΥΡΟΣ.

Et committas Pindarum, Pyth. i. 40—44. cum doctis ad Claudian. rapt. Pros. i. 169. nos enim alibi fusius de hac metaphorâ.

Ibid. *flammescere cœlum.* Hoc forte an Virgilium impulerit ad id audaciæ, ut nonnullis παρατραγῳδειν ille videatur in hoc argumento, ad Æn. iii. 574.

Adtollitque globos flammarum, et *sidera lambit.*

Porro, verbum est longe rarissimum *flammesco.* Ambrosius hinc excepit, in hymn. iv. 7.

Flammescat igne charitas.

Nec glossis etiam vetustis est præteritum: "*Flammescere,* φλογωσθαι·" ut vicissim Latinæ.

Ver. 671. *Et:* sic omnes libri vetusti; sed editores de suo *Ut:* ineptissime, ac loci scopo reclamante. Poëta scilicet dat operam evincere, vel ingentia Ætnæ montis incendia exoriri posse seminibus ab omni parte confluentibus, et ex infinito suppeditatis: ut se res habet in morbis, et, quod appositius est ac majus, in gravium pluviarum vi. Nam, si nimius appareat hic flammarum turbo, in caussâ est inscita admiratio, omnia nova (redi notas in ver. 654.) esse nimia existimantis, neque ad inenarrabilem summæ totius immensitatem satis diligenter animum advertentis.

Ibid. *coortu:* vox Lucretiana, prius adhibita in ii. 1105. quæ notitiam lexicographorum fugit.

Ver. 672. *tetulerunt:* O. Δ. *retulerunt;* V. ed. Ω. *detulerunt:* quam lectionem, verbis trajectis, minime spreverim:

—— ubi forte ita *detulerunt se* semina aquarum.

De receptâ voce, consulas Nonium, ii. 839. Terentius posuit in And. iv. 5. 13. ubi similiter libri fluctuant inter *retuli* et *tetuli;* Plautus autem frequentavit. Utinam

Scilicet, et fluvius, qui visus, maxumus ei,
675 Qui non ante aliquem majorem vidit: et ingens
Arbor, homoque, videtur; et omnia, de genere omni,
Maxuma quæ vidit quisque, hæc ingentia fingit:
Quom tamen omnia cum cœlo, terrâque, marique,
Nihil sint ad summam summaï totius omnem.
680 Nunc tamen, illa modis quibus, inritata repente,
Flamma foras vastis Ætnæ fornacibus ecflet,

ea fuisset editorum Lucretianorum in codicibus suis recensendis religio, ut certo scire possemus, hanc formam in antiquissimis ejus membranis comparere.

Ver. 673. *incendii:* ita probe P. V. ed. vulgo, *incendî;* de more scriptionis Lucretii temporibus, nisi fallimur, incognitæ. Et verba sunt se objicientis rationibus poëtæ, atque oppugnantis.

Ver. 674. *ei:* vulgo, *eii;* sed, ut alibi diximus, nec Lucretii consuetudine, nec vetustis libris addicentibus.—*est* etiam claudit versum in Vind. O. Ω. quam voculam tamen, ut minime necessariam, rejiculam nos habuimus.

Ibid. *qui visus:* "ne uno quidem flu-"vio, sub hac conditione viso, quicunque "demum sit, excepto." Quid facilius hoc sensu, ac liquidius? Quæ verba expeditioris esse constructionis poterant, et simplicissimi sermonis poëtâ digniora? Fuerit itaque vanissimum et olei et operæ dispendium, temerarias atque inutiles conjecturas, quibus homines eruditi miserum versiculum divexaverint, scrupulose recensere lectoribus, et otiose dispungere. Satis sit si conatus abortivi silenter in spongiam incumbant et incastigati pereant. Criticorum, quantumvis doctorum, sagacitas non est in eâdem trutinâ cum probissimis emendatarum membranarum lectionibus ponenda. Interea tamen, quæ Preigerus e Claudiano, epig. ii. 17. adscripsit, pulchre et eleganter Cari sententiam illustrant:

Proxima cui nigris Verona remotior Indis;
Benacumque putat litora rubra lacum.

Inde est, quod idem aquarum agmen, D. Lucæ, pro gentibus scribenti, vocitatum λιμνη, cap. v. com. 1. vel *lacus;* apud S. Matthæum, iv. 18. civibus suis consulentem, θαλασσα, vel *mare*, rursus audiat: qui numquam scilicet *majores aquas*, quam propriæ, suis oculis usurpaverant, adeoque vel *maximarum* nomen iis imposuerant.

Ver. 675. *ingens Arbor.* Virgilius, geo. ii. 131.

Ipsa *ingens arbos*——.

Ver. 676. *Arbor homoque:* V. ed. *Ardor homo.*—*omni:* Vind. V. ed. O. Δ. Σ. *omnis;* quod miror.

Ver. 677. *Maxuma ingentia:* i. e. "omnia *perquam magna*, quæ primum "viderit, putat esse *absolute ingentia;*" sive talia, quibus non sunt ingentiora. Vetus onomasticon impendio apposite: "*Magnus*, μεγας. *Ingens*, ΜΕΓΙΣΤΟΣ, "ὑπερφυης." Terentius, Eun. iii. 1. 1.

Th. *Magnas* vero agere gratias Thaïs mihi?
Gn. *Ingenteis.*

Ad quem locum velim adeas Westerhovii notam, Lucretium apponentis, cum Donato.

Ver. 679. *Nihil:* sic V. ed. vulgo, *Nil.*—*summaï:* Vind. Σ. *summa;* V. ed. *summæ;* quæ versum adimplevit injecto *in* post *totius.*

Ver. 680. *inritata Flamma.* Pari cum majestate et evidentiâ vocabulum ad rem, sensu atque animâ carentem, transtulit Horatius, od. iii. 29. 41.

Expediam. Primum, totius subcava montis
Est natura, fere silicum subfulta cavernis.
Omnibus est porro in speluncis ventus, et aër;
685 Ventus enim fit, ubi est agitando percitus aër.
Hicc' ubi percaluit, calefecitque omnia circum
Saxa furens, quâ contingit, terramque; et ab ollis
Excussit calidum flammis velocibus ignem;
Tollit se, ac rectis ita faucibus eicit alte,

Cum fera diluvies quietos
Irritat amnes——.

Ver. 681. *vastis:* V. ed. *vasas;* propter similitudinem literarum *ti* et *a* in Longobardicis characteribus. — *Ætnæ:* Ω. *et ne.*

Ibid. *Ætnæ fornacibus.* Virgilii parallela videas in notis ad ver. 669.

Ver. 682. *Primum.* Vide Servium, ad Æn. iii. 571. Lambinus.

Ver. 683. *fere silicum:* V. ed. *ferens illi cum;* Δ. *fores illic;* Σ. *fere illi cum.* —*subfulta:* Ω. vitiosissime, *suflata.*

Ibid. *silicum cavernis:* i. e. silicibus cavernosis; ita exesâ reliquâ materie, ut hæ sint *columnarum* instar, quæ solum incumbens *sustineant.* Hinc autem audacior Claudiani locutio intelligenda est, in rapt. Pros. i. 169. hanc ipsissimam rem tractantis:

Quæ *scopulos* tormenta rotant? quæ tanta *cavernas*
Vis *glomerat?*——

i. e. "magnam vim *cavarum silicum* egerit." Hæc autem explicatio verbis Virgilianis extra dubii fines ponitur, ad Æn. iii. 575.

Interdum *scopulos*, avolsaque viscera montis,
Erigit, eructans; liquefactaque *saxa* sub auras
Cum gemitu *glomerat*——.

Ver. 684. *in speluncis ventus:* redi sis ver. 536. Nec, super hoc Ætnæ montis argumento, lectoribus erit injucunda collatio rationum, quas Justinus allegavit, in hist. iv. 1.

Ver. 685. *Ventus est agitando percitus aër.* Optima definitio, et quæ philosophis hodiernis sit complacita. Nihil egit Aristoteles, meteor. ii. 4. et alii somniatores, in hac materiâ versati.

Ver. 686. *Hicc':* ita malim *Hic* librorum accipere, propter majorem hujusce rationis evidentiam, et constructionem faciliorem; quamquam et *Heic* non alienum foret.

Ver. 687. *contingit:* Vind. V. ed. Ω. *contigit;* frequentissimum per errorem.

Ibid. *furens* ventus. i. e. *rabidus.* Hinc Ovidium emacules, in epist. xviii. 37.

At tu, de *rabidis* immansuetissime *ventis*,
Quid mecum certâ prælia mente geris?

Libri, *rapidis;* sed emendationem veram esse *πο* adjunctum *immansuetissime* evincit.

Ver. 688. *Excussit flammis ignem ab ollis;* nempe, saxis, vel *silicibus*, ver. 683. Hinc, ut varietas sit phraseos in Virgilio, poëtâ elegante digna, et quia magnus vates magistrum suum non temere relinquat intentatum, ei libro prorsus consentio, qui sic scripserit ad Æn. i. 174.

Ac primum *silici* scintillam *excussit* Achates,
Suscepitque *ignem* foliis, atque arida circum
Nutrimenta dedit, rapuitque in fomite *flammas.*

Vulgatum *excudit* facile irrepserit ex geo. i. 135. et nostra lectio vividior est atque efficacior.

Ver. 689. *eicit:* ita Δ. Σ. neque aliud voluit mendosa cod. Ω. scriptura, pronunciatione vitiosâ genita, *ciscit:* vulgo, *ejicit.*

690 Vortitque ardorem longe, longeque favillam
Differt, et crassâ volvit caligine fumum;
Extruditque simul mirando pondere saxa.
Ne dubites, quin hæc animaï turbida sit vis.
Præterea, magnâ ex parte mare montis ad ejus
695 Radices frangit fluctus, æstumque resolvit.

Ibid. *Tollit se ac rectis ita faucibus.* Hæc libavit Mantuanus, ad Æn. x. 892.

Tollit se adrectum quadrupes, et calcibus auras
Verberat——.

Ubi divisam dictionem egomet prætulerim, *ad rectum;* προς ορθον, επ' ιθυν, vel *ad perpendiculum* scilicet. Verum enim vero, quum unus et alter codex exhibeat *arrectus*, sic ad normam Lucretii fidenter Virgilianos versus concinnaverim:

Tollit se, *ac rectus* quadrupes *ita* calcibus auras
Verberat; effusumque equitem——:

unde nitidior evadit, et expeditior, constructio. Sed lectores libenter audiam.

Ver. 690. *Vortitque*, sive *Vertitque.* Non habeo equidem, quod afferam, hac emendatione Vossii probabilius, Oudendorpio quoque non improbatâ, ad Jul. Obs. sect. cxii. lectoribus meis consulendo. Vulgo legitur, *Funditque;* sed absque librorum MSS. ut videtur, suffragiis. P. Vind. V. ed. O. Δ. Σ. *Fecitque;* quod, si non absurdum sit, humile saltem est ac frigidum: quidam apud Pium, et L. *Fertitque;* inepte: Ω. *Fervitque.* Nimirum, ob sonum *πα f* et *v* sæpius confunduntur. Sed vide ad sequentem versum notas.

Ibid. *favillam Differt.* Virgilius, Æn. ix. 75.

——— piceum *fert* fumida lumen
Teda, et conmixtam Volcanus ad astra favillam.

Ubi codex unus, *infert.* Scribendum puto:

——— *pice differt* fumida lumen
Teda——:

i. e. "teda fumans pice." Quo quid rectius?

Ver. 691. *Differt:* P. V. ed. B. *Differre.* Merum hoc judices librariorum indiligentium sphalma: sin aliter, elegante satis constitutione haud dubitaverim moliri locum, et ferme cum pluribus etiam codicibus:

*Fecit*que ardorem longe, longeque favillam,
Differre, et crassâ *caligine volvere* fumum.

Sed enim non opus est, ut plura mutemus; et, quam in contextu reperies scripturam, cogitate perpensis omnibus, accipiendam habui, tutam undequaque, scriptisque communitam. Alii autem Pii codd. habent *Differt.* Idem editor post hunc versum posuit ver. 689. loco suo omissum.

Ibid. *volvere fumum:* ut Maro, Æn. iii. 206.

——— aperire procul montis, ac *volvere fumum.*

Ver. 693. *Ne:* P. V. ed. B. *Nec;* me saltem probante.

Ver. 694. *parte*, P. V. ed. B. O. Δ. Σ. Ω. verissime, ut opinor; nam cæsura et liquidum elementum satis potenter sustentabunt syllabam: nec crediderim, ut ut collatores taceant, vel uno in codice inveniri receptam lectionem, *parti.*

Ver. 695. *resolvit:* i. e. "*curvatos* fluc-"tus" (Virg. Æn. iii. 564. vel κυμα ΚΥΡΤΟΝ Mæonidis, Il. Δ. 426. quem nonnulli male sunt interpretati) "expli-"cat, *evolvit*que, in *plano* litore, se re-"mittens." Sane dictio est elegantissima, et ad vivum rem depingit. Sic autem diserte scriptum est in Vind. O. Δ. et quam proxime in V. ed. B. L. M. Σ. *resolvet:* P. Ω. ut editi communes, *resorbet;* minus commode scopo loci, ac pror-

Ex hoc usque mare speluncæ montis ad altas
Perveniunt subter fauces: hac ire, fatendum est,
Et penetrare, mari, penitus res cogit, aperto,
Atque ecflare foras; ideoque extollere flammas,
700 Saxaque subjectare, et arenæ tollere nimbos.
In summo sunt vertice enim crateres, ut ipsei

sus *απροξδιονυσως*, ni fallor. Forte ex simili sono literarum *b* et *v*, *resolbit*, *resorbit*, *resorbet*, facta sunt.

Ver. 696. *mare:* sic P. V. ed. B. Δ. Σ. Ω. et forsitan universi codices vetusti, si se fidos docti collatores præstitissent. Vulgo, *mari:* sed non erat de metri securitate cordatis ambigendum in cæsurâ, et ante literas longe validissimas *sp*. Nos alibi de hac re plus semel disputavimus. Videas autem Sosip. Charis. lib. i. pp. 44. 45. 111. ac Priscian. lib. vii. 759.

Ver. 697. Locus est anceps, lubricus, perdifficilis, atque importunis hariolorum concertantium conjecturis longe vexatissimus. Nosmet in eâ sumus sententiâ, ut omnes hi tumultus feliciter sedari possint, salvâ religione codicum, de hac interpretatione et hoc ordine constructionis: "Fatendum est, (*nam* res *ipsa* penitus "cogit *fateri*) speluncas *hasce* ire et pe-"netrare hac *viâ*," (per radices montis scilicet usque ad posituram faucium supra jacentium) "mari aperto," has speluncas sine impedimentis utique permeante. Sane nobismetipsis nihil videtur ita duri, vel obscuri, in hac enarratione sensûs, ut necesse sit ad incertissimas divinationes confugere; quibus enumerandis nolim chartas et tempora consumi. Cæterum, Σ. habet *mare;* ut Ω. a primâ manu: et vox deest V. ed.—Denique, Bentleius nos mittit ad Servium, Æn. iii. 571. et Fabro dicenti, "Omnino agitur "de *vento*," hæc regerit:

Quod procul a verâ est animi ratione repulsum,

ut noster ait. Geminam caussam incendii proponit; *ventum* in montis visceribus æstuantem, et *mare* speluncis subterraneis eo penetrans, et ibi fervorem concipiens. Ideo autem, quod *duplicem* rationem constituit, ait, *Præterea*, ver. 694. et; "*Sunt* "*aliquot quoque* res—," ver. 703. Denique, hæc fidem habebunt ex his Claudiani de Ætnâ, rapt. Pros. i. 171.

Sive quod objicibus discurrens *ventus* opertis
Offenso per saxa furit rimosa meatu,
Dum scrutatur iter; libertatemque reposcens,
Putria multivagis populatur flatibus antra:
Seu *mare*, sulfurei ductum per viscera montis,
Oppressis ignescit aquis, et pondera librat.

Hactenus vir præstantissimus.

Ver. 699. *ideoque:* Σ. *ideo.*—*flammam:* Vind. Δ. Σ. et Ω. a primâ manu, *flammas.*

Ibid. *ecflare foras:* i. e. fatendum est, speluncas memoratas exspirare marinos fluctus, quos imbiberint.

Ver. 700. *subjectare:* Δ. *objectare.*—*Subjectare* autem, quasi *de-sub jacere*, vel saxa *subter* posita: vide nos, ad ii. 191. Omnes autem hujusce versûs dictiones insumpsit, alias alibi, Virgilius. Sic primum, ad geo. iii. 241.

——— nigramque alte *subjectat arenam.*

De cujus scripturæ sinceritate Heinsius ne momentum quidem horæ dubitare potuerat, si frequentiore usu Lucretii carmina trivisset. Rursus idem divinus vates, ibid. ver. 110.

——— at fulvæ *nimbus arenæ*
Tollitur——.

Hos *nimbos* Justinus vocat, i. 9. 3. *tempestates et arenarum moles*, per hendyaden, vice "procellosas arenarum moles."

Ver. 701. *vertice enim:* P. B. *vertice item;* Vind. V. ed. *vertice;* L. M. *verti-*

Nominitant; nos quod fauces perhibemus, et ora.
Sunt aliquot quoque res, quarum unam dicere caussam
Non satis est, verum plureis; unde una tamen sit.
705 Corpus ut exanimum si quod procul ipse jacere
Conspicias hominis, fit ut omneis dicere caussas
Conveniat leti, dicatur ut illius una.
Nam neque eum ferro, nec frigore, vincere possis

cem; O. Δ. *vertice m;* Σ. *vertice ni;* Ω. *vertice in:* quæ posteriores aberrationes cunctæ facile exorirentur compendiariâ scripturâ *τυ enim*, quod Vossius et Turnebus, Bentleio probante, restituerunt; nempe *vertice ũ*, vel *eĩm.*—*crateres:* Σ. *creteres;* Ionice. Phavorinus: Κρατηρ· αναπνοη τυ εν γη πυρος. Tritum est. Mallem vero Græce scriptum in Caro, κρηνηρες· uti mos est ejus alibi.

Ver. 702. *nos quod:* ita docte et exquisite conspicitur in Vind. L. M. Δ. Σ. Ω. vulgo, *nos quas;* absque codicibus: V. ed. *nos;* O. *nosque.*

Ibid. *fauces.* Hinc Heinsius Silii locum ingeniosâ ac certissimâ conjecturâ emendavit, Pun. viii. 655. at depravavit tamen eodem tempore. Sponte egomet veram lectionem excuderam, atque sic porro rescribendos esse versus censeo:

Ætnæis quoque contorquens e *faucibus* ignes,
Lemnius intonuit; scopulisque in nubila jactis
Phlegræus tetigit trepidantia sidera vortex.

Vulgo, *Ætnæos, cautibus,* ac *Vesbius;* nullo, vel congruo minus, atque etiam monstroso, sensu. Ad nostram mentem cuncta amicissime inter se conspirant, et illustrant se vicissim: conferas velim modo Virg. Æn. vii. 786. geo. i. 472. Stat. silv. iv. 6. 49. nam locus morosioris curæ non indiget, atque in aperto est de rebus extra Italiam accidentibus poëtam loqui.

Ibid. *ora.* Sic Lucanus, i. 545. quem versiculum Drakenborchio, ad l. c. Silii debemus:

Ora ferox Siculæ laxavit *Mulciber Ætnæ:*

unde nostra emendatio valde confirmatur.

Ver. 703. *Sunt aliquot*—. Ad eundem modum sæpe locutus est Epicurus in epistolâ ad Pythoclem apud D. Laërtium, complusculas caussas rerum, si modo non sint phænomenis contrariæ, assignandas esse dicens.

Ver. 704. *unde una:* Ω. *una una.*

Ver. 705. *jacere:* Vind. *laceret;* V. ed. O. *jaceret;* Δ. autem, *latere.*

Ibid. *Corpus exanimum jacere.* Quemadmodum Maro, Æn. vi. 149.

Præterea, *jacet exanimum* tibi *corpus* amici——.

Ver. 706. *hominis:* Vind. V. ed. Ω. *homines.*—*fit:* Δ. *sic.* Nimirum, *f* et *f*, *c* et *t*, sæpissime mutantur invicem: unde *fit, sit, sic.*

Ver. 707. *Conveniat:* Vind. V. ed. *Conveniant.*—*illius:* O. *ullius.*

Ver. 708. *Nam neque eum:* Vind. V. ed. O. Σ. *Namque cum;* Δ. *Namque et eum;* Ω. *Nam neque cum;* quod non deterius. —*nec:* editi quidam, *neque;* tam contra libros, quam consuetudinem usitatissimam Lucretii, semper hoc modo has particulas variantis in eodem versu; unde miror consensum libb. in *τῳ neque* statim insimul repetito.

Ver. 710. In loco maxime ancipiti constituendo, volui scriptis libris, quantum licuerit, obtemperare, et incertarum divinationum abstinere. *Verum:* sic soli P. Δ. cæteri omnes, *Utrum.*—*aliquid genere:* Vind. V. ed. B. L. M. Σ. transponunt voces.—*conscius dicet.* Priorem

Interiisse, neque a morbo, neque forte veneno;
710 Verum aliquid, genere esse ex hoc, quod conscius dicet,
Scimus: item in multis hoc rebus dicere habemus.
Nilus in æstatem crescit, campisque redundat,
Unicus in terris, Ægypti totius amnis:
Is rigat Ægyptum medium per sæpe calorem;
715 Aut, quia sunt æstate Aquilones ostia contra,

dictionem, me nesciente, Bentleius olim ex ingenio reposuerat: P. *concio dicet;* O. Ω. *concio credit:* sed illa quantitas syllabæ *o* correptæ nullo modo tolerari potest in Lucretio, quamvis hanc licentiam posteriores frequentaverint: Vind. *concio ites;* V. ed. *contio ites;* B. *concio ires;* L. *concio itel;* M. *contio ite;* Δ. *contiones;* Σ. *conjiciolca.* Si vero reminiscaris, quoties elementa *c* ac *t* permisceantur, videbis recepta, si des errorem recitationis, *conciu dicet*, non longissime ab optimorum codicum vestigiis recedere. Nescio tamen, an deterius fuerit, *conscius quidam est:* i. e. *conciu q̄id-est*, vel *q̄dē ē.* Sed enim doctis hæc linquimus discutienda. Havercampus edidit, *quod contigit eii;* ex emendatione Preigeri: quam fortasse nostræ lector anteponet, nobis non repugnantibus.

Ver. 712. *in æstatem.* Nos dicimus, *Against the summer;* videas infra, ver. 875. ita ut, æstate jam ingrediente, ac maturescente, diluvium quoque ad maturitatem suam pedetentim veniat. Potest igitur phrasis *in æstatem*, si recte judicem, *propter æstatem*, in æstatis commoda, ob segetes ac proventus frugum. Terentius, And. ii. 2. 32.

——— pisciculos minutos—*in cœnam* seni.

Item Statius, Theb. xi. 15. de *Tityo:*

——— dum miseræ crescunt *in pabula* fibræ.

Conferas quoque Virg. Æn. vii. 13. Accuratissime igitur noster locutus est, et ipsi rei congruenter; uti physicum poëtam decuit. Alii non item; ut Seneca in loco, quem laudabimus ad ver. 714. Sed enim de hoc ipsi viderint.

His autem parum intellectis imputes licet *το æstate* Pii, et *æstati* vulgarium editionum, contra veterum librorum fidem.—Cæterum, pro *Nilus*, V. ed. *Nulus;* Δ. *Silus;* Ω. *Nillus.*

Ibid. *Nilus in æstatem crescit.* De hac re scriptores *ὅσα κονις·* nos igitur paucula tantum attingemus interpretationem positam illustrantia. Lucanus, viii. 826.

——— ne *Nili* Pelusia tangeret ora
Hesperius miles, ripasque *æstate tumentes.*

Ad quem locum coacta lectio *carentes*, Gronovio licet probata, ferri nequit. Oudendorpium ibi consulas, et Dempsterum ad Claudian. in Rufin. i. 185. Ammianus Marcellinus, xxii. 15. de hoc flumine: "Cum autem sol per Cancri sidus cœ-"perit vehi, augescens ad usque transi-"tum ejus in Libram—." Alii similiter.

Ver. 713. *Unicus—:* i. e. "ille amnis, "a quo tota pendet Ægyptus, ita ut nul-"lum alium amnem ex suis habeat in "pretio, unicus est in terrarum orbe qui "sic redundet." Nescivere scilicet veteres idem accidere nonnullis etiam orientalis Indiæ fluminibus. Porro, Ω. *annis*, pro *amnis.*

Ver. 714. *rigat medium per calorem:* nimirum postquam plene intumuerit, ad hoc usque tempus gradatim crescens.

Ibid. *sæpe.* Hoc dicit, quia fiebat aliquoties, ut flumen illud ad justam redundationis suæ amplitudinem, quæ toti irrigandæ terræ sufficeret, haud insurgeret.

Anni tempore eo, qui Etesiæ esse feruntur;
Et, contra fluvium flantes, remorantur; et, undas
Cogentes sursus, replent, coguntque manere.
Nam, dubio procul, hæc advorso flabra feruntur

Non video sane, quid in hac interpretatione desiderari possit: vox tamen *sæpe* usque adeo Bentleium discruciabat, ut fidenter pronunciaverit hunc versum *ταυτολογιᾳ* laborare, atque pro adulterino rejiciendum. Contra, nobis judicibus, omnia sunt facilitate Lucretiani styli, atque ubertate, quam dignissima. Sed enim convenientem locum Senecæ, nat. quæstt. iv. 2. apponere quid vetat? quem de totâ hac quæstione ibidem consulas, nemini non philosophorum veterum, atque historicorum, ventilatâ; adeo ut fuerit vanissimi jactatoris, magnificâ nominum congerie doctrinæ gloriolam captare. Sic autem Seneca: " Nilum—*biennio continuo*, regnante Cleopatrâ, non ascendisse—constat.—*Per novem annos* non ascendisse Nilum superioribus seculis, Callimachus est auctor."

Ver. 715. *Aquilones.* Eleganter Isidorus, origg. xiii. 21. intuitus Lucretium: " Nilus,—in meridiem versus, excipitur Ægypto; ubi, Aquilonis flatibus reper-cussus, aquis retro luctantibus intumescit, et inundationem Ægypti facit." Locum totum perlegas.

Ver. 716. Hujusce versûs, ita constituti, sincerissima est scriptura, planissima constructio, incorrupti numeri. Sic autem diserte conspicitur exaratus in editt. Ald. et Junt. atque membranis Ω. Demiror Havercampum, qui de suis codicibus tacere sustinuerit. Vind. Σ. quam proxime, *qui etes ire esse;* V. ed. *qui etes ut esse;* O. *qui etesiæ inesse;* Δ. *quietes inesse;* Σ. *quo etes ire esse:* P. autem, *quo Etesiæ efflare:* vulgo, *quo Etesia flabra*, solent edere; sed, opinor, nullis exemplaribus MSS. addicentibus.

Ibid. *qui Etesiæ esse.* Similium metricorum schematum alibi exempla dedimus; sed utrumque jam nunc etiam Virgilii versiculis confirmabimus. Ille pariter scripsit in ecl. viii. 108.

——— an, *qui amant*, ipsi sibi somnia fingunt?

Idem rursus, in geo. iv. 461.

——————— ferunt *Rhodopeïæ arces*——.

Sic alibi Romanorum maximi, ut Græci passim; in *propriis nominibus* pro re natâ nullam non indulgentiam sibi permittentes: quod si recte animadvertissent viri doctissimi, multis laboriosis ac futilibus nimium disputationibus caruissemus. Sed hoc obiter.

Ibid. *Etesiæ:* i. e. auræ. Hyginus, poët. astron. ii. 4. " Quod jussum Aristæus confecit, et ab Jove impetravit, ut *Etesiæ* flarent; quas nonnulli *Etesias* dixerunt, quod quotannis certo tempore exoriuntur—." Ibidem affatim Staverenus et Munckerus. Sed maxime facit ad Lucretium Isidorus, origg. xiii. 11. de *Etesiis* loquens:—" hæc autem cursum rectum a *Boreâ* in Ægyptum ferunt; quibus Auster contrarius est." Annotata revertaris ad v. 741. Interea, Bentleii judicio obstupescimus, dicentis hunc versum præcedenti esse præponendum. Sed receptui canamus: nam res in portu navigat.

Ver. 718. *sursus:* P. V. ed. B. O. *rursus.*—*manere:* Vind. V. ed. L. O. Δ. Σ. Ω. *manare;* Musis indignabundis.

Ibid. *Cogentes undas Etesiæ:* quemadmodum locutus est Virgilius, geo. iv. 420.

——————— quo plurima *vento Cogitur*, inque sinus scindit sese *unda* reductos.

Ibid. *replent:* nempe *fluvium*, ultra ripas. Phrases vero Lucretianas, *cogunt manere*, et *campis redundat*, ver. 712.

720 Flumine, quæ gelidis ab stellis axis aguntur:
Ille ex æstiferâ parte venit amnis, ab Austro
Inter nigra virûm percocto secla colore,
Exoriens penitus mediâ ab regione diei.

Virgilius sic repræsentavit in limatissimâ descriptione ejusdem *Nili*, ad geo. iv. 288.

——— effuso stagnantem flumine Nilum—.

Ver. 719. *dubio:* Ω. *dubii.*—Et Vind. *flabrum.*

Ibid. *advorso Flumine.* Idem Maro, geo. i. 201.

——— qui *adverso* vix *flumine* lembum
Remigiis *subicit*——.

Ita scribendum, pro vulgari *subigit.* Agnoscit etiam Servius, ut Heynius quoque probe monuit. Nos adeas supra, ii. 193.

Ver. 720. *ab:* editores, *a;* sine vetustis libris. Cogitabam vero, an rescribere debeamus:

——— quæ *gelidi sub* stellis axis *aluntur.*

Certe, conatus hicce facilitate suâ commendatur: et ubivis haud aliter poëtæ.

Ibid. *gelidis stellis.* Mantuanus, geo. iv. 509.

——— *gelidis* hæc evolvisse sub *astris:*

uti nos edidimus incorruptissime. Et Euripides uberiores Virgilii locutiones, *Rupe sub aëriâ*, atque *gelidis sub astris*, brevissimâ phrasi et pulcherrimâ in Bacchis extulit, ver. 38.

Χλωραις ὑπ' ἐλαταις ΑΝΟΡΟΦΟΙΣ ἡνται ΠΕΤΡΑΙΣ.

Ver. 721. *parti*, vulgo: sed Vind. V. ed. O. Δ. Σ. Ω. *parte;* recte, ni fallar; et cum omnibus scriptis, uti valde suspicor.

Ver. 722. Consummatissimam editorum impudentiam mecum indigneris, lector lepide! purissimam lectionem, atque omni parte irreprehensam, librorum veterum universorum, e contextu propellentium, et intrudentium ex arbitrio:

Inter nigra virûm, *percoctaque* secla *calore.*

Et quod cumulate facinorosum est, et opere maximo detestandum, scelus duplicant inferius, ad ver. 1107.—Cæterum, hujusce versûs imitatio Virgiliana sic se habet, geo. iv. 294. loco nuperrime laudato sub ver. 718.

Usque *coloratis amnis* devexus ab *Indis.*

Decentissime Crinagoras, epig. 19.

Αγχυρα μεγαλαι κοσμυ χθονες, ἁς δια Νειλος
Πιμπλαμενος μελαναν τεμνει κατ' Αιθιοπαν—.

Tempestivus est etiam Propertius, iii. 11. 16.

Quos Aurora suis rubra *colorat* equis.

Nec minus Theodectes apud Strabonem, p. 1019. de Æthiopiâ:

Ἧς αγχιτερμων ἡλιος διφρηλατων
Σκοτεινον ανθος εξεχρωσε λιγυυς
Εις σωματ' ανδρων, και συνεστρεψε κομας·
ΜΟΜΦΑΙΣ ΑΝΑΥΞΗΤΟΙΣΙ συντηξας πυρος:

"contabefaciens increpante sole, qui non "sinit crescere;" unde passim audiunt *imbelles* Indi. Ita castigandi sunt versus, frustra tentati Scaligero et Heynio ad Tibullum, ii. 3. 56. Oppianus, cyn. i. 298.

Εσθλοι δ' ηελιυ ζορεων πυροεισσαν ερανν,
Και τε μεσημβρινην διψυς δρμεναν ΕΝΙΠΗΝ.

Si quis malit ὁρμαις in Theodecte, non valde repugnaverim. Idem Propertius. iv. 3. 10.

Ustus et *Eoo discolor* Indus *equo:*

ut ipse etiam post alios proprio Marte emendaveram. Adeas porro Sidon. Apoll. ix. 18. nam innumera sunt huc spectantia. Nec tamen Silianam imitationem fas est nobis præterire, in Pun. xviii. 633.

Et Macetûm primi, atque *incocti corpora Mauri.*

Est quoque, utei possit magnus congestus arenæ
725 Fluctibus advorsis obpilare ostia contra,
Quom mare, permotum ventis, ruit intus arenam;
Quo fit utei pacto liber minus exitus amnis,
Et proclivis item fiat minus inpetus undis.
Fit quoque, utei pluviæ forsan magis ad caput ejus
730 Tempore eo fiant, quo Etesia flabra Aquilonum

Ver. 723. *Exoriens mediâ ab regione diei.* Hinc in proclivi videtur emendatio Claudiani, idyll. iv. 8. de *Nilo* canentis:

Qui, rapido tractu mediis *delapsus* ab *astris*,
Flammigeræ patiens zonæ, Cancrique calentis,
Fluctibus ignotis nostrum procurrit in orbem.

Libri, *elatus*, et *elapsus;* contra genuinam Latinitatem: vide Lucan. ii. 422. Horat. od. iii. 29. 35. Redonavimus etiam, elegantissime, ni fallimur, et verissime, *astris*, vice *antris*, vel *Austris*, librorum. *Astra* et *antra* librariis confusa sunt ad Virg. geo. iv. 509. Emendationem vero nostram Lucanus, ad vii. 189. cui multi sunt loci similes, pulchre illustrabit:

Sub *quocumque die*, *quocumque* est *sidere* mundi.

Ver. 725. *obpilare:* Vind. *opilare;* V. ed. *oppillare:* quas mendas raritas vocis peperit. Glossæ veteres: "*Oppilo*, ἐμ-"φραττω·" uti rursus in Græcis. Credibile est, hoc exquisitius vocabulum, doctiusque, vulgari *opplere* aliquoties supplantatum fuisse; id, quod eruditissimo scriptori, Apuleio scilicet, accidisse putem in Floridis, sect. xvii. "Cæterum, vox "cohibita silentio perpeti non magis usui "fuerit, quam nares gravedine *oppilatæ*, "aures spiritu obseratæ, oculi albugine "obducti:"—i. e. occlusæ, obturatæ, *obstructæ*. Virgilius, Æn. iv. 440.

——— placidasque viri deus *obstruit auris.*

Imbellior dictio ex unius et alterius codicis auctoritate non erat præferenda, ad ejusdem Maronis geo. iv. 301.

——— huic geminæ *nares*, et spiritus oris
Multa reluctanti *obstruitur:*

hoc enim verbum et rei violentiori magis congruit, et compendiosa scriptura *obst'uitur* facilius efficeret, ut *obsuitur* vulgatum irreperet, quam vicissim. In Apuleio autem, ut revertar, unde abierim, libri dant *oppletæ*. Scribonius Largus, de compos. medd. cap. xlvii. "Et maxime, "cum utraque *obturata* spisse necessario "sunt foramina *narium*, quâ spirandi "facultas eripitur, non alienum est scire, "quâ ratione utrumque præstari possit; "ut neque spiratio interpelletur, neque "remedium efficacissimum, quod per *op-*"*pilationem narium* efficitur, excluda-"tur."

Ver. 726. *permotum:* Vind. *per totum;* unde libenter legerim:

Quom mare, *pertortum* ventis, ruit intus arenam.

De *mari*, *torto* ac *contorto ventis*, poëtæ nusquam non loquuntur: confer nostrum, ii. 401. et nos, i. 273. Nec suspicionis nostræ non fautor est geminissimus Maronis locus, in geo. iii. 241.

——— at ima exæstuat *unda*
Vorticibus, nigramque alte subjectat *arenam.*

Ibid. *ruit arenam.* Virgilius, geo. i. 105.

——— *cumulos*que *ruit* male pinguis *arenæ.*

Avienus, in Arateis, ver. 1540.

Ultima tempestas *ruet* imi gurgitis *æstum:*

i. e. *faciet ruere.* Sic Carus alibi.

Ver. 727. *amnis:* Vind. L. (cujus fides penes collatores sit) Δ. *amni;* quod immerito acceptum est editoribus, contra

Nubila conjiciunt in eas tunc omnia parteis.
Scilicet ad mediam regionem ejecta diei
Quom convenerunt, ibi ad altos denique monteis
Contrusæ nubes coguntur, vique premuntur.
735 Forsit an Æthiopum penitus de montibus altis
Crescat, ubi in campos albas descendere ningues
Tabificis subigit radiis sol, omnia lustrans.

plures libros in positâ lectione consentientes.

Ver. 728. *proclivis:* L. Δ. Σ. *proclivus;* sed multitudinem exemplarium auscultandam duxi. Lucretius ad angustias vetustæ semitæ non debet ex arbitrio doctorum coërceri constringique: quamvis edidissem sane *proclivus*, si de testimonio codicis L. satis liquido constitisset; hoc autem in tantâ re nimia supinitas Havercampi omnino vetat. Confer Catull. lxiv. 271. et exempla in lexicis. *Proclivus* etiam ac *proclivum* in vetere onomastico reponuntur. Egomet, ex auctoritate codicis, antiquiorem formam Nasoni restituerim, in fast. iii. 13.

Ventum erat ad *mollem declivo* tramite ripam.

Vulgo dant editores, *molli declivem*. Solito cum judicio Oudendorpius *proclivum* volebat restitutum Apuleio, ad met. iv. p. 241. Cæterum, vice *proclivis*, Virgilius maluit *devexus*, in versiculo, quem supra notis ad ver. 722. adscripsimus.

Ver. 729. *ejus:* Vind. V. ed. B. Δ. Σ. *ei;* sed sequi non ausus sum, quum variatio imputari possit compendio scripturæ *ei*; in quantum nos sinant typorum formæ eam scripturam lectoribus declarare.—Hæc autem, et ea, quæ sequitur, caussa Plutarcho commemorantur in plac. phil. iv. 1. et aliis.

Ver. 730. *eo* deest V. ed. *o* literâ scilicet elisâ in *Tempor eo.*—*Etesia:* V. ed. *desia;* nam *et* non ægre coaluerint in *d.*

Ibid. *quo Etesia.* Similis est numerorum ratio superius, ad ver. 716. et infra, ver. 796. ne fortasse lectores hæreant.

Ver. 731. *conjiciunt:* O. Ω. *conijciunt;* unde, si ad arbitrium meum res deferretur, extemplo confidensque veram haud dubie scripturam restituerim, *coniciens.*

Ver. 732. *ad:* O. Δ. *et.*—*Ejecta* vero, *ex* locis circumjacentibus, ubi prius morarentur.

Ver. 734. *Contrusæ:* V. ed. *Contrusat.*—*vi:* Δ. Σ. *in.*

Ver. 735. *Forsit an:* sic omnes libri; quod vulgari solet, *Forsit et*, commentitia est lectio temerariorum editorum. Verum enim dictiones omnes, si in his imperium obtinerem, separatas prætulissem, *Fors sit an.*

Ver. 736. *Crescat:* P. *Crescit.*—*albas:* P. Vind. V. ed. B. O. Δ. Σ. Ω. *albos;* sed hinc sonus efficitur impendio insuavis, et muliebre genus in hac voce Servio etiam agnoscitur in commentariis ad Virg. Æn. iv. 250.—*descendere:* sic soli Δ. Σ. ad vulgarium editionum normam; P. Vind. V. ed. B. Ω. *decedere;* non omnino male, sed hæc vocabula confundi solent: vide sis Drakenborchium ad Liv. xxxvi. 14. 4. L. M. *discedere;* etiam bene, at receptum longe melius et simplicius putamus: O. *decidere.* Cum phrasi *ningues discedere* committi potest hoc Horatianum, od. iv. 7. 1. *Diffugere nives.* Servius autem l. c. dat *effundere:* unde non dubito, quin eruerim verissimam, atque unice dignam Lucretio, lectionem:

——— in campos albas *defundere* ningues—.

Subigit montes scilicet defundere.—*ningues:* sic luculenter Vind. L. M. Ω. atque Servius; vulgo, sine libris, *ninqueis:* P. *in igneis;* V. ed. B. *in ignes;* O. *nin-*

Nunc age, Averna tibi quæ sint loca quomque lacusque,
Expediam; quali naturâ prædita constent.
740 Principio, quod Averna vocantur nomine, id ab re
Inpositum est, quia sunt avibus contraria cunctis,
E regione ea quod loca quom venere volantes,

gens; Δ. *nigeis;* Σ. autem, *nives;* ex glossatore.

Ibid. *albas ningues.* Vix in dubio est, quin Carus pulcherrimum carmen Euripidis, init. Helenæ, in animo haberet:

Νειλυ μεν αἰδε καλλιπαρθενοι ῥοαι'
Ὀς, αντι διας ψακαδος, Διγυττυ πεδον,
Λευκης τακεισης χιονος, ὑγραινει γυας.

Elegantissimorum versuum, extra controversiam levi errore quodam deformatorum, nitidam desideramus, ac facilem, emendationem. Doctorum tentamina minus placent, et nosmet sumus conatuum prorsus infelices.

Ver. 737. *Tabificis radiis:* regredere ad i. 806.

Ver. 738. *Averna tibi:* V. ed. *avernantibus.*—*sint:* P. V. ed. *sunt.*

Ibid. *Averna loca lacusque.* Sine substantivo vocem posuit Mantuanus, Æn. iii. 442.

Divinosque *lacus*, et *Averna*, sonantia sylvis:

ubi non pœnitebit te consuluisse Servium.

Ver. 740. *quod:* Nonius, i. 46. *quidem.* —*nomine:* sic docte et exquisite, longe longeque supra vulgares sensus librariorum, V. ed. O. Σ. Ω. cæteri, *nomen.* Sic, egregio cum artificio in tenui re se gerens, Virgilius, Æn. xi. 542.

——————— matrisque *vocavit*
Nomine Casmillæ, mutatâ parte, Camillam.

Sic alii sæpiuscule; neque aliter idem Maro, versatus in hac ipsissimâ materie, ib. vi. 242.

Unde locum Graïi *dixerunt nomine* Αορνον.

Cujus versûs sinceritati Lucretius suffragari videtur.—*ab re:* Nonius, *a re.*

Ver. 741. *Avibus contraria cunctis.* Noster strictior est ac morosior ad etymon; Dionysius autem, vates nitidissimus, non paullo melius, perieg. 1150.

——————— ταχινοισι δυσεμβατος οιωνοισι:

quem reddidit haud vulgari cum venustate Priscianus, ver. 1055.

Quos volucres metuunt celeri contingere pennâ:
Unde locis Graïi posuerunt nomen *Aornis.*

Vulgo, *Aornin:* sed ita legendum cum libro singulari in casu tertio, manifestum facient, quæ dederimus olim ad Virg. geo. iii. 147.

Ver. 742. *venere:* odiosissimi bipedum editores inferserunt *advenere*, reclamarent licet omnia vetera exemplaria, per fas et nefas temere ruentes.

Ver. 743. *Remigiom.* Venerandum vetustatis altioris monimentum, quod feliciter, ni fallimur, poëtæ nostro resuscitavimus, quorsum invideremus? Scribi solet *Remigii;* sed P. V. ed. B. O. Δ. Σ. Ω. (ut, opinor, reliqui scripti, si rem fidelius haberemus exploratam) *Remigio;* i. e. haud dubie, *Remigiō*, sive *Remigiom.* Jam vero verbum *obliviscor* non respuere quartum casum, indoctissimus sit necesse est, qui congestis exemplis sibi demonstratum velit.

Ibid. *Remigiom pennarum.* Virgilius, ad Æn. vi. 19. hæc mutuatus est:

——————— tibi, Phœbe, sacravit
Remigium alarum.

Lucianus Timone, de Mercurio, qui in cœlum revolaret: ὁ μεν απελληλυθεν, ὡς δοκει· τεκμαιρομαι γαρ ΤΗ ΕΙΡΕΣΙΑ ΤΩΝ ΠΤΕΡΩΝ. Lambinus.

Nosmet autem videas in animadversionibus ad Eurip. Ion. 162. et nostrum, iii.

Remigiom oblitæ, pennarum vela remittunt,
Præcipitesque cadunt, molli cervice profusæ,
745 In terram, si forte ita fert natura locorum;
Aut in aquam, si forte lacus substratus Averni.
Is locus est Cumas apud; acri sulfure montes

590. Ovidius, met. v. 558. Lucretium æmulatus etiam infra, ad ver. 836.

Posse super fluctus *alarum insistere remis*
Optastis——:

quem locum tamen, et alia, quæ adscripseram, Heinsianæ doctrinæ copia mihi præripuit, in notis ad Ovid. art. am. ii. 45. lectori, plura hoc genus cupienti, omnino perlegendis. Nec non adeas Burmannum, in Quintil. instt. p. 735. Æschylum apponemus insuper, Agam. 52.

Πτερυγων ερετμοισιν ερισσομενοι :

et pervenusta verba Æliani, de animm. ii. 1.—φερονται δε (αἱ γερανοι) ευθυ της Αιγυπτου, τα μηκιστα πελαγη περαιουμεναι ΤΩ ΤΑΡΣΩ ΤΩΝ ΠΤΕΡΩΝ· και ουτε ΘΡΜΙΖΟΝΤΑΙ που, ουτε αναπαυονται. Ab hac denique metaphorâ pendet Sophocles, ni fallor, in Antig. 343.

ΚΟΥΦΟΝΕΩΝ τε φυλον ΟΡ-
-ΝΙΘΩΝ αμφιϑαλων αγυ :

i. e. *gentem avium* CELERITER per aëra NAVIGANTIUM. Redeas annotata in v. 277. Brunckius κουφονων intulit contra libros.

Ver. 744. *molli cervice:* Δ. Σ. *mollite;* hiatu sequente. Nimirum, duæ primæ posterioris dictionis literæ τῳ *molli* adhæserant; et *c*, ut adsolet, in *t* abierat. Quæ supererant autem, librarius, non intelligens quid vellent, *rvice* dico, noluit adjungere. In margine quoque Δ. codicis conspexi, *molli pore.*

Ibid. *cadunt molli cervice profusæ In terram.* Imitatur in bove languente Virgilius, geo. iii. 524.

*Ad terram*que *fluit* devexo pondere *cervix.*
Havercampus.

Et hemistichium, *Præcipitesque cadunt*, idem mutuatus est ibid. iv. 80. atque similiter initium versûs fecit.—Mox, Δ. *seu*, pro *si.*

Ver. 746. *substratus:* V. ed. pro var. lect. B. L. M. O. Δ. Σ. Ω. *subiratus;* per errorem facile derivatum, commutatis *t* et *i*, mendosâ scripturâ *subtratus.*—*Averni:* editores hodierni ex arbitrio, *Averno est;* nescias an impudentius, an inscitius: certe et impudenter et inscite, ut nihil supra. Sane illud *est* Vind. agnoscit: sed collator, minime compositus ad fidem, caret pondere.

Ver. 747. Hunc versum, longe longeque ante omnes alios Lucretianos doctorum conjecturis vexatissimum, nos ex emendationibus Salmasii exhibemus; quia viderentur ab optimarum membranarum vestigiis proxime abesse. Sed enim ad scripturarum discrepantias deveniamus. *Is:* P. Vind. Ω. *Hic;* etiam bene: V. ed. B. L. Q. (qui codex hic denuo incipit) *His;* Σ. *Hiis.*—*Cumas apud acri sulfure montes:* P. *Cumas apud ejus sub pede montis;* Vind. V. ed. B. *cum asupede crisui per montis;* L. *Cumas apud ecris viper montis;* M. *Cumas aput ecris viper montes;* O. *cumas apud ecrisum per montis;* Q. *cum asapute crisui per montes;* Δ. *cūmas apud chrysim permontis;* ab Σ. hæc absunt: Ω. *cumas apud et risui permotis.* Jam vero, si scribas antiquo more, *Cumas apud acri sulpor montes;* senties nullas literas demutatas esse præter *e*, *i*, et *c*, in *a*, *l*, et *o;* et syllaba *por*, semel distracta, vix potuit evitare migrationem in *per.* Neque a recitatione non exoriri quiret hæc aberratio. Glossarium vetus: "*Sulpor* "vivum, ϑειον απυρον." Vulgo nimirum, sine omni probabilitatis specie, sic edi solet:

Obpletei calidis ubi fumant funtibus auctei.
Est et Athenæis in mœnibus, arcis in ipso
750 Vertice, Palladis ad templum Tritonidis almæ,
Quo numquam pennis adpellunt corpora raucæ
Cornices; non, quom fumant altaria donis.
Usque adeo fugitant, non iras Palladis acreis,
Pervigilii caussâ, Graiûm ut cecinere poëtæ;

Qualis apud Cumas locus est, *montemque Vesevum:*

confusis omnibus, et more prorsus temerario, nullâ codicum ratione habitâ, constitutis. Jam vero dies me deficeret, nec vires et chartæ sufficerent, si pergerem morosam enumerationem facere divinationum omnium singillatim, quas fecunda doctorum sagacitas in hunc versiculum copiosissime profudit. Αφισταμαι· κυνος ειην· sunt enim ferme commentitiæ prorsus, futilesque. Bentleius id, quod nos exhibuimus, probabat; nisi quod sic initium versûs rescribendum diceret, " *Ut* " *lacus* est Cumas:" quæ parum videntur necessaria. Deinde subjicit secundo versui: " Quæ postrema ad Cumas et Baia- " num tractum refero, non ad Avernum. " Vide notas Fabri."

Ibid. *locus, acri sulfure montes fumant:* confer sis iv. 122. 123. Virgilius, Æn. ii. 698.

——— late circum *loca sulfure fumant.*

Ver. 748. *auctei:* P. Σ. *auctus;* ut vulgo.

Ver. 749. *Athenæis:* V. ed. B. *athoneis.—mœnibus:* P. B. *montibus;* per gradum corruptelæ *mentibus*, quæ conspicitur in V. ed.

Ver. 750. *Tritonidis:* sic P. Vind. V. ed. O. Q. Ω. vulgo, *Tritonidos.* Parum refert; sed non aliter scripti ad Maronis Æn. ii. 226.

——— sævæque petunt *Tritonidis* arcem.

Ibid. *Vertice Palladis.* Sic non raro sine cæsurâ Homerus; ut Od. l. 246.

Αυτικα δ' ἡμισυ μεν θρεψας———.

Ibid. *Tritonidis almæ:* i. e. quæ *alat*, vel nutriat: propter oleæ pinguissimæ fecunditatem, ut puto; cujus Minerva inventrix erat, et quæ inter veterum hominum *alimenta* magno esset in pretio: notata redeas ad i. 2.

Ver. 751. *pennis:* V. ed. *pemus;* eisdem lineis.

Ibid. *pennis adpellunt:* i. e. ope pennarum; ut Dictys Cretensis, i. 5. " Tum " namque, properatione navigii inconsulte " usi, *ventis* ad Cyprum *appulere.*" Ita sublevandus est locus meliore distinctione, ulterioris castigationis nihil indigus. Conferas Virg. Æn. xi. 272. Adsit etiam Valerii Flacci testimonium, iii. 636.

——— En! Hæmoniâ puer *adpulit alno*
Clarus Hylas———.

Et noster in translatione perstat, a navigationis usu petitâ; quam ingressus est ad ver. 743.

Ver. 752. *fumant altaria.* Virgilius, ecl. i. 44.

Bis senos cui nostra dies *altaria fumant.*

Ibid. Hanc fabulam pluribus verbis persecutus est Antigonus is, qui collegit historias admirabiles: Αμελησαγορας δε, ὁ την Αθηδα συγγεγραφως, ᾳ φησι κορωνην προσιπτασθαι προς την ακροπολιν· ᾳδ' εχοι αν ειπειν ἑωρακως ᾳδεις· κτλ. Hæc Lambinus.

Ver. 753. *Palladis acreis:* V. ed. *Palladi sacris.*

Ibid. *iras Palladis.* Ovidius, amor. ii. 6. 35.

——— armiferæ *cornix invisa Minervæ.*

755 Sed natura loci opus ecficit ipsa suâpte.
In Syriâ quoque fertur item locus esse, videri,
Quadrupedes quoque quo, simul ac vestigia primum
Intulerint, graviter vis cogat concidere ipsa,
Manibus ut si sint divis mactata, repente.
760 Omnia quæ naturali ratione geruntur;
Et, quibus e fiant caussis, adparet origo:

Ver. 754. *Pervigilii:* editi, *Pervigilî;* i. e. "quia pervigilaverit, ut Erichthoni-"um in eâ cistâ inclusum videret." Sic Lambinus interpretatus est; neque equidem in hac rei obscuritate meliorem expositionem discernere valeo. Faber sentit Lucretium alios secutum esse auctores, quam qui ad nos pervenere. Versiculus Ovidii, met. ii. 557. hanc fabulam enarrantis, a Creechio adscriptus, validissime videtur ad interpretationem Lambinianam facere. *Cornix* loquitur:

Abdita fronde levi, densâ *speculabar* ab ulmo
Quid facerent——.

Ver. 755. Vulgo ponunt *hoc* post *loci;* sed abest vocula V. ed. Ald. L. M. O. Δ. Σ. Ω. Nempe, indoctissimi scribæ virtutes hujusce cæsuræ nescivere, quibus Græci sic sæpissime abutuntur. In gratiam tyronum ex Marone singulare exemplum admovebitur, in geo. ii. 86.

Orchades, et *radii*, *et* amarâ pausia bacâ.

Porro, pro *suâpte*, Δ. Σ. *sua vi.*

Ibid. *Sed natura loci.* Cursum constructionis deflectit noster, ut optimi scriptores haud raro. Rectus fuisset: "Cor-"nices fugitant, non iras Palladis, sed "*naturam loci.*"

Ver. 756. *quoque item;* ut *quoque etiam*, ver. 502.

Ibid. *videri:* ὁρασθαι, non δοκειν. BENTLEIUS.

Hoc novimus, vir egregie! Vellem potius, nobis constructionem verborum dignatus esses expedire. Lambinus dicit, ὡστε ιδεσθαι. Et certe aut hic aut nusquam est, quod quærimus. Sed quis elegantior, et Λεκρηπιοφιλος, hoc frigus, hanc scabiem, venustissimo ingenio imputaverit, quæ vel imæ cathedræ poëtam dedecorasset? Rescribendum fidenter aio:

——— fertur item locus *iste* videri——.

Ver. 757. *Quadrupedes quoque:* i. e. *vel* quadrupedes, majores ac fortiores *avibus.* Ammianus Marcellinus, xxiii. 6. "In his pagis hiatus quoque conspicitur "terræ, unde halitus letalis exsurgens, "quodcumque animal proxime steterit, "odore gravi consumit." Ubi videas velim Lindenbrogium.

Ibid. Recte illud *quoque:* antea nam de *avibus* tantum, et *Aornis.* Et illud *simul ac primum* non fuit solicitandum Fabro: vide ver. 821. iv. 212. v. 287. BENTLEIUS.

Ibid. *vestigia Intulerint.* Virgilius phrasin consimilem adhibuit, ad geo. iv. 360.

——— quâ juvenis *gressus inferret*—.

Et ordo est: "Quo *in loco* vis cogat "quadrupedes concidere, simul ac intu-"lerint vestigia—." Nam, si illud *quo* ad alteram clausulam, ut interpres fecit, referas, perit unâ Latinitatis ratio; quum non alia constructio tempori dictionis *cogat* sit accommoda.

Ver. 758. *ipsa:* i. e. jumenta. BENTLEIUS.

Similiter Lambinus: sed omnino pessime uterque; quod vel satis evincitur certissimâ, quam modo dedimus, interpretatione. Nimirum *ipsa vis*, est "solus halitus per "se, nullo hominum interea percutiente."

Ibid. *graviter concidere:* i. e. βαρεως και αθρωως πιπτειν. Omnem phraseos vir-

Janua ne posita hiis Orci regionibus esse
Credatur; post hinc animas Acheruntis in oras
Ducere forte deos Maneis inferne reamur:
765 Naribus alipedes ut cervei sæpe putantur
Ducere de latebris serpentia secla ferarum.
Quod procul a verâ quam sit ratione repulsum,
Percipe: namque ipsâ de re tibi dicere conor.
Principio, hoc dico, quod dixi sæpe quoque ante,
770 In terrâ quoiusque modi rerum esse figuras:

tutem Maronis locus felicissime, si quis alius, exponet, in Æn. v. 447.

——————————— et ultro,
Ipse gravis, *graviter*que, ad terram pondere vasto
Concidit——.

Cæterum, σο *repente* nobis videtur pulchrius redire ad clausulam, de quâ nunc agitur: adeoque distinctiones ponimus. Neque huic suspensæ constructioni non sua venustas inest.

Ver. 759. *Manibus divis.* Recte, nam his *deis subterraneis* ad specus et hiatus tales, mephitim sulfuream exspirantes, sacrificia mactabantur: conferas Virg. Æn. vi. 236—255.

Ver. 761. *e:* O. Δ. *hæc.* Forte, *ex.*—*fiant caussis:* P. Ω. *caussis fiant;* quod immerito placuit editoribus contra libros plures, et summæ fidei.

Ver. 762. *posita hiis*, vel *his*, vel *iis.* Sic videmur haud infeliciter restituisse locum ex ingenio: nam *is* et *his* confundi solent, et statim intelliges, quam probabile sit *postais*, vel *postaiis*, in corruptelas membranarum esse abitura. P. dat *partis;* Vind. V. ed. B. L. Σ. *potis;* M. Q. *poteis;* O. Δ. Ω. *potius.* Vulgo, sed absque codicibus, ad hunc modum versus ordinari solet:

Janua ne *his Orci potius* regionibus esse
Credatur *pôsta*, hinc——:

quamvis odiosissima istius hominis negligentia, qui testimonia codd. Vind. Q. renunciavit, illud *pôsta* miro cum stupore (scio quod dicam) propagaverit. Denique, mirum prorsus est commentum Havercampi: de quo melius silebitur.

Ver. 763. *post:* i. e. ne *primum* credas hic situm esse Orcum; *deinde*, quum error pariat errorem, animas mortuorum hinc exciri: quæ sunt ineptæ superstitiosorum hominum opiniones.—Duos autem versus, qui proxime insequuntur, librarius codicis Ω. prætermiserat, et in orâ exemplaris manus recentior descripsit.

Ver. 764. *maneis*, seu *manis:* V. ed. Ω. *in avis;* Σ. *inanis;* ne uno quidem lineamento literarum discrepante.—*inferne:* P. Vind. V. ed. B. O. Q. Σ. Ω. *inferna;* quibus forsan melius obtemperassem.

Ver. 765. *ut cervei.* De hac fabulâ si consulas Ælian. de animm. ii. 9. Oppian. cyneg. ii. 233. et scriptores, quos editores doctissimi laudaverint, nihil amplius super hac re communicandum desiderabis.

Ver. 768. Codices multum variant; nos dedimus operam seligere, quod vero simillimum videretur ac venustissimum, *tibi:* vulgo, *nunc;* sed illud *tibi* præbent P. V. ed. et Havercampo Alteroque in his lubricis non fidendum. Ita versum exhibent, mancum numeris, V. ed. O.

Percipe; nam nunc ipsa tibi dicere conor:

ita Ω. nisi quod *de re* habeat pro *tibi.* Voces *ipsa tibi* desunt Δ. Ita vero Σ.

Percipe, nam *quæ sit nec ipsam* dicere conor

Multa cibo quæ sunt vitalia; multaque morbos
Incutere et mortem quæ possint adcelerare:
Et magis esse aliis alias animantibus aptas
Res ad vitaï rationem, obstendimus ante,
775 Propter dissimilem naturam, dissimileisque
Texturas inter sese, primasque figuras:
Multa meant inimica per aureis, multa per ipsas
Insinuant nareis, infesta, atque aspera tactu:
Nec sunt multa parum tactu vitanda, neque autem

Hæc cuilibet variis modis tentare liceat; sed conjecturis ludere non vacat nobismetipsis, ad operis longi finem properantibus.

Ver. 770. *In terrâ:* V. ed. O. *Interea.*

Ver. 771. *cibo:* P. V. ed. B. *cibos;* Vind. Q. (si verum egerit collator) Σ. *homini.* Forte, *cibis.—quæ:* L. M. O. Δ. Ω. *æque.* Nimirum dedit noster, currente constructione:

Multa cibo *et* quæ sunt vitalia, multaque—.

Et ordo est, vel *Multa cibo;* i. e. pro cibo: vel *multa quæ sunt cibo:* utrâvis eleganter, sive τo *cibo* referatur ad *multa*, sive ad *sunt.*

Ibid. *morbos Incutere;* quasi cum *plagâ* veniant: unde Græci de hac re vocem πληγην adhibent familiarius. Valerius, Argon. iv. 592.

——— lecto comitum de robore si quem
Perculerit vicina *lues.*

Ver. 772. *et:* O. Δ. *ad:*—prior etiam *possunt;* non male.

Ver. 774. *vitaï:* Vind. V. ed. Σ. Ω. *vitæ;* Q. autem, *vita.*

Ibid. *ante:* ad iv. 637. v. 896. Lambinus.

Ver. 777. *meant:* Vind. Σ. *ineant.—inimica:* V. ed. *immita.—aureis:* V. ed. L. M. O. Δ. Ω. *auras;* odiosissimo consensu.

Ver. 778. *infesta:* Σ. *infecta.—tactu:* Lambinus, scelerum audacissimus, libris omnibus invitis, *odore;* quem patienter secuti sunt post venientes editores. Omnia lectori clarabuntur, consulenti quæ sint annotata nobis, et laudatos locos, ad ii. 408. 434. unde recepta lectio cumulate roborabitur. Non necesse habuit Lucretius, post tot in præcedentibus occurrentia, locutiones suas scrupulosius ponderare, ad politiorum quorundam scriptorum morositatem. Conferas Virg. Æn. vii. 480. Plin. nat. hist. xvii. 37. fin.

Ver. 779. *neque:* Σ. *nec;* ut vulgares editi, contra veteres libros, ac poëtæ consuetudinem.

Ibid. *tactu:* ad sensum nempe maxime proprium atque usitatum nunc vocem noster refert; ut modo generalius adhibuit.

Ver. 780. *tristia:* Vind. Q. *tristitia.*

Ibid. *sapore tristia:* i. e. *amara;* ut sæpius noster et Virgilius. Sic Catullus, xcvi. 14.

Ut mî ex ambrosiâ mutatum jam foret illud
Suaviolum, *tristi tristius helleboro.*

Hinc mihi videor recte Virgilianum versum emendaturus, qui depravatus omnium consensu circumfertur, ad geo. ii. 126.

Media fert *tristes succos, asprum*que *saporem,*
Felicis mali——.

Vulgo scribitur, *tardum;* quod venit ex oculi in præcedentem versum aberratione; et rarius vocabulum inscitis emendatoribus magis fuerit obnoxium. Videas Æn. ii. 379. Modo noster, *aspera tactu:* et omnia Lucretiana Mantuanus ille deliba-

780 Adspectu fugiunda, saporeque tristia quæ sint.
Deinde, videre licet, quam multæ sint homini res
Acriter infesto sensu, spurcæque, gravesque.
Arboribus primum certis gravis umbra tributa;
Usque adeo capitis faciant ut sæpe dolores,
785 Si quis eas subter jacuit, prostratus, in herbis.
Est etiam magnis Heliconis montibus arbos,
Floris odore hominem tetro consueta necare.

bat. Vide nos ad i. 11. de contractione *asprum*, et cognatis. Cæterum, pulchre Eumenius in paneg. Const. Aug. xxii. 2. "Miraberis profecto illam quoque numi-" nis tui sedem; et calentes aquas sine " ullo soli ardentis indicio, quarum nulla " est *tristitia saporis*, aut halitûs—."

Ver. 781. Elegantius, et nullus equidem dubito quin vere, scribitur hoc distichon apud Nonium, iv. 425. nam exquisitior hæc ratio facile librarios impulerit ad novandos versus:

Deinde, videre licet, quam *multæ homini* res
Acriter *infestant* sensum, spurcæque, gravesque.

Ad morem Græcorum scilicet eâ in cæsurâ; ut, exempli gratiâ, Homerus, Od. A. 69.

Κυκλωπες κεχολωται, ὀν ΟΦΘΑΛΜΟΥ ΑΛΑΩΣΕ.

Sic ante literam aspiratam idem, Il. A. 85.

Θαρσησας μαλα, ειτε ΘΕΟΠΡΟΠΙΟΝ Ο τι εισθα:

ut ille et alii sæpissime. Nec Latini minus, sed in propriis tamen nominibus potissimum; quibus major est indulgentia licentiæ: vide Virg. ecl. ii. 24. Stat. Theb. vi. 563. ix. 305. ut ex plurimis pauca indicentur. Oppianum autem in transitu castigemus, cyneg. ii. 88.

Ηπια δε φρονευσι, και ΗΘΑΛΕΑ μειρετισσι.

Libri dant, ηθαλεοι· duriter. Vide quam brevem syllabam producat hæc cæsura in Virg. geo. ii. 5.

Ver. 782. *infesto:* Δ. *infestæ;* ut scribi voluit Lambinus.

Ver. 783. *certis:* Δ. *terris.*—P. *tributa est.*

Ibid. *Arboribus gravis umbra.* Ita cum elegantissimâ παλιλογιᾳ Virgilius, ecl. x. 75.

——— solet esse *gravis cantantibus umbra,*
Juniperi *gravis umbra.*

Ita egomet etiam rescribendum putem. Valde friget, neque loci sensum satis implet, recepta lectio *cantantibus;* scribis interea exquisitâ voce longe acceptior futura.

Ver. 785. *eas:* Vind. V. ed. Σ. Ω. *ea;* extrito *s* ob sequentem vocem: O. *eam.*

Ver. 786. *in* post *etiam* hodierni intrudunt editores, quam indocte et inscite, contra libros veteres. Huic temeritati tamen negligentia Vindobonensis collatoris suffragatur.—Mox V. ed. *retro*, pro *tetro.*

Ver. 788. *ideo terris:* sic P. atque id voluerunt haud dubie cæterorum exemplarium corruptelæ; Vind. V. ed. B. L. M. Q. Ω. *in deotris;* O. Σ. *inde otris;* Δ. *inde*, hiatu relicto. Sic mecum rem concipias. Postquam *o* hæserat τῳ *t'ris*, sive *terris*, ex *ide* statim fieret *īde:* ut satis manifestum.—*ex omnia:* Σ. *ex somnia.*

Ver. 789. *multis:* abest V. ed. In caussâ fuerunt similia in vicino, *Multa multarum.* De his autem elegantiorum ingeniorum formulis nonnulla dedimus ad i. 815.

Ver. 790. *tradit;* Δ. *cadit.* Scilicet *t*, ut passim, in *c* abierat; et ex *cradit* factum est *cadit.*

Ibid. *gerit.* Forte, *genit.* BENTLEIUS. Prorsus infeliciter: vide sis verr. 538.

Scilicet hæc ideo terris ex omnia surgunt,
Multa modis multis multarum semina rerum
790 Quod permixta gerit tellus, discretaque tradit.
Nocturnumque recens exstinctum lumen, ubi acris
Nidor subfundit nareis, tum cogit ibeidem
Concidere; ut pronos qui morbus mittere suevit.
Castoreoque gravi mulier sopita recumbit,
795 Et manibus nitidum teneris opus ecfluit ei,

847. hujusce libri, i. 718. et ibidem notas, ne in re pervagatâ longius moremur.

Ibid. *discreta:* i. e. separata; ita ut noxia semina aliquoties non mixta, et sine salubribus, conveniant.

Ver. 791. *acri.* De V. ed. nihil certi habeo ad hunc locum, quod affirmem; nam exemplari meo desunt duæ plagulæ, continentes quæ inter ver. 790. et ver. 953. jacent: sed alii libri præter Δ. habent *acris;* unde dixerim poëtam nostrum sic scripsisse:

Nocturnumque recens exstinctum lumen, ubi *acris*
Nidor subfundit nareis——.

Certa videtur hæc emendatio; est enim Lucretiani sermonis indoli summopere conveniens, de *fumo*, ut *fluido* quodam, passim loquentis: adeas ver. 952. iv. 679. 699. ut de pluribus locis sileam. Atque ad hunc modum sane, repetitâ cogitatione perpensis omnibus, atque eâ judicii mediocritate, et sagacitatis, quâ pollemus, constitutis, necesse habuimus, plurium conjecturarum ope, locum integrum concinnare; qui vulgatis editionibus sic solet exhiberi:

Nocturnumque recens exstinctum lumen, ubi *acri*
Nidore offendit nareis, *consopit* ibidem;
Dejicere ut pronos qui morbus *sæpe* suëvit.

Hæc autem nostris committantur; et candida judicia non formidabimus. Interea, me plausorem habebit, qui feliciore cum acumine depravatissimos versus eleganter emendatos dederit.

Ver. 792. *tum cogit:* vulgo, *consopit;* optimi vero et antiquissimi codices, L. M. *tum sopit:* sed illud *sopit* inferri poterat scribis, male concipientibus sensum loci, et versu abhinc secundo pariter impulsis. Saltem *t* et *c*, *s* et *c*, non raro commutantur; neque probabile est similem confusionem haud aliquoties accidisse literis *g* atque *p*, formis grandioribus.

Ver. 793. *Concidere:* sic omnes ad unum libri veteres.—*ut:* ita Δ. at reliqui, *et.*—*pronos:* P. B. *primos;* Vind. Δ. *pinnos;* L. M. Q. Ω. *pumos:* cum eisdem elementorum ductibus: O. *fumos;* Σ. *pennos.*—*morbus:* P. *morbos;* cæteri, *morbo.*—*mittere:* sic omnes libri. Fortasse:

—— *et fumus quasi morbom* mittere suevit.

Quod, nisi videretur *apoplexiæ* comparationem instituere Lucretius, nec morbus comitialis vehementiores motus, quam qui loco conveniant, (videas iii. 484—494. et diligenter cum coram positis committas) excitaret, omnino probavissem divinationem Lambini:

—— ut *spumas* qui *morbo* mittere suevit.

Hinc enim a vestigiis membranarum minus recederetur. Sed præstiterit supersedere pluribus, et insanis potissimum nonnullorum tentaminibus; ut res ad arbitrium nasuti candidique lectoris integrior deferatur.

Ibid. *pronos mittere.* Similiter Catullus, xvii. 23.

Nunc eum volo de tuo ponte *mittere pronum.*

Ver. 794. *sopita:* i. e. caligans et sopo-

Tempore eo si odorata est, quo menstrua solvit.
Multaque præterea languentia membra per artus
Solvunt, atque animam labefactant sedibus intus.
Denique, si calidis etiam contere lavabris
800 Plenior, et fueris solio ferventis aquaï;
Quam facile in medio fit utei des sæpe ruinas?
Carbonumque gravis vis, atque odor, insinuatur

rata in animi deliquio. Julius Solinus, cap. xii.—" quâ *odoris* novitate *obsopi-* " *tus*, aliquantisper pro *exanimi* jactitatus " est—." Sic alii. Hinc autem satis constat, phrases istas *sopitus quiete*, *somno*, ac similes, (vide sis iii. 432. 1051.) haud esse inaniter redundantes. Et huc refer Porphyrium, de abst. iii. 7. Και ἡ κυωσα ἵππος, επειδαν οσφρησηται λυχνω απεσβεσμενω, αμβλισκει, ὡς ανθρωπος.

Ver. 795. *ei:* sic P. O. Δ. Σ. Ω. vulgo, *eii;* sed, ut opinor, absque vetustis exemplaribus.

Ibid. *manibus teneris;* χερσιν ἁπαλαις, Homerus, Od. Φ. 150. et *nitidum opus* apud eundem audit ἱστον μαρμαρεον et αγλαον, Il. X. 441. Od. B. 109. Virgilius, Æn. xi. 578.

Tela *manu* jam tum *tenerâ* puerilia torsit.

Sed enim ornatissimus ejusdem poëtæ locus, ibid. ix. 475. huic Lucretiano non nihil debet:

——— subitus miseræ calor ossa reliquit:
Excussi manibus radii, revolutaque pensa:

nobili quamvis duumviro Latinorum Homerea fax præluxerit, ex Il. X. 447.

Κωκυτω δ' ηκωσι, και οιμωγης, απο πυργω·
Της δ' ελελιχθη γυια, χαμαι δε οἱ εκπεσε κερκις.

Fortassis autem *teneris manibus* rectius interpretemur per ὑγραις, flexilibus, mollibus, languidis; de quâ re nosmet consulendi ad Silv. Crit. iii. p. 137. et superius, ii. 596. Hinc recte capias Euripidem, Phœn. 1448. ubi magnus Valckenaërus, et alii, versati sunt quam infelicissime:

——— Ετοκλης αναξ
Ηκωσι μητρος· κἀπιθεις 'ΥΓΡΑΝ ΧΕΡΑ,
Φωνην μεν ουκ αφηκεν———.

i. e. manum morte *laxatam*, languidamque.

Ver. 796. *odorata:* P. *odora;* Ω. *odoratata.*

Ibid. *si odorata est.* Rationem metri clarius perspicies, rescribendo ad antiquissimam normam, *sei:* senties enim, alterâ vocali elisâ, alteram relinqui. Similiter in Græcis hoc genus vocabulis.

Ver. 797. *languentia membra per artus:* " ita scilicet, ut iste languor in omnia " *membra* diffundatur, per omnes *junctu-* " *ras* penitus propagatus." Quid distent inter se *membra* et *artus*, alibi nos exposuimus.

Ver. 798. *atque:* P. *utque;* et Σ. *labefaciunt.*

Ibid. *Solvunt atque labefactant.* Arnobius, lib. ii. p. 81. " Quid est enim, quod " humana ingenia *labefactare*, *dissolvere*, " studio contradictionis non audeant—?"

Ver. 799. *si:* hodierni editores ex arbitrio, *si in;* pro solitâ temeritate.—*contere*, vel *cunctere*, *lavabris:* P. V. ed. O. Σ. *cum te relavaris;* Vind. *cunctæ relavaris;* Q. *cunctere lavaris;* Δ. *cunctere lavacris;* Ω. *contere lavari.*—Profecto, quantum sciam, vox *lavabrum* alibi non exstat, sed speciem primitivæ dictionis præ se fert; unde, Æolico digamma extrito, factum est *laabrum*, et *labrum.* Saltem sincerissimæ membranæ L. M. audiendæ sunt, et hoc genus vocabula rariora passim scribis indoctis corrumpi solent.

Ver. 800. *et fueris:* Ω. *effluveris;* reli-

Quam facile in cerebrum, nisi aquam præcepimus ante?
At, quom membra domûs percepit fervida, nervis
805 Tum fit odor vini plagæ mactabilis instar.
Nonne vides etiam terrâ quoque sulfur in ipsâ
Gignier, et tetro concrescere odore bitumen?
Denique, ubi argenti venas aurique sequuntur,
Terraï penitus scrutantes abdita ferro;

qui omnes, *effluerís;* i. e. *ecflueris*, quod non ægre fieret ab *et fueris.* In orâ codicis Δ. comparet *et fluites.* Vix dubium est scilicet, quin antiquissimum præteritum verbi *fluo* fuerit *flui*, non *fluxi;* unde constitui possit locus, cum nullâ pene scriptarum lectionum mutatione, et expeditissimâ constructione:

Denique, si, calidis etiam *quom te relevabis*
Plenior, *ecflueris* solio ferventis aquaï——:

i. e. " ita perfunderis aquis, ut a mem-" bris passim effluant." Et doctum est *τὸ calidis:* satius est tamen receptis stari, nisi quod illud *flueris* forsitan sit sincerum.—Cæterum, Q. *aqua*, pro *aquaï.*

Ibid. *Plenior solio ferventis aquaï.* Dignus est, qui adscribatur, Juvenalis, i. 142. ad quem locum docti consulendi sunt:

Pœna tamen præsens, quum tu deponis amictus
Turgidus, et crudum pavonem in balnea portas:
Hinc subitæ mortes, atque intestata senectus.

Ver. 802. *odor:* Vind. *ordor;* Ω. *ardor;* unde est erroris progressum conspicere.

Ibid. *gravis vis atque odor:* hendyades est pro *gravis vis odoris.* Velleius Paterculus, ii. 22. 4. " Q. Catulus—conclu-" sit se loco, nuper calce harenâque per-" polito, inlatoque igni, qui *vim odoris* " excitaret, simul exitiali hausto spiritu, " simul incluso suo, mortem—obiit." Ad quem locum Ruhnkenius, ut solet, doctissime versatus est; sed nullo cum judicio vocem *perpolito* arguit: nam satis liquet, quo *penitius* politum esset conclave, i. e. quo plenius calce imbutum, eo graviores halitus exspirari. Orpheus de lapidd. 472.

Αλλ' ολοον ποτι ῥινας αγει ΜΕΝΟΣ.

Et committas nostram Silv. Crit. ii. p. 112. im.

Ver. 803. *cerebrum:* Vind. Q. *celebrum.*—*aquam:* Vind. Q. Σ. *aqua.*—*præcepimus:* Δ. *percepimus.* Eadem varietas est in opportuno hemistichio Virgilii, ecl. iii. 98.

——————— si lac *præceperit æstas:*

i. e. prius biberit et exhauserit.

Ver. 804. *domûs:* ita Pii prisca lectio, et Σ. quam scripturam Gronovius, obss. iii. 5. ita vindicat, exponitque: " Agit " de halitibus et odoribus cerebrum affi-" cientibus; et inter eos refert ferventis " in apothecâ plenâ musti vim, quam no-" tum est ab homine sustineri non posse, " sed, velut apoplexiâ ictos, concidere et " pro mortuis exportari, qui nescii intra-" verint, aut diutius ibi manserint. Phra-" sis *membra domûs* significat, non illam " tantum cellam, in quâ fervit mustum, " impleri gravissimo spiritu, sed et vici-" nas ædium partes, in quas penetrare " potest. Et est veteris elegantiæ. Cice-" ro ad Quintum fratrem, (iii. 1.)—nec " habere poterat adjuncta *cubicula*, et " ejusmodi *membra.* Plinius, epist. ii. 17. " *dormitorium membrum.*" Hæc hactenus vir doctissimus et acutissimus. P. *minus;* Vind. L. M. *domnus;* V. ed. Δ. *dominus;* O. Ω. *domis*, vel *donus;* Δ. *domans*, in orâ codicis. De locutione vero memoratâ *membra domûs*, videas editores ad laudatos locos Ciceronis et Plinii, Apuleium, met. iii. sub fin. Fabro in thesaur. citatum, et ibid. Pricæum.—*percepit:* P. V. ed. B. *perterit;* omnino male: adi Seren.

810 Qualeis exspiret scaptensula subter odores?
Quidve mali fit, ut exhalent aurata metalla?
Quas hominum reddunt facies, qualeisque colores?
Nonne vides, audisve, perire in tempore parvo
Quam solcant; et quam vitaï copia desit,
815 Quos opere in tali cohibet vis magna, necesse est?
Hos igitur tellus omneis exæstuat æstus;
Exspiratque foras in aperta, promptaque, cœli.
Sic et Averna loca alitibus submittere debent
Mortiferam vim, de terrâ quæ surgit in auras,
820 Ut spatium cœli quadam de parte venenet;
Quo simul ac primum pennis delata sit ales,

Samon. 120. Plaut. Stich. ii. 2. 17. et nostrum alibi. Tritum est.—*nervis.* Hoc de meis est divinationibus: Gronovius, *mustum;* parum probabiliter: Havercampus, *ferme;* P. *servus;* Vind. V. ed. B. O. Δ. Σ. Ω. *servis;* L. M. Q. *fervis.* Adi nostrum, ii. 904. iii. 574. Ovid. amor. iii. 7. 35. *Nervis* autem resolutis, membra per artus languent, et corpus concidit. Ægre desideraveris, vel si sis morosior, commodius vocabulum, et vestigiis codicum proximius.

Ver. 805. *Tum fit:* Vind. *Dum facit;* O. Σ. *Tum facit.—vini:* Vind. O. Σ. *vim.—mactabilis:* P. *manabilis;* O. *mutabilis;* Ω. *mattabilis.*—Mox Δ. *ipso,* pro *ipsâ.*

Ver. 808. *argenti:* Vind. Q. Σ. *argento.* Et, in sequente versu, duo priores, *Terra.*

Ver. 810. *exspiret:* sic P. Vind. B. (adeoque, ut auguror, V. ed.) O. Q. Ω. vulgo, *exspirat.—scaptensula:* O. Ω. *scatens via;* Δ. *scatensilla;* Σ. *scatensula.* Vide Festum in voce, qui Lucretii versum laudat.

Ver. 811. Ita mentem loci capimus et exponimus: "Quidnam id est malum, "unde aurata metalla tales halitus emit-"tant?" Quasi diceret: "Res ipsa, et "sensuum testimonia, liquidissime osten-"dunt, quæcumque demum sit caussa, "pestiferas exhalationes exspirari terrâ."

Ver. 812. *hominum:* Δ. *homini;* quod minime displicet. In finalibus syllabis *i* et *u* sæpissime commutata sunt; et plurima exempla hujusce confusionis in varietatibus præcedentibus occurrerunt.

Ver. 813. *audisve:* Vind. Q. Σ. *audire.*

Ver. 814. *solcant et quam:* Δ. *sole antequam.—et:* P. *ac;* et eodem spectat τὸ *ae* V. ed.—abest vocula O.—*vitaï:* Vind. Q. *vita.—desit:* P. V. ed. *defit.*

Ver. 816. *Hos:* Σ. *Nos.—exæstuat:* sic P. Vind. V. ed. O. Q. Δ. Σ. vulgo, *exæstuet:* Ω. *æstuat.* Locus autem sic solet constitui contra universos, ut arbitror, libros veteres:

——— cohibet vis magna? necesse est
Hos igitur tellus omneis *exæstuet* æstus;
*Exspiret*que foras——:

minus, ni fallar, eleganter; has saltem venustates vere ac salubriter æstimanti.

Ver. 817. *aperta:* O. *apertaque.* Verebatur scilicet librarius, ut literæ *pr* satis suffulcirent syllabam. Et in hoc etiam pede versûs sibi Græci indulgebant: vide Hom. Od. H. 122.

Ver. 818. *alitibus submittere:* Vind Δ. *malit bussum mittere;* Q. *malit bus summittere;* Σ. *malint sursum mittere.—debent:* Σ. *pestem;* et in orâ codicis, *odorem:* vox abest Vind. Q. Δ.

Ibid. *submittere:* i. e. *de-sub,* vel *ab*

Inpediatur ibei, cæco conrepta veneno,
Ut cadat e regione loci, quâ dirigit æstus:
Quo quom conruit hæc eadem vis illius æstûs,
825 Reliquias vitæ membris ex omnibus aufert.
Quippe et enim, primo quasi quemdam conciet æstum;
Posterius fit, utei, quom jam cecidere veneni
In funteis ipsos, ibi sit quoque vita vomunda,
Propterea quod magna mali sit copia circum.
830 Fit quoque, ut interdum vis hæc atque æstus Averni
Aëra, qui inter aveis quomque est terramque locatus,
Discutiat, prope utei locus hinc linquatur inanis:
Quoius ubi e regione loci venere volantes,

infra, *mittere;* uti sæpe dedimus operam declarare vim verborum, quæ cunctos latuit: videas modo ad i. 8. Ovidius, fast. iii. 854.

Seminibus tostis sceleratæ fraude novercæ,
Sustulerat nullas, ut solet, *herba comas.*

Ver. 820. *venenet:* P. Vind. V. ed. B. L. O. Δ. Ω. *veneni;* Σ. *veneni est.* Tot codicum auctoritas dubitationem movet; sed nequeo discernere, quo modo locus aliter constitui possit, aut quâ parte sinceritas lectionis cesset.

Ver. 822. *conrepta:* V. ed. *corrupta;* perperam.

Ver. 823. *dirigit.* Hanc vocem Bentleius etiam post Fabrum suspectam habuit: prorsus inconsulte, quum verbis sic absolute positis summopere gaudeat Lucretius. Alii non aliter; in quibus Hirtius, bell. Hisp. cap. xxix. "Hinc *diri-* "*gens*, proxima planities æquabatur." Cicero, de divin. i. 14. "Ea fallit fortasse "nonnumquam; sed tamen ad veritatem "sæpissime *dirigit.*" Ast in primis consulas Salmasium, ad F. Vopisci Prob. imp. sect. 19. p. 677.

Ver. 824. *hæc:* Δ. Σ. *hic.* Sane *heic.* ut Lucretianum magis, valde placeret.—*illius:* Ω. *ulius.* Et ὁμοιοτέλευτον illud *æstus* extrivit versum ex V. ed. O.

Ver. 825. *vitæ:* Vind. V. ed. *vita;* Q. *vitam;* errore errorem, quod solet, pariente.

Ver. 826. *primo:* Σ. *primum;* i. e. *primom*, *primō*, *primo.*—*conciet:* Δ. *continet;* quæ varietas originem habuit in permutatis de solito *c* ac *t.*

Ver. 827. *quom*, vel *cum:* Δ. *tum.*—*veneni:* P. *venena;* mendosissime.

Ver. 828. *funteis:* Ω. *frontis.*—*ipsos ibi:* Δ. *ipsos sibi;* Σ. *ipso sibi;* qui prior peccati gradus est.

Ibid. *vita vomunda:* ob *spiritum* scilicet ore *ejectatum.* Virgilius, Æn. ix. 349.

Purpuream *vomit* ille *animam*——.

Ver. 829. *sit:* P. Vind. V. ed. Q. Ω. *fit.*

Ver. 830. *vis hæc atque æstus.* Hendyades est pro *vis hujusce æstûs*, vel calidi vaporis: confer sis ver. 824. superius.

Ver. 831. *que* deest O.—*locatus:* Vind. *locatur.* Et mox Vind. Q. *linquitur.*

Ver. 833. *e:* V. ed. *est;* unde fors legendum *ex:* quamvis *e* facile migret in *ē*, vel *est.*

Ver. 834. *pennarum:* P. Vind. B. O. Δ. Ω. *pinnarum.*—*nixus:* libri, *nisus;* de quo nos alibi.—*inanis:* Ω. *in anis.*

Ibid. *pennarum nixus.* Hinc sua forsan hauserit Virgilius, ad Æn. iv. 252.

Claudicat ex templo pennarum nixus inanis,
835 Et conamen utrimque alarum proditur omne.
Heic, ubi nictari nequeunt, insistereque alis,
Scilicet in terram delabi pondere cogit
Natura; et, vacuum prope jam per inane jacentes,
Dispargunt animas per caulas corporis omneis.
840 Frigidior porro in puteis æstate fit humor,
Rarescit quia terra calore, et semina si qua
Forte vaporis habet, propere dimittit in auras:
Quo magis est igitur tellus ecfeta calore,

——— paribus *nitens* Cyllenius *alis*.

Quemadmodum et Horatius, od. iv. 2. 3.

——— ceratis ope Dædaleâ,
Nititur pennis———.

Ubi commentator Cruquianus exponit per *innititur*, *sustentatur;* crassius: imo, "*co*-"*natur* se promovere."

Ver. 835. *proditur:* P. *perditur;* multo minus eleganter, et errore perquam scribis obvio.

Ver. 836. *nictari:* vulgo, *nixari;* per frigidissimam ταυτολογιαν, quæ mirificam sermonis paupertatem, Lucretio minime dignam, sapit; atque etiam longissime lectionis infra nostræ venustatem, Festo in voce conservatæ, versiculum coram positum laudanti, et exponenti: "*Nictare* "et oculorum et *aliorum membrorum* ni-"su sæpe aliquid conari." Quibus non potuisset doctiora dare, et veriora: vide nos superius de hac ipsâ dictione ampliantes, ad ver. 181. Bentleianâ Catulli emendatione quid certius, aut sagacissimo viro dignius? carm. lxvi. 53.

——— inpellens *nictantibus* aëra *pennis*—.

Libri, *nutantibus*. Vocibus exquisitis hoc genus infensissima est librariorum natio. Miror tamen summum criticum, committentem vocabula *nisus* et *nitens*, nihil omnino ad ejus propositum facientia. V. ed. B. *rixari;* volentes haud dubie tamen *nixari*.

Ver. 837. *terram:* P. V. ed. *terris;* unde forte an, *terras*.

Ver. 838. *vacuum prope:* i. e. "tantum "non vacuum aëre;" ut modo supra, ver. 832.—*jacentes:* malim, *cadentes;* nam hæ voces confundi solent: vide var. lectt. ad Ovid. met. xii. 20. Alibi tamen monuimus, omnia vocabula, posituras diversas corporum indicantia, pro verbo substantivo sæpiuscule tantummodo poni: unde *jacentes* hic valebit, "qui sunt lan-"guidi, et omnium virium expertes." Libri nihil variant.

Ver. 839. *Dispargunt animas.* Exquisitissimam locutionem diligenter animadvertebat Maro, ad Æn. xi. 617.

——— Excussus Aconteus—
Præcipitat longe, et *vitam dispargit* in auras.

Ver. 840. *Frigidior:* Vind. Q. *Cur frigidior, Frigidior quare;* commixtis titulo versuque.—*fit:* Vind. Δ. *sit;* et in hoc codice versus integer sic comparet:

Quare frigidior puteis æstate *sit* humor.

Non prorsus male, si notam interrogandi ponas; sed indole phraseos minus Lucretianâ; nisi singulare exemplum excipias infra, ver. 861.—Cæterum, vera hujusce effectûs caussa pendet, ut notum est, ex diversâ tantummodo externi aëris temperie. Servius insuper respicit hunc locum Lucretii ad Virg. geo. iv. 51.

Ver. 841. *Rarescit:* P. B. M. Δ. Σ. Ω.

Fit quoque frigidior, qui in terrâ est abditus, humor.
845 Frigore quom premitur porro omnis terra, coitque,
Et quasi concrescit; fit scilicet in coëundo,
Exprimat in puteos, si quem gerit ipsa, calorem.
Esse apud Hammonis fanum funs luce diurnâ
Frigidus, et calidus nocturno tempore, fertur.
850 Hunc homines funtem nimis admirantur, et acri
Sole putant subter terras fervescere partim,
Nox ubi terribili terram caligine texit:
Quod nimis a verâ est longe ratione remotum.

Arescit; O. *rescit.* Mox idem codex habet *demittit.*

Ver. 843. *ecfeta,* vel *effeta:* i. e. quasi defessa et confracta, calore solis exhausta. Sic nimirum diserte scriptum est, atque temeritatis minime condonandæ fuerit ex arbitrio demutare, in exemplaribus castissimis ac vetustissimis P. Vind. V. ed. L. M. Δ. Σ. vulgo, *affecta;* ut O. sed B. Q. Ω. *effecta;* proclivi valde peccato.—*calore:* P. *vapore.* Porro, Bentleius conjecit, *defecta;* me non probante: redeas ii. 1149.

Ver. 844. *Fit quoque:* editores, audacissimi bipedum, *Hoc fit;* contra libros universos.

Ver. 846. *in:* sic omnes scripti, et impressi veteres. Eadem gens inscitissima, et plena impudentiæ, deturpavit versiculum rescribendo *ut*, ex arbitrio, contra morem Lucretii, et exquisitissimam dicendi formam: vide ver. 405. et indicem nostrum criticum de omissâ voculâ *ut;* nam pervulgatis immorari pudet pigetque. —*coëundo:* Vind. Q. *quoeundo;* ut mox, ver. 858. *perquoquere.*

Ver. 847. *gerit:* i. e. φερει, εχει, *habet;* ut alibi sæpe. Redi ver. 790.

Ver. 848. *Esse:* sic L. M. reliqui, *Est;* quod non deterius: sed, quæ dedi, probat Bentleius.—*Hammonis:* sic P. O. Δ. Ω. et plures forsan, si collatores rem retulissent: vulgo, *Ammonis.*

Ibid. *apud Hammonis fanum funs:* de quo docti omnia congesserunt ad Quint. Curt. iv. 7. 2. Pomp. Mel. i. 8. init. et Ovidium, met. xv. 309. sic suaviter canentem:

——————— medio tua, corniger Hammon!
Unda die gelida est; ortuque, obituque, calescit.

De eodem Silius eleganter, Pun. iii. 669.

Stat fano vicina, novum et memorabile, lympha,
Quæ nascente die, quæ deficiente, tepescit;
Quæque riget, *medium* cum sol *adscendit* Olympum.

Ita versus postremus est scribendus.

Ver. 849. *Frigidus:* Ω. *Frigus.*—*et:* vulgo, *at;* contra libros: quæ vox tamen bene exprimeret το *rursus* Solini, cap. xxix. hanc rem tractantis; sed pessimi est exempli facinus sine caussâ membranis consentientibus adversari.

Ver. 851. *partim:* i. e. εκ μερους, vel εν μερει· vicissim: *noctu* scilicet; quia reliqua omnia e contrario *interdiu* fervescant. Vulgo, *raptim;* et sic Δ. sed renuentibus, ut videtur, vetustis universis exemplaribus.

Ver. 852. *terram:* sic Vind. O. Q. Δ. Σ. cum jucundâ varietate: vulgo, *terras.*

Ibid. *terribili caligine,* σπυγερῳ σκοτει· Hom. Il. E. 47. Conferas iv. 462.

Ver. 854. *nudum:* Σ. *nitidum;* haud invenuste: vide ad iv. 212.—*contractans:* vulgo, *contrectans;* vetustis libris renuen-

Quippe, ubi sol, nudum contractans corpus aquaï,
855 Non quierit calidum superâ de reddere parte,
Quom superum lumen tanto fervore fruatur:
Quî queat hic, subter tam crasso corpore terram,
Percoquere humorem, et calido sociare vapore?
Præsertim, quom vix possit per sæpta domorum
860 Insinuare suum radiis ardentibus æstum?
Quæ ratio est igitur? Nimirum, terra magis quod
Rara tenet circum fintem, quam cætera tellus;

tibus.—Cæterum, Heinsius de Modii codice, ut putabat, Advers. i. 10. p. 404. malebat *udum*, pro *nudum;* sed perperam, et translationi sermonis elegantissimæ minus convenienter. Quinimo membranarum, earundemque longe sincerissimarum, turba saltem audienda est.

Ibid. *sol contractans:* i. e. tangens undique, et quasi *palpans* igni; adeas quæ dedimus ad Silv. Crit. iv. p. 227. et in notis ad Soph. Trachin. 685. huc egregie facientia. Hyginus, fab. xxxvi. elegantem tragici locutionem fideliter exprimens: " Inde paullulum, quod in terram " deciderat, ut id *sol adtigit*, ardere cœ- " pit." Cum his insuper contendas, quæ non parcâ manu contulimus in notis ad iv. 409. loco Nemesii luculenter illustrata, de nat. hom. cap. vi. init. huc admovendo: Ἱππαρχος δε φησιν, ακτινας, απο των οφθαλμων αποτεινομενας, τοις περασιν ἑαυτων, καθα περ χειρων επαφαις, ΚΑΘΑΠΤΟΥΣΑΣ τοις εκτος σωμασι, την αντιληψιν αυτων προς το ὁρατικον αναδιδοναι. Ita scribendum et distinguendum: vulgo, καθαπτουσαις. Atque regimen tertii casûs in verbo καθαπτομαι sedulo notandum, et error etiam Pauwii Heyniique de hac re ad Pind. Isth. iv. 20.

Ver. 855. *quierit superâ:* Ω. *querit supere.*

Ver. 856. *Quom superum lumen:* Δ. *Lumine cum superum.—lumen tanto:* O. *tanto lumen.—fervore:* Vind. *fenore;* Q. *fevore:* ob virgulam scilicet supra positam, quâ litera *r* sæpius solet designari.

Ver. 857. *Quî queat hic subter:* P. *Qui queat hunc subter;* forte, *hanc:* Vind. Σ. *Quique adit super;* V. ed. Δ. *Quique adhuc super;* O. Q. *Qui queat hic super;* Ω. *Qui queat hic supra.—terram:* B. *terra.*

Ver. 858. *Percoquere humorem:* Vind. *Perquo ceremuorem;* Q. *Perquoquere umorem;* Σ. *Per quē ter'a humorem;* vocabulo ex margine se inferente: Ω. *Perquo quere humorem.—calido sociare:* Vind. Q. *calidoso clare;* O. *calido saciare*, pro *satiare;* quod Pio Bentleioque miror placuisse, cum sit longe infra receptæ lectionis elegantiam; V. ed. B. *calido sol dare;* Δ. *calido sedare;* Σ. *calidos efflare.* Si quid mutandum sit, eleganter reposuerim ad sinceram antiquæ dictionis indolem:

——————— et calido *solare* vapore:

i. e. vim propriam impertiri. Similem formulam supra videas ad ver. 816. Plinius, nat. hist. xxix. 38. " Sic et *solatis*, " id est, sole corruptis, prosunt." At apposite in primis Columella, iv. 27.— " uvæ commodius *insolatæ percoquun-* " *tur*—." Glossarium vetustum: " *So-* " *lati*, ἡλιαζομενοι."—*vapore:* sic Vind. O. Q. Δ. Ω. vulgo, *vapori;* V. ed. B. *vaporem:* i. e. *vaporē:* unde tamen sic haud male reposueris:

——————— et *calidō* sociare *vaporē:*

i. e. *calidom vaporem.* Lector judicet.

Ver. 862. *Rara tenet:* P. B. Ω. *Par-*

Multaque sunt ignis prope semina corpus aquaï.
Hoc, ubi roriferis terram nox obruit umbris,
865 Ex templo subtus frigescit terra, coitque:
Hac ratione fit, ut, tamquam conpressa manu sit,
Exprimat in funtem, quæ semina quomque habet ignis;
Quæ calidum faciunt laticis tactum, atque vaporem.
Inde, ubi sol radiis terram dimovit obortis,
870 Et rarefecit, calido miscente vapore;
Rursus in antiquas redeunt primordia sedes

va tenet; L. *Para tenet;* M. *Partene;* O. Δ. Σ. *Pura tenet.*—Locus non est acumini ostentando per lusorias conjecturas: stat contra loci ratio, et commutatio valde proclivis literarum majuscularum *P* et *R;* de quâ consulendus est Drakenborchius, ad Liv. xxiii. 1. 6.—*circum:* P. V. ed. B. *certum.*—*cætera:* Ω. *extera.*—Et vulgo ponunt *hunc* post *circum*, contra scriptos: negligenter tamen Vind. collator retinuit.

Ver. 864. *Hoc:* i. e. *hoc modo*, vel *ob hoc;* uti nusquam non Lucretius: editores audaculi tamen non erubuere de suo rescribere, ut alibi, *Hinc.*—*ubi:* V. ed. B. *tibi;* unde eleganter concinnare versum poteras ad hunc modum:

Hoc *tibi*, roriferis *ubi nox terram* obruit umbris,
Ex templo subtus frigescit terra——:

sed vulgatis tamen omnino standum puto. —*umbris:* P. B. O. Σ. Ω. *undis;* Δ. *undas.*

Ibid. *roriferis terram nox obruit umbris.* Paullo aliter Virgilius, Æn. iv. 351.

——— quotiens *humentibus umbris*
Nox operit terras——.

Ver. 865. *subtus:* Vind. V. ed. Q. O. Δ. Ω. *sonitus;* Σ. *fons intus:* quibus variationibus rarior forma *subtus* occasionem peperit.

Ibid. *subtus.* Quid si, *supera?* nam superficies terræ frigescit. An subter umbras? Bentleius.

Mera λεπτολογια et argutatio. Sensu poëtæ nihil apertius desiderari debet. In sequente, Ω. *frontem*, pro *fontem.*

Ver. 868. *laticis:* Beda apud Putschium, p. 2375. *aquæ;* quasi prior syllaba porrigi queat. Si vera sit hæc scriptura, malim τρισυλλαβῶς accipere, *aqiiæ;* sed omnino glossatori reddendam esse existimo.—*vaporem:* i. e. " non tantummodo " calidum *tangenti*, sed *re verâ* calidum." Sic solet loqui Lucretius: editores ex arbitrio inferserunt *saporem*, et contra libros veteres universos, et auctoritatem Bedæ, l. c.

Ver. 869. *obortis:* V. ed. B. Δ. *abortis:* O. *abortus;* Σ. Ω. *obortus;* forsan vere: hinc enim omnia quadrarent ad amussim his Virgilianis, in Æn. xii. 113.

——— spargebat *lumine* montis
Orta dies——.

Ibid. *radiis terram dimovit.* Fortioribus verbis usus est, et audacter poëticis: quasi lucis *ictus* vibratæ solum *penetrarent* atque disjicerent. Mantuanus vir, geo. ii. 513.

Agricola incurvo *terram dimovit* aratro.

Solis *calore* terram *findi* notior est dicendi locutio, ac pedestri orationi convenientior.

Ver. 870. *miscente vapore:* intransitive, uti solet noster; fallitur tamen Servius, similem dictionis usum Virgilio imputans ad Æn. i. 440. nam pronomen ibi est ex superiore versu repetendum. Et forte noster scripsit:

Ignis, et in terram cedit calor omnis aquaï:
Frigidus hanc ob rem fit funs in luce diurnâ.
Præterea, solis radiis jactatur aquaï
875 Humor, et in lucem tremulo rarescit ab æstu:
Propterea fit, utei, quæ semina quomque habet ignis,
Dimittat; quasi sæpe gelum, quod continet in se,
Mittit; et exsolvit glaciem, nodosque relaxat.
Frigidus est etiam funs, supra quem sita sæpe
880 Stuppa jacit flammam, concepto protinus igni;
Tedaque consimili ratione, adcensa per undas,

——— calido *gliscente* vapore:

i. e. " sole ætherias arces pedetentim " scandente." Atque sic solet sociari verbum *glisco:* vide sis i. 475. et lexica vulgaria.

Ver. 871. *primordia:* i. e. ignis *semina*, ver. 867.

Ver. 872. *terram:* O. *terras.*—*cedit:* Ω. *cadit;* V. ed. autem, et B. *redit*, fors ex glossatore. Porro, duo versus, qui sequuntur, absunt ab Δ. propter similem finem *aquaï.*

Ver. 873. Placet scriptura versûs in V. ed.

Frigidus hanc ob rem *sit* fons *ut* luce diurnâ.

Ver. 874. *jactatur:* sole scilicet radiorum *tela* in aquam *jaculante;* ut i. 148. Et ita *jactatur*, ut *commotio* partium humidarum excitetur. Non alienus aderit Virgilius, geo. ii. 249. de pinguis telluris genere:

——— haud umquam, *manibus jactata*, fatiscit.

Ver. 875. *lucem:* Δ. *luci;* quod immerito minus lepidis editoribus complacuit. Vulgatis *in lucem* nihil venustius aut exquisitius: *against day-light;* i. e. " ita prius jactatur quam lux fiat, ut ap- " propinquante luce jam rarescat." Havercampus recte composuit *in æstatem*, ver. 712. superius. Macrobius insuper, Sat. vi. 4. receptam lectionem præstat.

Ver. 876. *uti quæ:* Ω. *utique.*

Ver. 877. *Dimittat:* P. Vind. L. M. O. Q. *Demittat;* vitiosissime, licet non aliter scriptus compareat versiculus in Priscian. vi. p. 685. imo.—*gelum:* Σ. *gelu;* ob rariorem vocem.

Ver. 878. *nodos:* Vind. *novos;* Q. *nobos;* Ω. *venas;* non male: et Virgilius sane videri potest huc respexisse, ad geo. i. 91.

Seu pluris calor ille vias, et cæca *relaxat*
Spiramenta, novas veniat quâ sucus in herbas;
Seu durat magis, et *venas* adstringit hiantis.

Doctius etiam et exquisitius in hoc usu vocabulum puto *venas;* ut vulgatum *nodos* pro interpretamento non inepte poterit haberi: *venas* etiam Florentina præstat; cæteris tamen libris consentientibus nolim equidem obsistere.

Ver. 879. *supra quem:* Δ. *supera quæ.*

Ibid. Achillis Tatii loco, ii. 14. nihil novi opportunius: Το γεν της Σικελικης πηγης ὑδωρ κεκερασμενον εχει πυρ· και φλογα μεν οψει καταωθεν απ' αυτης ἀλλομενην ΑΠΟΘΕΝ, θιγοντι δε σοι το ὑδωρ ψυχρον εστιν, οἷον περ χιων· και ουτε το πυρ ὑπο τυ ὑδατος κατασβεννυται, ουτε το ὑδωρ ὑπο τυ πυρος φλεγεται, αλλ' ὑδατος εισιν εν τῃ κρηνῃ και πυρος σπονδαι. Ita scribendus est scriptor lepidissimus. Vulgo, ανωθεν legitur. Αποθεν· εκτος, εξωθεν· Hesychius: i. e. *foras*, *in auras*, ut poëta noster dicit.

Ver. 880. *Stuppa:* sic Vind. O. Q. Δ. Ω. vulgo, *Stupa;* contra scriptos veteres,

Conlucet, quoquomque natans inpellitur auris:
Nimirum, quia sunt in aquâ permulta vaporis
Semina; de terrâque necesse est funditus ipsâ
885 Ignis corpora per totum consurgere funtem,
Et simul exspirare foras, exireque in auras;
Non tam viva tamen, calidus queat ut fieri funs.
Præterea, disparsa foras, erumpere cogit
Vis per aquam subito, sursumque ea conciliare:
890 Quod genus, indu mari est Aradio funs, dulcis aquaï,
Qui scatit, et salsas circum se dimovet undas.

ut arbitror.—*jacit:* Vind. *jacet;* Q. *lacit.* —*flammam:* editores, *flammis,* omnibus libris adversantibus; satis pro imperio.—*concepto:* Δ. *conceptus.* Aliquoties dubito, an hic error haud infrequens originem habeat in vetustissimo scribendi more, *conceptos,* pro *conceptus;* ad formam terminationis Græcæ, Latinis antiquis conservatæ: an in compendiosâ syllabæ *us* scripturâ; quum ea non ægre migrare potuerit multoties in *o.*—Porro, de hoc fonte consulas præterea, si libeat, quos Harduinus laudet ad Plin. nat. hist. ii. 106. Nec tamen Prisciani versus, in perieg. 390. non jucunde lectorem lautum morabuntur:

Hæc regio fontem mirandæ concipit undæ;
Quem merito veteres dixerunt nomine Sacrum:
Nam gelidus superat cunctarum frigus aquarum,
Accensasque faces si quis prope duxerit undam,
Exstinguit flammas; *reficit* sed rursus easdem,
Admoveat dextrâ cum exstinctam lampada fonti.

Sic rescribendum puto: libri, *recipit;* sed enim cum perturbatâ prorsus constructione: et in verbis *recipio* atque *reficio* commutandis solet peccari, uti Drakenborchius edocuit ad Liv. i. 53. 3.

Ver. 882. *inpellitur auris.* Ut Maro, geo. iv. 305.

——— *Zephyris* primum *inpellentibus* undas.

Ver. 886. Quæ *foras* in hoc versu, et *foras* in ver. 888. interjacent, desiderantur in O. librarii oculis infra nimium subito conjectis.

Ver. 887. *tam viva:* Vind. *tanta vi;* Q. *ita vita;* Δ. Ω. *tam vita;* Σ. *vis tanta.* Reponere est in promptu:

Non *vi tanta* tamen——:

nec invenuste; sed recepta præferam.

Ver. 889. *conciliare:* i. e. *in concilium venire,* coire: usu intransitivo, ut passim noster adsolet. Editores autem, audaciæ plenissimi, et librorum fidem libere conculcantes, de suo intulerunt *conciliari:* quibus tamen video Vindobonensis collatoris supinitatem adstipulari; nam nullus dubitem, quin ille vir sic ediderit sine membranis suis. Impendio appositæ sunt Lucretio glossæ veteres: "*Concilio,* συν-" εδρευω·" item absolute.

Ver. 890. *indu:* O. *in;* Q. *endo;* ut edi solet: sed *indu* mihi videbatur propius abesse a reliquorum librorum lectione, *inde;* quæ nescio an sit prorsus contemnenda.—*est Aradio.* Posui *est* de meo; sed illud *Aradio* Vossii ingenio et doctrinæ debetur, sic emendanti codicum corruptelas ex Strabone, lib. xvi. p. 754. lectoribus adeundo. Non habui, quod afferrem, melius; sed depravatæ scripturæ vestigia vix satis exprimuntur Hinc fuit quod egomet *est* adjecerim, ne duo vocis corruptæ elementa prorsus perirent. P. Q. Ω. dant *mari spirat;* optime, nisi Faber et Havercampus probe admonuissent, satis declarari sequentibus

Et multis aliis præbet regionibus æquor
Utilitatem obportunam sitientibus nautis,
Quod dulceis, inter salsas, intervomit undas.
895 Sic igitur per eum possunt erumpere funtem,
Et scatere, illa foras in stuppam semina: quæ quom
Conveniunt, aut in tedaï corpore adhærent,
Ardescunt facile ex templo; quod multa quoque in se
Semina habent ignis stuppæ, tedæque, tenentes.
900 Nonne vides etiam, nocturna ad lumina linum

specialem quendam fontem hic nomine esse designatum. Statius, silv. ii. 3. 56.

——— sed *aquarum spiritus* arcet———.

Nec alienus Vegetius, de re milit. iv. 42. " Elementum pelagi—suo quoque *spira-* " *mine*, motuque, vegetatur." Unde, aliis non obstantibus, *το spirat* stationem suam validissime tueri poterat, et locum in exquisitioribus elegantiis sibi vindicare. Vind. Δ. Σ. *maris parat;* V. ed. L. M. *mari sparat;* in quibus primæ literæ lectionis nostræ, *marist arad*, haud obscure continentur. Sed enim lampas acutioribus tradenda est.

Ibid. *Aradio.* Monet Preigerus, Vossium hoc debuisse lemmati codicis, " De " fonte *Aradi* in mare." Et *Aradio* est ut Αιγυπτιη Homeri, et paria in propriis nominibus. Sæpe diximus.

Ver. 892. *præbet:* P. *pariter;* sed emendat, ex antiquâ lectione, *præbet:* Vind. V. ed. L. M. Q. Δ. Σ. *præter:* unde locus est ad hunc modum fortassis ordinandus:

Et multis aliis *præter* regionibus æquor
Utilitas obportuna est sitientibus nautis,
Quod dulceis, inter salsas, intervomit undas.

Et doctior usus vocabuli *præter* adverbialiter ansam dedisse scribis potuit corrumpendorum versuum.—*regionibus:* V. ed. *religionis.*

Ver. 894. *dulceis*, vel *dulcis:* L. M. *dulcit.—intervomit:* Vind. Σ. *internovit;* et oræ codicis Σ. adscribitur *immiscuit.*

Ibid. *intervomit undas.* Virgilius, geo. ii. 462.

Mane salutantum totis *vomit* ædibus *undam.*

Ver. 895. *erumpere:* neutre; unde speciem habet codicum quorundam lectio, *se* omittentium, ad ejusdem geo. iv. 368.

Et caput, unde altus *primum erumpit* Enipeus:

nobismetipsis licet ille hiatus videatur injucundior, neque temere admittendus.

Ver. 896. *quæ:* spretâ membranarum fide, hodierni editores inscitissime dederunt, ex arbitrio scilicet, *quo:* quem fedissimum errorem socordia hominis, qui Vind. edit. curavit, pro solito reliquit incastigatum.

Ver. 897. *in tedaï corpore.* Hæc facilis est, et impendio probabilis, Vossii emendatio, P. *in tædâ cum corpora;* unde non deteriora essent:

——— aut in *tedæ quom* corpore adhærent.

Vind. *videda corpora;* M. Δ. *inde ad corpora;* O. *in tædaï corpora;* Q. *in corpora;* Σ. *inde corporibus;* Ω. *in teda corpora.* Vulgo, *quom tedaï corpori.* Quid compareat in V. ed. B. L. non id compertum habui. Conferas ver. 881.

Ver. 898. *Ardescunt:* Δ. *Edescunt.—quod:* ita P. L. M. vulgo, *quia;* V. ed. Σ. *quæ.*

Ver. 899. *habent tenentes.* Consimiles dicendi formulas alibi in his commentariis illustratas dedimus. Hinc in animo meo

Nuper ubi exstinctum admoveas, adcendier ante,
Quam tetigit flammam; tedamque pari ratione?
Multaque præterea, prius ipso tacta vapore
Eminus ardescunt, quam conminus inbuat ignis.
905 Hoc igitur fieri quoque in illo funte putandum est.
Quod super est, agere incipiam quo fœdere fiat
Naturæ, lapis hicc' ut ferrum ducere possit,
Quem Magneta vocant patrio de nomine Graici,
Magnetum quia sit patriis in finibus ortus.

nihil dubitem de sincerâ Virgilii scripturâ ad Æn. ii. 517.

——— divôm *amplexæ* simulacra *tenebant*.

Multi codices, *sedebant;* sed illud longe doctius, ac supra librariorum ingenia positum. Et Græcum schema est, uti ne pueruli quidem, illis literis imbuti, nesciunt. Lambinus admovit opportune nostrum, i. 1068.

Amplexei quod *habent* perverse prima viaï:

unde scriptura Virgilii egregie confirmatur.

Ver. 900. *lumina:* Q. *lumine;* Δ. *limina.*—*linum:* sic disertissime scriptum comparet in V. ed. B. L. M. Q. Δ. et vult *stuppeum funiculum*, qui in olei testâ ponebatur, ut humorem imbiberet, et præberet lucem: P. O. *lychnum;* quod sine caussâ placuit editoribus contra meliores ac plures libros, quum glossatorem sapiat: Vind. Σ. *lumen;* Ω. *limum.* Florent. et Ald. etiam *linum.* Illud *lychnum* huc translatum putem ex v. 296. Agitur autem de *stuppâ* et *tedis* per totum locum.

Ibid. *nocturna ad lumina.* Carmine magnifico sane Mantuanus, Æn. vii. 13.

——— tectisque superbis
Urit odoratam *nocturna* in *lumina* cedrum.

Codex unus, *ad*, pro *in;* sed ibi male.

Ver. 901. *admoveas:* Ω. *admoneas.*

Ver. 904. *inbuat ignis.* Quemadmodum pereleganter Claudianus, quart. cons. Honor. 242.

Iram sanguinei regio sub pectore cordis
Protegit, *inbutam flammis*, avidamque nocendi.

Liber unus, *inbustam:* unde conjicit Heinsius *ambustam;* quod longe longeque deterius, nec viro summo dignum. Annotationes confer ad ii. 501. supra ver. 172. Hinc Prudentius, cathem. v. 129. ad quem locum miror hæsisse editorem nuperum:

Non sic, ut tenebras de *face* fulgidâ,
Surgens oceano, *lucifer imbuit.*

De face, ut ἐκ λαμπάδος· *ope* facis: Græcæ locutionis formulâ, alibi notatâ nobis.

Ver. 906. *fœdere Naturæ.* Virgilius, geo. i. 60.

——— has leges, æternaque *fœdera*, certis
Inposuit *Natura* locis———.

Ver. 907. *lapis:* Vind. Q. Σ. *lapsi.*

Ibid. *ferrum ducere.* Elegantius loquuntur Græci, σίδηρον ἑφελκεσθαι· "ferrum *ad se* ducere:" ut Homerus scilicet, Od. Π. 294. et Suidas in Ἡρακλειον λιθον de hoc lapide, ἐπισπωμενη τον σιδηρον· quamvis ibidem Pisides et Euripides in activâ voce, ad Lucretii prorsus morem, ὑφελκων et ἑλκει.

Ver. 908. *Quem:* Σ. *Quam.* Mox Vind. Σ. *fit.*

Ibid. *patriis finibus.* Mantuanus, Æn. i. 620.

Finibus expulsum *patriis*———.

910 Hunc homines lapidem mirantur, quippe catenam
Sæpe ex annellis reddit pendentibus ex se:
Quinque et enim licet interdum, pluresque, videre,
Ordine demisso, levibus jactarier auris,
Unus ubi ex uno dependet, subter adhærens;
915 Ex alioque alius lapidis vim, vinclaque, noscit:
Usque adeo permananter vis pervalet ejus.
Hoc genus in rebus firmandum est multa prius, quam
Ipsius rei rationem reddere possis;
Et nimium longis ambagibus est adeundum:
920 Quo magis adtentas aureis, animumque, reposco.

Ver. 910. *catenam ex annellis.* Videtur Lucretius verba Platonis in Ione, non longe a principio, spectasse: Θεια δε δυναμις, ἡ σε κινει, ὡς περ εν τῃ λιθῳ, ἣν Ευριπιδης μεν Μαγνητιν ωνομασεν, οἱ δε πολλοι, Ἡρακλειαν. Και γαρ αυτη ἡ λιθος ȣ μονον αυτȣς τȣς δακτυλιȣς αγει τȣς σιδηρȣς, αλλα και δυναμιν εντιθησι τοις δακτυλιοις, ὡστε δυνασθαι τἀυτο τȣτο ποιειν, ὁ περ ἡ λιθος, αλλȣς αγειν δακτυλιȣς· ὡστε ενιοτε ὁρμαθος μακρος παυ σιδηριων δακτυλιων εξ αλληλων ηρτηται· πασι δε τȣτοις εξ εκεινης της λιθȣ ἡ δυναμις ανηρτηται. Lambinus. Hæc respexit Isidorus, origg. xvi. 4. " Nam " Magnes lapis adeo apprehendit ferrum, " ut *catenam* faciat *anulorum.*"

Ver. 911. *annellis:* P. O. Ω. *anellis;* et alii fortasse scripti, ut nostri certe passim: sic etiam Isidorus, origg. xix. 32. sæpiuscule, et glossæ veteres, *anellus* et *anulus;* rectius, ut puto: sed vulgatum tamen nos retinuimus.

Ver. 912. *Quinque et enim:* Vind. Δ. Σ. *Qui neque enim;* O. *Quinque enim;* Q. *Qui neque et cum;* Ω. *Quin quoque enim.*—*plureis,* vel *pluris:* P. O. Ω. *plures;* et sic fere scripti: nec dubito quin recte; uti tandem scribere placuit.

Ver. 913. *demisso:* i. e. se demittente; eleganter. Sic autem scriptum est in P. Vind. O. Q. Δ. Σ. Ω. vulgo, *demissos;* sed vereor ut sit cum vetustis exemplaribus.—*levibus:* Vind. Σ. *lenibus.*—*jactarier;* Σ. *latarier;* unde credibile fit Lucretium scripsisse, *lactarier:* videas iv. 989. v. 1067. quamvis profecto *j* et *l* multoties commutentur.—*auris:* P. V. ed. B. *hamis;* et nescio an non exquisitius ea vis hoc nomine sit insignita. Sane *amis,* omisso spiritu, facile migraret in *auris:* pluribus tamen libris obtemperare malui. Sic *ur* abire aliquoties in *in,* vel *m;* et *m* haud raro in *ru,* te docebit Drakenborchius, in indice Liviano. De *aurû,* pro *vi* emanante, diximus superius, ad ver. 220. et alibi. *Jactarier* itaque valebit, percuti, contingi, affici; nisi cum interprete accipere malis το *auris* in vulgari sensu pro *ventis:* nam nobismetipsis Lucretius alterum sensum videtur in animo habuisse. Nemesius, de nat. hom. p. 9. ed. Oxon. haud intempestivus superveniet:—και μη μονον εφ' ἑνος σιδηρȣ τȣτο ποιειν (την Μαγνητιν λιθον), αλλα και αλλον δι' αλλȣ κατεχειν, τῳ μεταδιδοναι τοις εχομενοις πασι της ΔΥΝΑΜΕΩΣ ἑαυτης—.

Ver. 914. *ex uno:* V. ed. B. *corno.*—*subter:* Vind. M. Σ. Ω. *super;* fortasse, quia *b* prius, quod adsolet, in *p* migraveret, et deinde ex *supter,* uti scriptum est in O. provenit *super.* Vetus onomasticon habet eâdem de caussâ *Supter, Suptilis, Suptus;* ob similem literarum harumce sonum.—*adhærens:* V. ed. B. *ad hærtas;* Q. *aderens.*

Ver. 915. *alio:* Vind. V. ed. L. Q. O.

Principio, omnibus a rebus, quasquomque videmus,
Perpetuo fluere, ac mitti spargique, necesse est
Corpora, quæ feriant oculos, visumque lacessant;
Perpetuoque fluunt certis ab rebus odores:
925 Frigus ut a fluviis, calor a sole, æstus ab undis
Æquoris, exesor mœrorum litora propter:
Nec varici cessant sonitus manare per auras.
Denique, in os salsi venit humor sæpe saporis,
Quom mare vorsamur propter; dilutaque contra
930 Quom tuimur misceri absinthia, tangit amaror.
Usque adeo omnibus ab rebus res quæque fluenter

alto.—lapidis vim: Vind. *lapidisum.—vincla:* Vind. *cunda;* Q. *vincia.*—Voces *vim vincla* absunt a Δ.

Ver. 916. *permananter vis:* P. *permanant et;* sed receptam lectionem idem memorat in notis: Vind. *permanater vis;* Q. *permetur vis.—pervalet:* P. *prævalet;* Bentleius legendum dicit *pervolat;* ut in ver. 1058. Male; nisi si fortasse non liceat poëtæ locutiones subinde variare. Cæterum, *permananter vis per* omittuntur in Δ. et totus versus sic comparet exaratus in Σ.

Usque adeo *permanat enim semper valet et vis.*

Ver. 918. *rei:* P. O. Δ. Σ. Ω. ut nos edimus; atque haud dubie omnes scripti: vulgo, *reii.*

Ver. 919. *nimium longis ambagibus:* i. e. valde longis, sive longioribus. Virgilius, Æn. i. 541.

——— Longa est injuria, *longæ*
Ambages——.

Ver. 920. *reposco,* απαιτω· ut simplex *posco;* nisi vis *attentum animum* in *longarum ambagum* remunerationem dari. Nec male fortasse judicat Burmannus, in notis ad Virg. Æn. ii. 139. inesse huic verbo sic posito vim *vehementer poscendi,* ac *frequenter.*

Ver. 921. *a:* sic libri. Forte, *ab.—quasquomque:* P. *quæcunque.*—Et cum hoc loco committas iv. 217—229. unde hice versus repetuntur.

Ver. 922. *mitti spargique:* P. *mitti fateare;* Vind. *miti sparaque;* V. ed. *micis parcique;* O. *mitis pariterque;* Q. *miti sparcique;* Δ. *mitti patique;* Σ. *mitis parcique.* Nempe, *s* semel a statione abstracto, ex *pargi* vocabulo nihili mox factum est aliqua saltem vox *parci.*

Ver. 923. *quæ:* Vind. O. Q. *aquæ.* Ω. *visus.*

Ver. 925. *a fluviis:* P. *e fluviis;* deest præpositio Vind. Q. Σ. unde forte rescribendum:

Frigus *utei* fluviis, calor a sole——:

de quo genere constructionis disputavimus ad iv. 96. et in notis ad Bion. idyll. i. 81. *Uti* quoque sæpe abiit in *ut* Lucretii librariis. Σ. habet *et* post *sole.*—Mox Δ. *exosor.*

Ver. 926. *exesor mœrorum:* redi iv. 221. Ab hac autem veteri formâ vocis venit *pomœrium.* Et conferas etiam Virg. geo. iv. 419.

Ver. 927. *auras:* editores de suo per summum facinus, *aureis;* inscitissime, et per vanissimam pruriginem novandi: confer enim Virg. Æn. xii. 617—620. versus summopere tempestivos.

Ver. 928. *in os:* O. Δ. Σ. *vior.*

Fertur, et in cunctas dimittitur undique parteis.
Nec mora, nec requies, inter datur ulla fluundi;
Perpetuo quoniam sentimus, et omnia semper
935 Cernere, odorari, licet, et sentire sonare.
Nunc omnes repetam quam raro corpore sint res
Conmemorare, quod in primo quoque carmine claret.
Quippe et enim, quamquam multas hoc pertinet ad res
Noscere, cum primis hanc ad rem protinus ipsam,
940 Quâ de disserere adgredior, firmare necesse est;
Nihil esse in promptu, nisi corpus mixtum in inani.
Principio, fit, ut in speluncis saxa superna

Ver. 930. Hic versus cum sequente, in libris omnibus præter P. collocantur post ver. 935.—*amaror:* Vind. *amara.*

Ver. 931. *ab:* Ω. *a.*—*fluenter:* Vind. O. Ω. *fluentur.* Et hæc omnia, quæ *pereunt* fluendo, corpora Maximus Tyrius, viii. 10. bene vocavit 'ΡΕΟΥΣΑΣ ΦΥΣΕΙΣ.

Ver. 935. *sonare:* editores nequissimi, contra libros veteres universos, *sonorem.*

Ver. 937. *claret:* Vind. L. M. *dare;* Q. Σ. *clare;* non absurde, si repetas *commemoravi* a præcedentibus: Δ. *dixi;* quod librarii commentum est, vitiosum *dare* corrigentis.

Ibid. *primo carmine:* a ver. 266. ad ver. 401.

Ibid. *claret.* Vocem adhibuit Ennius plus semel, et alii; vide Nonium, ii. 127. et lexica vulgaria, cum vetustis glossis. Juvencus, hist. evang. ii. 782. apponetur:

Nam multi veteres justi, sanctique prophetæ,
Quæ vobis *clarent*, orarunt cernere dona.

Ita prior versus erat distinguendus, Cicero quoque in Arateis, ver. 72.

——————— Δελτωτον dicere Graiei
Quod solitei, simili quia formâ litera *claret.*

Ver. 938. *od res:* Vind. Q. *ardes.* Mox, pro *de disserere,* Σ. *dedi sum res;* et Ω. *de dissere.*

Ver. 941. *corpus mixtum in inani.* Illud *in* ex conjecturâ interposui, quum vulgo scribant, *mixtum corpus inani;* uti comparet in P. O. Δ. sed haud dubie contra libros optimos et vetustissimos; nam V. ed. L. M. Q. Σ. Ω. dant *corpus mixtum inani;* Vind. *corpus injectum inani.* Regimen vero *mixtum in* iterum mox venit ad ver. 1070. *misceri in* aquaï fontibus: et *in* literas facile elidi potuisse inter similes ductus *um* atque *in,* nemo non perspicit; ne dicam, doctiorem constructionem forte scribarum nationi scrupulum injecisse, et vulgarioribus decessisse.

Ver. 943. *Sudent:* Ω. *Suadent;* puncto tamen ejusdem scribæ manu sub *a* posito.

Ibid. *Sudent humore saxa.* Etiam elegantius in hac re versatur ad i. 350. et conferas iv. 628. Speciose locutus est Claudianus de Tybri fluvio, in Prob. et Olyb. cons. 221.

——————— taurina levantur
Cornua, temporibus raucos *sudantia rivos.*

Lucanus autem videtur ipsissimum Lucretii locum in animo habuisse, ad Phars. iv. 301.

Antra neque exiguo *stillant sudantia rore.*

Addam Manilium, iii. 638.

Nec tolerant medias hyemes *sudantia saxa:*

Sudent humore, et guttis manantibus stillent:
Manat item nobis e toto corpore sudor;
945 Crescit barba, pileique per omnia membra, per artus:
Diditur in venas cibus omneis; auget, alitque,
Corporis extremas quoque parteis, unguiculosque.
Frigus item transire per æs, calidumque vaporem,
Sentimus; sentimus item transire per aurum,
950 Atque per argentum, quom pocula plena tenemus.
Denique, per dissæpta domorum saxea voces
Pervolitant, permanat odos, frigusque, vaposque
Ignis: qui ferri quoque vim penetrare suëvit

atque Silium Italicum, Pun. vii. 191.

——— et quercu, in cratera cavatâ,
Dulcis odoratis *humor sudavit* ab uvis.

Virgilius etiam voces excepit, ad geo. i. 117.

Unde cavæ tepido *sudant humore* lacunæ.

Ibid. *manantibus stillent.* Alibi animadversum est nobis, Lucretianas aures diritatem horumce numerorum non perhorruisse. Perfacilis enim fuisset dictionum transpositio.

Ver. 944. *Manat e toto corpore sudor.* Præpositionem deposuit Mantuanus, Æn. iii. 175.

Tum gelidus *toto manabat corpore sudor.*

Ver. 946. *Diditur:* Lambinus et alii, *Diditus;* contra libros: audacter, et inepte.

Ver. 947. *unguiculosque:* P. *unguiculasque;* vere forsan. Onomasticon vetus: "*Unguicula*, ονυχιον:" et vicissim in Græcis; ut ut vulgares lexicographi dictionem non agnoscant.

Ver. 949. Δ. *Sentimur.*—Et confer i. 495.

Ver. 950. *plena:* Vind. V. ed. B. Δ. Σ. Ω. et var. lectt. edit. Junt. *plana;* vere, ut exputem: nam minus hoc senseris pocula tenens *inæqualia*, exstantibus figuris ac signis aspera. Novare tamen temere noluimus.

Ver. 951. *dissæpta:* redeas ad i. 998.

Ver. 952. *Pervolitant:* Nonius Marcellus, viii. 27. *Pervolitans:* et idem ibid. *odos* et *vapos*, quamvis *odor* et *vapor* in universis Lucretii exemplaribus, omne genus, vetustis conspiciantur: videas Quintil. instt. orat. i. 4. p. 43. ed. Burm. et Priscian. lib. i. p. 557.

Ver. 953. *qui:* Ω. *quin.*—*suëvit:* P. *suerit.*

Ver. 954. Versiculum, me judice, mendis vacuum, et sensu perquam dilucido, viri docti conjecturis suis misere divexavere. Ad explicandam poëtæ mentem nihil postulo concedendum, nisi ut summa pars loricæ collum pertingeret, eoque moto calor ac sudor cierentur. Jam vero, neglectis hariolorum ingeniosis nugis, ad varietatem lectionis recensendam deveniamus; memores, simplicissimam scripturam passim Lucretio convenire. *Denique:* sic, ni fallor, omnia prisca exemplaria; editores, *Undique.*—*circum:* i. e. circulum, vel circuitum, colli; vide Nonium, i. 74. v. 38. et Davisii notam ad Cic. de nat. deor. ii. 18. Veteres glossæ: "Cir-"culus, *circus*, κυκλος."" Eandem vocem quidam libri agnoscunt ad Virgilii geo. iii. 166. quam Lucretii auctoritate sic communitam libenter equidem receperim:

Denique, quâ circum colli lorica coërcet.
955 Morbida visque simul, quom extrinsecus insinuatur:
Et tempestatem, terrâ cœloque coortam,
In cœlum terramque remote jure facessunt:
Quandoquidem nihil est, nisi raro corpore nexum.
Huc adcedit, utei non omnia, quæ jaciuntur
960 Corpora quomque ab rebus, eodem prædita sensu
Atque eodem pacto rebus sint omnibus apta.

Ac primum laxos tenui de vimine *circos*
Cervici subnecte——.

Vind. habet, *certum;* per errorem vel solitæ mutationi *c* in *t* reddendum, vel recitanti scribæ.—*colli:* Vind. *coli;* L. M. O. Q. Δ. *cœli;* Ω. *corii.*—*coërcet:* P. *cohæret.* Sed enim, ut Ennius *cœli clypeum* dixit, quod obeat æther omnia, si Lucretius dicere *loricam cœli* vellet, (de quo Turnebum jam video, et Salmasium, cogitasse) quia terram undique complectatur, ita quodammodo constitui locus omnino debet:

—— qui ferri quoque vim penetrare suëvit:
Denique, quâ circum *cœli* lorica coërcet,
Morbida vis simul *inde* extrinsecus insinuatur—.

Sed faciliora sunt vulgata, et minorem vim lectionibus scriptis inferunt.

Ibid. *circum colli lorica.* Navat operam Virgilii locus, in Æn. xi. 692.

—— sed Buten aversum cuspide fixit,
Loricam galeamque inter; quâ *colla* sedentis
Lucent, et lævo dependet parma lacerto.

Ver. 955. *Morbida visque simul:* i. e. *permanat*, ver. 952. vel *penetrare suëvit*, ver. 953. vel *permananter valet*, ver. 916. quopiam verbo ex præcedentibus repetito: nam morborum contagium jam ponit in aliud specimen particularum subtilissimarum, et maxime penetrabilium effluviorum: committas infra ver. 1091—1101. Temerarii editores nihil non sibi licere existimaverunt, qui versum ita diffingere ad libitum, vetustis libris renuentibus, haud erubuerint:

Morbida vis *quæcunque* extrinsecus insinuatur.

Ver. 956. Fidem codicum devenerati, et nihil ex ingenio novantes, distichon videmur probe constituisse, innumeris doctorum divinationibus exercitum, sed commentitiis prorsus, futilibusque; quarum apponendarum tædium devorare nullo modo possumus. Nec profecto conatus sunt ferendi, scriptorum exemplarium susque deque habentes sanctissimam auctoritatem. Nimirum, prosequitur argumentum suum Lucretius, et alterum proponit exemplum minutissimorum corporum, eâ tenuitate, quam nequit acies oculorum usurpare: quod prius attigerat utique in i. 272—299. qui versus comparandi sunt. Hoc igitur poëta vult dicere: " Philosophi merito remittunt in terram " cœlumque eam tempestatem, quæ de " terrâ cœloque primum est exorta:" i. e. Jure dicunt tempestatum cæca corpora rursus in immensitate spatii recepta condi, atque evanescere. Hæc autem planissima videntur, et sunt haud dubie loci scopo maxime consentanea. Jam vero dissimilitudines scripturæ notas faciamus.—*tempestatem:* ita Vind. V. ed. M. O. Q. Δ. Ω. vulgo, *tempestates;* ut P. Σ. exhibent: L. *tempestate in.*—*coortam:* sic O. Δ. Ω. vulgo, *coortæ;* ut P. Σ. Reliqui, *coorta;* i. e. *coortā*, ni fallimur, sive *coortam.*

Ver. 957. *remote:* sic Vind. O. Q. reliqui, *remotæ;* sed in hac re valde lubrica est veritas.—*jure:* Vind. V. ed. *in re;* Σ. *mente.* Nobis editores belluli hunc versum recoxerunt:

Principio, terram sol excoquit, et facit are;
At glaciem dissolvit, et altis montibus altas
Exstructas ningues radiis tabescere cogit:
965 Denique, cera liquefit in ejus posta vapore.
Ignis item liquidum facit æs, aurumque resolvit;
At coria et carnem trahit, et conducit in unum.
Humor aquæ porro ferrum condurat ab igni;
At coria et carnem mollit, durata calore.

E cœlo emotæ terrâque repente facessunt:

omnibus audacissime conturbatis, et insanarum conjecturarum multitudine discruciatis.

Ver. 958. *nisi:* Vind. L. Q. *non;* ut vulgo. In sequente, *non* deest Vind. Q.

Ver. 961. *Atque:* Δ. *Det quoque.—sint:* Σ. *fuit.*

Ver. 962. *sol:* Vind. V. ed. Q. Σ. *quo.* An *calor?—excoquit:* Q. *exquoquit.* Et fortasse peccatum prius ex similibus his sonis ortum est; cujus sane explicandi difficilior est ratio.

Ibid. *terram excoquit.* Virgilius, geo. ii. 259.

——— *terram* multo ante memento
Excoquere—.

Ibid. *facit are:* αναστροφη, pro *arefacit.* Lambinus.

Ver. 963. *altas:* editores, libris renuentibus, per inscitissimam temeritatem, *alte.* Poëtis hæc sermonis schemata adamari diximus et alibi et ad Bionis idyll. i. 8. quo te referas.

Ver. 964. *Exstructas:* Vind. V. ed. B. *Exstinctas.* De simili confusione *ru* et *m,* consulas Drakenborchium, ad Liv. i. 12. 4. iv. 21. 5. et alibi. P. O. Δ. *Exstructasque.—ningues:* P. Vind. V. ed. L. O. Q. Σ. *nives:* et Ω. sed in rasurâ, vocabulo priore extrito: Δ. *nubes.* Alii codices Pii præbent *ningues.*

Ibid. *ningues radiis tabescere — cera liquefit.* Sic Ovidius, met. iii. 489.

——— *intabescere* flavæ
Igne levi *ceræ,* matutinæve *pruinæ*
Sole tepente, solent——.

Ver. 965. *liquefit:* sic Vind. L. Q. Σ. Ω. remotius a tardo sensu librariorum: reliqua exemplaria, *liquescit.—ejus:* P. *ignis;* me probante: nec non favet V. ed. corruptela, *nis.—posta:* V. ed. *posita.*

Ibid. *liquefit vapore.* Naso, met. vii. 160.

——— congestaque *flammâ*
Tura *liquefiunt—:*

quem videas etiam, epist. ex Pont. i. 2. 57. ubi codices similiter Lucretianis inter *liquefiunt* et *liquescunt* fluctuant.

Ver. 966. *facit æs:* P. O. Δ. *facile æs;* non male: V. ed. *favilies;* Ω. *facere æs.*

Ver. 967. *At:* O. Δ. *Ac;* ut mox, ver. 969.

Ver. 968. Hunc et sequentem versum librarius membranarum Ω. prætermisit, initio simili *At coria et carnem* deceptus: sed in imâ paginâ postea descripsit.

Ibid. *ab igni:* i. e. post ignem, απο πυρος· postquam ignis utique calefecerit. Formulam nos ex professo illustravimus in Silv. Crit. iv. pp. 209. 210. et prior Marklandus, in notis doctis, Jupiter! et ingeniosis, ad Stat. silv. i. 2. 147. In ipsam rem vero consulas Homeri versus egregios, Od. I. 391—394. quem Sophocles et alii sunt secuti.

Ver. 969. *At coria:* V. ed. *Et coria.*

Ver. 970. *oleaster:* L. *celaster.—eo juvat:* V. ed. *comnat;* c et *e,* *mn* et *juv,* ob ductus similes, commixtis.

970 Barbigeras oleaster eo juvat usque capellas,
Ecfluat ambrosiâ quasi vero, et nectare, tinctus:
Quâ nihil est homini quod amarius frundeat estu.
Denique, amaracinum fugitat sus, et timet omne
Unguentum; nam setigeris subus acre venenum est,
975 Quod nos interdum tamquam recreare videtur.
At contra nobis cœnum teterrima quom sit
Spurcities, eadem suibus hæc munda videtur,
Insatiabiliter totei ut volvantur ibeidem.

Ver. 971. *Ecfluat:* Q. *Epluat;* sed editores impudentissimi, *Diffluat*, libris universis reclamantibus.—*ambrosiâ:* P. O. *ambrosiam;* V. ed. B. Δ. Σ. Ω. *ambrosias.* —*et nectare tinctus:* Vind. *et nectaretintus;* V. ed. *et nectar et nitus;* O. Δ. *et nectar et intus;* Σ. *e nectare intus.*

Ibid. *quasi vera:* quemadmodum Plautus est locutus, in Amphit. prol. 89. Pseud. ii. 2. 40.

Ibid. *ambrosiâ et nectare tinctus.* Haud vulgari est elegantiâ locutio. Sidonius Apollinaris similiter, carm. ix. 321.

Nardum, ac pinguia Nicerotianis
Quæ *fragrant* alabastra *tincta sucis.*

Ubi *flagrant* est in editis, ineptissime: uti profecto passim in his vocibus librarii peccavere. Idem, ad xi. 64. castigationis indiget:

——————— calet ille superbus
Ruricius nostris facibus; dulcique veneno
Tinctus, votivum suspirat corde dolorem.

Vulgo, *tactus.* Ovidius, ex Pont. iv. 10. 31.

Heic agri infrondes, heic spicula *tincta venenis.*

Ibi quidam codd. *tecta.* Sic autem alii multi locuti sunt. Et nescio an operæ pretium sit emendationem periclitari in carmen futile Anthol. Lat. Burm. v. 167. 3.

Hi sunt affectus, hæc oscula, *tincta* venenis;
Conjugioque Venus, semper *amara*, nocens.

Editi habent, *digna*, et *amore.* Denique, Terentianus Maurus adsit, p. 2437.

Nam vatem eundem est, Attico *thymo tinctum*,
Pari lepore consequutus, et metro.

Ver. 972. *Quâ:* i. e. arbore, vel olivâ; quarum dictionum utravis in *oleaster* continetur. Docte nimirum, ut adsolet. P. *At;* haud dubie contra scriptos: placuit tamen editoribus. Ω. *quo;* sed hæc lectio inscitum scribam sapit.—*amarius:* Vind. *inarius;* V. ed. Q. *marius;* L. M. *in arvis;* quæ non invicem discrepant, nec vulgatis, nisi in omisso *a:* O. *in majus;* Σ. *magis:* hoc vocabulum cum sequente abest Δ. Sic tentare poteram, sed conatu nimium audaci forsitan:

Quâ nihil est homini quod *in arvis fedius exstet.*

—*frundeat*, vel *frondeat:* V. ed. Q. *fronde ac;* unde Vossius rescribebat, *fronde hac:* me judice, parum de more Lucretiano.—*estu:* sic optime Σ. reliqui omnes, *exstet;* sed cassâ cum constructione, ac nullis machinis expediendâ. *Estu* vero ut *comestu:* neque audiam equidem in hac re grammaticastrorum gregem; tu videas Diomed. p. 358. Priscian. p. 892. minus consentientes. Editores autem, qui me præcesserint, ad editionem Pii exhibuere versum:

At nihil est homini *fronde hac* quod amarius exstet.

Nobismetipsis tam latas aberrationes a vetustissimorum codd. scripturâ non permittimus.

Hocc' etiam super est, ipsâ quam dicere de re
980 Adgredior, quod dicundum prius esse videtur.
Multa foramina quom variis sint reddita rebus,
Dissimili inter se naturâ prædita debent
Esse, et habere suam naturam quæque, viasque.
Quippe et enim variei sensus animantibus insunt,
985 Quorum quisque suam proprie rem percipit in se.
Nam penetrare alio sonitus, alioque saporem
Cernimus e sucis, alio nidoris odores.

Ver. 973. *amaracinum:* Vind. Ω. *maricinum;* V. ed. *maricum;* Q. *maracinum;* Δ. Σ. *maritimum.* Et hos versus aliter possis interpungere, hoc modo scilicet:

Denique, amaracinum fugitat sus, et timet; omne
Unguentum nam setigeris subus acre venenum est:

sed receptæ distinctiones magis placent.

Ibid. *amaracinum fugitat sus.* A. Gellius in operis præfatione: "Vetus "adagium est, Nihil cum fidibus graculo; "nihil cum *amaracino sui.*"

Ver. 974. *subus:* V. ed. *subiis;* Δ. *suis;* Σ. vero, *suibus.*

Ver. 976. *cœnum:* O. Δ. *cœni;* non male, sed ex correctore, ut putem: nec vulgatis dissentit Nonius Marcellus, iv. 425.

Ver. 977. *suibus hæc munda.* Quam damus, constitutio versûs nobis se obtulerat, et arrisit olim aliis; nec, si attentius omnia intuearis, non maxime facilis atque probabilis videtur. Vulgo, *subus hæc res munda:* sed vox *res* additamentum est doctorum, metro suffultum euntium, de quo in hac cæsurâ haud temere timendum est.—*suibus;* ita noster in v. 968. scripti, *subus.*—*hæc munda:* V. ed. *hæc muncla;* L. *civunda;* O. Δ. *hæc tam munda;* quod sarcinatoris est haud dubie librarii: P. Σ. *hæc jucunda;* etiam bene, et favet L. nisi quod rectius *spurcities* et *munda* dictiones sibi invicem opponantur. Interea, cavillationes nugatorias et indoctas Lambini in Gifanium nihil moror.

Ver. 978. *totei:* P. *tuti;* et V. ed. *volnerantur.*—Mox P. *quia,* pro *quam.*

Ver. 985. *proprie percipit:* V. ed. *prope præcipit.*

Ver. 986. *alio:* i. e. in alium locum, vel aliud genus foraminis. Nihil planius. Audacissime fecit Lambinus, Fabro laudatus, et patienter editoribus auditus, qui *alio* ter in *alia* mutaverit contra libros.—*alio sonitus:* Δ. *alio sonituque;* Σ. *alios sonitus.*

Ver. 987. *nidoris:* Vind. V. ed. *nidores.*—Post hunc versum verr. 994. 995. collocantur in P. Vind. V. ed. O. Q. Δ. Σ. Ω. æque bene; atque in sex posterioribus exemplaribus suo loco repetuntur. Nos sequimur L. M. codd. sic ponentes ver. 995. qui ver. 988. est vulgarium editionum, et in scriptis omnibus exemplis verr. 993. 994. comitari solet.

Ibid. *nidoris:* i. e. *ambustarum rerum* odoris.

Ver. 988. *Præterea:* P. V. ed. B. *Propterea;* nec profecto male.—*manare:* Vind. Q. *manere.*

Ver. 989. *lignis:* ita L. M. at, per solitam confusionem, P. O. Ω. *tignis;* V. ed. Δ. Σ. *ignis:* vulgo, *per ligna;* temerario facinore, contra libros veteres universos, quamquam collatoris Vind. negligentia hanc scripturam codd. suis imputet.

Ver. 990. *vitro:* Vind. *intro;* cum eis-

Præterea, manare aliud per saxa videtur,
Atque aliud lignis: aliud transire per aurum;
990 Argentoque foras aliud, vitroque, meare;
(Nam fluere hac species, illac calor ire, videtur)
Atque aliis aliud citius transmittere eâdem.
Scilicet id fieri cogit natura viarum,
Multimodis varians, ut paullo obstendimus ante,
995 Propter dissimilem naturam, textaque, rerum.
Quapropter, bene ubi hæc, confirmata atque locata,
Omnia constiterint, nobis præposta, parata;
Quod super est, facile hinc ratio reddetur, et omnis
Caussa patefiet, quæ ferri perliceat vim.
1000 Principio, fluere e lapide hoc permulta necesse est

dem literarum ductibus: V. ed. O. Δ. Σ. *intus.*

Ver. 991. *illac:* Vind. V. ed. Σ. *illas.* Ω. *color.*

Ver. 992. *Atque:* Δ. *Detque.—eâdem:* P. *eandem;* male: nam dicit Lucretius, non esse tantummodo *diversa* diversis rebus foramina, sed per *eadem* quoque foramina diversas auras diversâ celeritate transmitti.

Ver. 994. *varians:* V. ed. Δ. Σ. Ω. *variant*, in priore loco; et Σ. in secundo, *varias.*

Ver. 995. *naturam:* Vind. Q. *natura.*

Ver. 996. *bene:* P. V. ed. *bone.—atque:* V. ed. *at.*

Ver. 998. *hinc:* P. V. ed. *huic.—reddetur et:* Vind. *reddet;* V. ed. *redditur et.—omnis:* Q. *omnes.*

Ver. 999. *ferri:* V. ed. *fieri.—perliceat vim:* vulgo, *pelliciat;* sed fere, uti nos exhibemus, luculenter Vind. et Δ. neque alii codices aliorsum spectant: quidam Pii, *perlicit arcum;* V. ed. B. *perlitratum; ci*, ut facile fuit formis elementorum Longobardicis, in *tr* abeuntibus: L. M. *perliceatum;* conjunctis vocibus: O. Ω. *pelliceat vim;* Σ. *pelliceat tum.* His autem devictus, tutius habui in contextu relinquere *perliceat*, ad secundæ conjugationis normam. Vetustæ glossæ: "*Pelliceo, es,* "*επισυρομαι*" et vicissim in Græcis. Nec dissentit Sosipater Charisius, instt. gram. lib. iii. initio: "*Pelliceo, ces,* xi; *δελεαζω.*" Huc refer *pellicui* præteritum, Livii in Laodamiâ, apud Priscian. lib. x. p. 887.

Ibid. *ferri vim:* i. e. validum ferrum; *βιην*, vel *κρατος*, vel *μενος*, *σιδηρου* ut Græci: videas supra, ver. 953. et infra, ver. 1009. atque perelegantem versum, huc facientem, in ii. 449.

Ver. 1001. *Semina:* sequentia omnia versûs vocabula desunt Σ.—*discutit:* V. ed. B. *destinat;* nimirum, vice *distinet*, nisi fallar: quam dictionem glossator adscripserat.

Ibid. *æstum:* quem Porphyrius de abst. iv. 20. p. 372. ed. Rhoër, *πνευμα*, vel *auram*, nuncupavit.

Ver. 1003. *inanitur:* V. ed. O. *inaniter.—vacefit:* V. ed. B. *vacescit;* Σ. *lacessit;* et in orâ codicis, "Alii *rarefit;*" quod innuebat haud dubie, *vacefit.* Havercampus, impulsore Carrione, in ant. lectt. i. 18. rescripsit *vacuefit:* sed nec Carrion, nec alius quilibet, in tali re contra vetustos et emendatos libros audiendus est.

Semina, sive æstum, qui discutit aëra plagis,
Inter qui lapidem ferrumque est quomque locatus.
Hoc ubi inanitur spatium, multusque vacefit
In medio locus; ex templo primordia ferri
1005 In vanum prolabsa cadunt conjuncta, fit utque
Annulus ipse sequatur, eatque ita corpore toto.
Nec res ulla magis, primoribus ex elementis
Indupedita suis, arte connexa cohæret,
Quam validi ferri naturæ frigidus horror:
1010 Quo minus est mirum, quod dicitur; ex elementis
Corpora si nequeunt, de ferro plura coorta,
In vacuum ferri, quin annulus ipse sequatur:
Quod facit; et sequitur, donec pervenit ad ipsum

Ver. 1004. *ferri:* Vind. V. ed. Q. Δ. *ferre.*

Ver. 1005. *In vanum:* sic optime codex Ω. et de solitâ sermonis Lucretiani varietate. Vulgata lectio, *In vacuum*, quam manus etiam recentior in Ω. superscripserat, glossatori est reddenda: videas notata ad iii. 17.—*conjuncta:* V. ed. *commenti*, corrupte, pro *conventa;* in quibus vocabulis alibi supra peccatum est.—*utque:* P. Vind. V. ed. O. Ω. *ut qui.*

Ibid. *conjuncta.* Lego, *conjunctu':* vide mox ver. 1014. BENTLEIUS.

Addas licet ver. 1017. sed egomet nihil mutem.

Ver. 1007. *ex:* Ω. *tunc;* abest Vind. V. ed. L. M. Q. nec prorsus placet *ex:* sed quidnam subrogandum sit, mihi nondum liquet. In mentem venerat, "pri. "moribus *usque* elementis."—*elementis:* V. ed. *aliementis.*

Ver. 1009. *horror:* Δ. *humor.*—Verum enim duplex iste genitivus nemini venusto placebit, ac vere Lucretiophilo. Nos pristinam versûs elegantiam, ne literulâ quidem immutatâ, poëtæ suavi resuscitabimus:

Quam validi ferri *natura, et* frigidus horror.

Ibid. *ferri frigidus horror.* Bis memor hujusce loci summus Mantuanus; primum, ad geo. i. 143.

Tum *ferri rigor*——;

deinde, ad Æn. iii. 29.

——————— mihi *frigidus horror*
Membra quatit——.

Ver. 1010. Editores, longe longeque audaciâ antecellentes, lectore non monito, sic versum corruperunt, omnibus interea vetustis libris reclamantibus:

Quo minus est mirum, quod *paullo diximus ante.*

Et hanc etiam scelestissimam depravationem Vindobonensis collatoris stupor per summam negligentiam propagavit.

Ver. 1011. *si nequeunt:* Vind. Δ. *sive queunt.*—*de ferro:* P. Q. Ω. *e ferro;* Vind. V. ed. B. *referre;* O. *te ferro;* Δ. *deferri;* Σ. *te ferre.*

Ver. 1014. *que in eo:* P. *que in eis;* Vind. O. Σ. *quin eo;* Vind. *qui nec;* ob facilem in minusculis elementis, atque etiam majoribus, *c* et *o* commutationem. —*conpagibus:* ita accurate Ω. Vulgo, *compagibus.*

Ver. 1015. *idem:* sic elegantius Vind. V. ed. O. Q. Σ. Ω. reliqui, *item.*—*parteis:*

Jam lapidem, cæcisque in eo conpagibus hæsit.
1015 Hoc fit idem cunctas in parteis; unde vacefit
Quomque locus, sive ex transvorso, sive superne,
Corpora continuo in vacuum vicina feruntur:
Quippe agitantur enim plagis aliunde, nec ipsa
Sponte suâ sursum possunt consurgere in auras.
1020 Huc adcedit item, quâ re queat id magis esse:
Quod simul a fronte est annelli rarior aër
Factus, inanitusque locus magis, ac vacuatus;
Continuo fit, utei, qui post est quomque locatus
Aër, a tergo quasi provehat, atque propellat.
1025 Semper enim circum positus res verberat aër;

Δ. *partibus; i* quoque super *a* scripto in *cunctas.—vacefit:* Vind. O. *vacescit;* V. ed. B. *barescit;* Σ. *rarefit:* redi tu ver. 1003.

Ver. 1016. *sive:* Σ. *sine;* utrobique.—*ex:* Vind. Q. Σ. *et;* Ω. *e;* abest O.—*transvorso:* P. *traverso;* V. ed. *tranverso.*

Ver. 1017. *vicina:* Vind. V. ed. *vacina;* O. *nativa;* Δ. *votiva; v* et *n, c* et *t,* ut videmus passim, permutatis, atque etiam errore errorem pariente.

Ver. 1018. *agitantur:* Ω. *agitatur.*—V. ed. Vind. Q. *plagit.*

Ver. 1020. *queat:* Vind. V. ed. Σ. *qui ad.*—Et ver. 1031. hunc versum in vulgatis editis sequi solet; nos ad stationem, quam habet in codd. L. M. amandavimus.

Ver. 1021. *simul a:* Vind. *simil a;* V. ed. *simili.—annelli:* Vind. V. ed. Δ. *avelli;* pro *anelli,* de verâ orthographiâ dictionis, uti quondam diximus.—Mox Vind. Q. *magnis,* pro *magis.*

Ver. 1023. *utei:* Vind. *ut.—post est:* Vind. V. ed. Δ. *potest.* Hic autem versus in Vind. V. ed. L. M. O. Q. Δ. Σ. Ω. post ver. 1030. sed haud dubie perperam, locatus est.

Ver. 1024. *Aër a tergo:* V. ed. O. Δ. Ω. *Erat ergo;* qui natus est error a primæ literæ solitâ omissione in initio versûs: Q. *Is a tergo.* Abest versus Vind.

Ver. 1025. *verberat:* Ω. *veherat;* propter similitudinem elementorum *b* et *h;* quam Drakenborchius præstrinxit ad Liv. xxxviii. 1. 6.

Ver. 1026. *utei:* deest Vind. V. ed. Δ. Et post hunc versum vacat duorum spatium in Σ.

Ibid. *ferrum:* i. e. *etiam* ferrum, quamvis sit res omnium gravissima.

Ver. 1028. *tibi:* Q. *ubi;* minus eleganter.

Ver. 1029. *Parvas:* P. V. ed. *Pronas.* Bentleius, ut alii, maluit, *Privas;* sed, me judice, vulgata lectio est longe melior.

Ver. 1030. *naves:* sic rescripsimus ex ingenio, ut loci stet constructio: P. O. Q. Δ. Ω. *navem;* vulgo, *navim;* Vind. *avem;* V. ed. *anēm:* voces omnes post *quasi* desunt Σ. Et *naves* commodius accipias pro recto casu singularis numeri: vide doctos viros ad Virg. Æn. xi. 522. —*ventis:* ita Vind. V. ed. O. Q. Ω. cum editt. Junt. et Ald. Vulgo, *ventus;* sed renuentibus, nisi fallar, exemplaribus vetustissimis.

Ibid. *naves velaque:* per solitam hendyadem pro *vela navis* hoc dictum est.

Sed tali fit utei propellat tempore ferrum,
Parte quod ex unâ spatium vacat, et capit in se.
Hic tibi, quem memoro, per crebra foramina ferri
Parvas ad parteis subtiliter insinuatus,
1030 Trudit, et inpellit: quasi naves velaque ventis,
Hæc quoque res adjumento, motuque, juvatur.
Denique, res omnes debent in corpore habere
Aëra, quandoquidem raro sunt corpore, et aër
Omnibus est rebus circumdatus adpositusque.
1035 Hicc' igitur, penitus qui in ferro est abditus, aër
Solicito motu semper jactatur, eoque
Verberat annellum, dubio procul; et ciet intus

Ver. 1031. *adjumento juvatur.* Tales locutiones vetusti scriptores non aversati sunt, uti nobis sæpius contigit observare. Lambinus Bentleiusque non dubitavere versum νοθειας ideo, sed inscite, postulare: nos autem, ordinem versuum ex auctoritate codd. L. M. mutantes, integritati suæ videmur locum restituisse.

Ver. 1033. *raro sunt:* P. *rarescunt;* V. ed. *rare sunt;* unde elegans forte *raræ sunt*, ad aliorum subinde scriptorum, sed minime Cari, consuetudinem, *corpore:* Vind. V. ed. *corpora.—et:* P. *ut.*

Ibid. *aër Omnibus est rebus circumdatus.* Hinc Sophocles, Elect. 86.

Ω φαος ἁγνον, και ΓΗΣ
ΙΣΟΜΟΙΡΟΣ ΑΗΡ:

i. e. ισην μοιραν εχων τῃ γῃ· πανταχῃ γαρ εστιν αηρ· ut bene scholiastes.

Ver. 1034. Hic versus cum sequente desideratur in L. propter ὁμοιοτελευτον scilicet.

Ver. 1035. *in:* abest O.—*est:* Vind. V. ed. *et.*

Ibid. *Hicc':* *aër* scilicet; vel *Heic, in hac re.* Prior ratio nobis placet.

Ver. 1036. *Solicito motu.* Virgilii locus haud inepte committi potest, ad geo. iv. 262.

Ut *mare solicitum* stridit refluentibus undis,

Glossarium vetus: "*Sollicitat,* ανασειει."

Ver. 1037. *Verberat aër;* ut alibi sæpius *verberat ventus* dixit, et *verbera ventorum.* Homerus, Il. Ψ. 217. de *Boreâ* ac *Zephyro:*

Παννυχιοι δ' αρα τοι γε πυρης αμυδις φλογ'
ΕΒΑΛΛΟΝ.

Ver. 1038. *atque eodem:* deest *atque* P. V. ed. O. Q. Δ. Σ. Ω. Legunt O. et Δ. *eadem;* Q. *illo edem.* Forte, *isque eodem.* Totus autem versus abest Vind.

Ver. 1039. *vacuam:* V. ed. B. *vacuum.* —Cæterum, impudentia et inscitia editorum hunc versum nobis ex officinâ propriâ deprompserunt, libris vetustis repugnantibus:

Jam semel, et *quamquam* in *partem* conamina sumsit.

Ver. 1040. *hoc:* O. *huc;* abest V. ed. nec male.

Ibid. *ferri natura.* Periphrasi prius usus est eâdem noster, ad ii. 400.

Ver. 1041. *atque:* V. ed. *ac;* quum *atque* nimirum in *at* primitus abierit.

Ver. 1042. *Samothracia ferrea:* i. e. anulos ferreos hoc nomine insignitos. Isidorus, origg. xix. 32. "*Samothracius* anu- "lus aureus est quidem, sed capitulo

Scilicet: atque eodem fertur, quo præcipitavit
Jam semel, et vacuam partem in conamina sumpsit.
1040 Fit quoque, ut a lapide hoc ferri natura recedat
Interdum: fugere, atque sequi, consueta vicissim.
Exsultare etiam Samothracia ferrea vidi;
Ac ramenta simul ferri furere intus ahenis
In scaphiis, lapis hic Magnes quom subditus esset:
1045 Usque adeo fugere a saxo gestire videtur
Ære interposito; discordia tanta creatur:
Propterea, quia nimirum prius æstus ubi æris
Præcepit, ferrique vias possedit apertas;
Posterior lapidis venit æstus, et omnia plena

"*ferreo:* a loco ita vocatus." Videas Harduinum, qui meminit Isidori, in notis ad Plinii locum, nat. hist. xxxiii. 6. p. 605. 3.

Ver. 1043. *Ac ramenta:* sic dilucide Δ. et hanc voculam Lucretius adamavit frequentavitque: eodem tendit O. cod. aberratio, *Aeramenta;* Σ. *Ferramenta;* cæteri, *Et ramenta.*—*ahenis:* Σ. Ω. *alienis;* ob magnam sane similitudinem formarum *li* et *h* in Longobardicâ scripturâ librariorum hic error in procinctu stetit.

Ibid. *furere intus ahenis.* Maro, Æn. vii. 464.

——————— costis undantis *aheni,*
Exsultantque *æstu* latices; *furit intus* aquæ vis.

Ver. 1044. *scaphiis:* Vind. Σ. *scaphis.*—*hic:* Heinsius, Advers. p. 190. *his;* sine caussâ, nec audiendus contra scriptos.—*Magnes quom,* vel *cum:* Vind. Ω. *Magne cum;* O. Δ. *Magnetum.*

Ver. 1047. *æstus aëris:* i. e. "aër soli-"cito motu ac fervore fluctuans;" conferas verr. 1032. 1033. 1036. 1037. 1051. 1062.

Ver. 1048. *Præcepit:* P. B. *Percepit;* minus apposite: V. ed. *Præcipit,* et, pro variâ lectione *percipit.*

Ver. 1050. *tranet:* Ω. *tramet.*—*ut:* O. Δ. *et.*

Ver. 1051. *fluctu:* i. e. *æstu,* ver. 1049. vel aëre agitato. Nonnulli voluere *flictu;* sed hasce divinationes, minus necessarias et importunas, contra codices, utcunque ingeniosas, receptis lectionibus etiam multo minus elegantes, putri tramâ non emerim.

Ver. 1052. *Ferrea texta:* P. Σ. *Terrea testa;* sed Pius nostram lectionem pro antiquâ agnoscit: V. ed. O. Δ. *Terreat exta;* Ω. *Terrea texta.* Voces eædem confunduntur ad Virg. geo. ii. 341. ob similitudinem *των F* et *T,* in majoris formæ characteribus: vide Drakenborchii notam, ad Liv. xxxii. 21. 1.—*respuit:* V. ed. *et exspuit.*

Ibid. *respuit.* Isidorus, origg. xvi. 4. "Est quippe et alius in Æthiopiâ mag-"nes, qui *ferrum* non ambit, sed *re-"spuit.*"

Ver. 1053. *quod:* i. e. "*per æs agitat* "id rei, vel ferrum, *quod, sine eo,* nimi-"rum ære, *sæpe resorbet,* vel attrahit." Nihil planius: editores tamen, perditæ compotes audaciæ, de suo, reclamantibus scriptis, reposuere *quæ:* neque temerarium commentum correctum est collatore negligentissimo Vindobonensi.

Ver. 1057. *raro:* Σ. *ratio.*—*cum* abest Ω.

Ver. 1058. *Pervolet:* V. ed. *Provolet.*

1050 Invenit in ferro; neque habet quâ tranet, ut ante:
Cogitur obſensare igitur, pulsareque fluctu
Ferrea texta suo: quo pacto respuit ab se,
Atque per æs agitat, sine eo quod sæpe resorbet.
Illud in hiis rebus mirari mitte, quod æstus
1055 Non valet e lapide hoc alias inpellere item res.
Pondere enim fretæ partim stant; quod genus, aurum:
Ac partim, raro quia sunt cum corpore, ut æstus
Pervolet intactus, nequeunt inpellier usquam:
Lignea materies in quo genere esse videtur.
1060 Inter utrasque igitur ferri natura locata,
Æris ubi adcepit quædam corpuscula, tum fit,

—*nequeunt:* O. *necnon.*—In sequente versiculo, V. ed. habet *Ligna.*

Ver. 1061. *tum fit:* P. Δ. *cum sic;* V. ed. vero, *cum sit.*

Ver. 1062. *eam:* Vind. O. Δ. Σ. Ω. *eum;* Q. *co;* V. ed. *cum.*—*Magnesia:* P. *magnetis;* Vind. *magnesi;* ut vulgo scribi solet.—*flumina:* P. *semina;* Vind. V. ed. B. O. Δ. *flumine.*—*saxi:* P. *faxit;* qui tamen rescribendum jubet in notis, *saxi:* reliqui omnes, *saxa.* Vulgo, *Magnesî semina saxi;* omnino male. Porro, Heinsius, ad Claud. idyll. v. 26. volebat, *Magnesî flamina saxi,* vel *Magnesia flamine saxa:* vanissimis conatibus.

Ibid. Lege, *Magnesia flumina saxi:* sic ver. 1051. *fluctu;* ἀποῤῥοιαι, *effluvia.* Et *Magnesia,* ut Virgilius: *Threïcia flumina Thermodontis,* non *Threïcii.* Noster: "Per *gentes Italas hominum.*" Statius: *Minoïa brachia tauri;* et *Gurgite Atlanteo pelagi;* Achill. i. 223. BENTLEIUS.

Hæc loci constitutio longe verissima est, ac Lucretianissima, si sic loqui liceat: uti solus omnium vir sagacissimus perspexit; quem valde mireris ideo ad Nicandri ther. 529.

Θρινακιην μεν ῥιζαν ἑλιν γυιαλθεα θαψω·

infeliciter jubentem scribi Θρινακιης. Formulam locutionis nosmet in superioribus sæpiuscule reddidimus illustratam: tu dicta videas ad i. 475. Aliud insuper exemplum apponemus ex Homero, Il. B. 54.

Βουλην δε πρωτον μεγαθυμων ἵζε γεροντων
ΝΕΣΤΟΡΕΗ παρα ΝΗΪ Πυληγενεος ΒΑΣΙΛΗΟΣ·

pro παρα νηϊ βασιληος Νεστορος. Huc etiam refer Od. Λ. 633.

Μη μοι ΓΟΡΓΕΙΗΝ κεφαλην δεινοιο ΠΕΛΩΡΟΥ
Εξ αϊδος πεμψειεν αγαυη Περσεφονεια·

et Euripidem, Phœn. 30. ubi vide scholia:

——————— ἡ δε των ΕΜΟΝ ΩΔΙΝΩΝ ΠΟΝΟΝ
Μαστοις ὑφειτο—.

Optima quædam exempla schematis dedit insuper Eustathius, ad Il. B. 54. Et hinc lepor poëticus Sophocli recuperandus est, ad Trachin. 508. editionis meæ:

ὁ μεν τν ποταμω σθενος ὑψικερω,
ΤΕΤΡΑΟΡΟΝ φασμα ταυρω·

ut citat Eustathius ad Il. Ψ. p. 1431, 1. ed. Bas. id observante etiam Brunckio. Vulgo, τετραορω. Sed harum formarum nemo elegantior est quin statim dicat utra sit librariis reddenda. Aliud insuper accedet Virgilianum, in geo. ii. 143.

Inpellant ut eam Magnesia flumina saxi.
Nec tamen hæc ita sunt aliarum rerum aliena,
Ut mihi multa parum genere ex hoc subpeditentur,
1065 Quæ memorare queam inter se singulariter apta.
Saxa vides primum solâ coolescere calce:
Glutine materies taurino jungitur unâ,

Sed gravidæ fruges, et *Bacchi Massicus humor*,
Inplevere——.

Animum autem advertas, quanto opere hoc schema in nominibus propriis dominetur. Addam denique, ut demerear lectorem plenius, castigatos versus Silii, Pun. xvi. 370.

Ipsum Ætola, vago Diomedi condita, Tyde
Miserat: exceptum *Trojanâ* ab *origine equorum*
Tradebant, quos Æneæ, Simoëntis ad undas,
Victor Tydides magnis abduxerat ausis.

Cæterum, librarii veteres, juxta cum recentibus criticis exquisitius dicendi genus minime callentes, illud *saxa* ex arbitrio sine controversiâ posuerunt in contextu.

Ver. 1065. *singlariter* P. sed non opus est in Lucretio.

Ver. 1066. *vides:* Vind. V. ed. O. Σ. Ω. *vide;* non male.—*coolescere:* P. Vind. O. Q. Δ. Σ. *coalescere;* forsan recte: V. ed. *calescere.*

Ver. 1067. *taurino:* Vind. Ω. *aurino;* Σ. quod idem est, *anrivo;* V. ed. *aurius;* O. *aurifio.*—*jungitur:* V. ed. *mergatur;* Σ. *mergitur.* Porro, temeritas editorum intrusit *ita* post *taurino*, contra universa, ni fallor, exemplaria vetera. Hoc autem schema tetigimus alicubi superius, et in animadversionibus ad Sophoc. Philoct. 808.

Ibid. *Glutine taurino.* De hoc consulas Plin. nat. hist. xxviii. 71. Eurip. Cretens. fragm. 2. et Polyb. vi. 21.

Ver. 1068. *venæ:* O. Δ. *vena.*—*tabularum:* V. ed. *rabulatum;* Ω. *tribularunt.*—*hiscant:* Δ. Σ. *hiscat.*

Ver. 1069. *laxare:* V. ed. *lapsare.*—*conpages:* Vind. V. ed. *compage:* syllabæ *ges taurea* desunt Δ.—*taurea vincla:* V. ed. B. *stamina munda;* Σ. *aurea vincla:* voces desiderantur in Vind. et, pro *vincla*, Δ. *gesta.* Ordo est: "Quam taurea vincla "queant laxare compages *suas.*"

Ibid. *hiscant*—*laxare conpages.* Huc Virgilius oculos convertebat ad Æn. i. 122.

——— *Laxis* laterum *conpagibus*, omnes
Adcipiunt inimicum imbrem, rimisque *fatiscunt.*

Nam *fatiscunt* valet, *abundanter hiscunt*, auctore Servio; quem adeas. Vetus onomasticon: "*Fatiscere*, χαινειν." Et rursus: "*Hisco*, χαινω."

Ibid. *laxare vincla.* Corippus, i. 32.

Nondum plena quies *vinctos laxaverat* artus.

Sic scribendum: libri, *victos.*

Ver. 1070. *in* abest Vind. V. ed. O. Q. Δ. Ω. unde mihi valde probabile videtur, Lucretium non aliter scripsisse, et *agüaï* quadrisyllabum posuisse.—*aquaï:* Vind. Δ. Ω. *aqua.* Voces *in aquaï funtibus audent* desiderantur in Σ.

Ibid. *latices audent.* His audacioribus ad inanimatam rem a vitali ductis translationibus abundat noster: vide v. 391. iv. 820. et quæ diximus ibid. ad ver. 246. Lambinus etiam bene laudat ver. 1190. hoc libro. Heynii judicium probo, sic animosius accipientis locum Virgilii, geo. ii. 215. quæ ratio nobismetipsis quoque dudum sponte complacita est:

Et *tophus* scaber et, nigris exesa chelydris,
Creta negant alios æque serpentibus agros
Dulcem ferre cibum, et curvas præbere latebras.

Conferas ibid. ver. 234. Claudian. in Ru-

Ut vitio venæ tabularum sæpius hiscant,
Quam laxare queant compages taurea vincla.
1070 Vitigenei latices in aquaï funtibus audent
Misceri, quom pix nequeat gravis, et leve olivum.
Purpureusque colos conchylii jungitur uno
Corpore cum lanæ, dirimi qui non queat usquam;

fin. ii. 8. Catull. iv. 2. 6. Virg. geo. ii. 332. ne plures locos excitem.

Ver. 1071. *leve:* Vind. V. ed. Σ. Ω. *lene.*

Ver. 1072. *colos:* Vind. O. Q. Δ. Σ. Ω. *color;* V. ed. *colcis;* ob facilem commutationem literarum *ci* et *o* minusculis in formis: B. *colus.*—*jungitur:* ita Pii quædam exemplaria, editt. Junt. et Ald. Vind. L. M. O. Q. Δ. Σ. Ω. vulgo, *mergitur:* V. ed. *megitur.*—*uno:* sic P. Vind. V. ed. O. Q. Δ. Σ. Ω. vulgo, *una;* sed, opinor, scriptis reclamantibus.

Ibid. *jungitur uno cum Corpore.* Dictum est elegantissime pro "Ita penitissime cum lanâ consociatur, ut duo "unum videantur corpus efficere." Miror editores τo *mergitur* antepoenentes contra plures ac meliores libros. Nec sane *mergitur una*, si bene sit Latinum, poëtæ mentem dilucide satis exprimit.

Ver. 1073. *lanæ:* Δ. *lana.*—*dirimi:* V. ed. *dirum;* eisdem literarum ductibus: Δ. *divum.*—*qui:* Σ. *quod.*

Ibid. Spiritu sublimiori locus est. Minus ornate sententiam Horatius declaravit, od. iii. 5. 27.

——— neque amissos *colores*
Lana refert, medicata fuco:

quem excepit Fabius, instt. orat. i. 1. "Nec *lanarum colores*, quibus simplex "ille candor *mutatus est*, elui possunt." —Forte, *fucatus* est, quum statim veniat *mutantur:* et *coloribus fucari* phrasis est probis auctoribus acceptissima, propiusque a Flacco, quem sibi rhetor utilissimus sumpsit exprimendum, absit.

Ver. 1074. *fluctu:* V. ed. B. O. Δ. Ω. *fluctus;* quam lectionem Pius etiam agnoscit, cum editt. Junt. et Ald. Sane cum *det*, quod exhibent Junt. O. nec Pius non alibi invenit, animosior evadit locus; fortasse tamen varietate constructionis, quâ gaudet opere summo noster, magis adjuvatur exornaturque. Ab Σ. totus versus exsulat, lineæ tamen spatiolo vacante.

Ibid. *renovare.* Hinc rectius constituas Vegetium, de re milit. iii. 10. fin. "Facilius autem est ad virtutem *novos inbuere*, quam *renovare* perterritos." Vulgo, *instruere* et *revocare:* sed in scriptis etiam *inbuere* comparet. Voces autem *renovo* et *revoco* passim librariis sunt confusæ.

Ver. 1075. *velit eluere:* Vind. Δ. *vivere;* V. ed. *velite vivere;* O. *late vivet*, vel *juvet;* Σ. *cite vivere;* Ω. *velit ejuvere;* qui videntur errores geniti similium lineamentorum numero, et literæ in *i* solenni conversione.

Ibid. *mare totum eluere.* De more luxuriat in hac ἐννοιᾳ Seneca, Herc. fur. 1323.

Quis Tanaïs, aut quis Nilus, aut quis, Persicâ
Violentus undâ, Tigris, aut Rhenus ferox,
Tagusve, Iberâ *turbidum* gazâ fluens,
Abluere dextram poterit? Arctoum licet
Mæotis in me gelida transfundat *mare*,
Et *tota Tethys* per meas currat manus,
Hærebit altum facinus——.

Ita scribendum dixerim in ver. 3. pro *turbidus*, propter *fluens*, ne obstante quidem Virgilio, geo. ii. 137. quem tragicus æmulatus est: imo, verissimam esse emendationem fidenter contenderim. Eadem paullo immutavit, ad Hippol. 715. sed exscribere per otium non licet. Ad-

Non, si Neptuni fluctu renovare operam des;
1075 Non, Mare si totum velit eluere omnibus undis.
Denique, et auro res aurum concopulat una,
Ærique æs plumbo fit utei jungatur ab albo.
Cætera jam quam multa licet reperire? Quid ergo?
Nec tibi tam longis opus est ambagibus usquam,
1080 Nec me tam multam heic operam consumere par est;
Sed breviter paucis præstat conprendere multa.
Quorum ita texturæ ceciderunt mutua contra,

dam tamen Claudianum, in Eutrop. ii. 22.

——————— Quis vos lustrare valebit
Oceanus? Tantum facinus quæ diluet ætas?

Cæterum, Lambinus opportune apposuit Catullum, lxxxviii. 5. ubi plura consimilia docti viri contulere, Græcosque fontes aperuere.

Ibid. *mare omnibus undis.* Virgilius, geo. i. 31.

Teque sibi generum *Tethys* emat *omnibus undis.*

Ver. 1076. Rei difficultas et cessatio scribarum me coëgerunt ad conjecturas invitum fugere. In Vind. V. ed. Q. Δ. versus ad hunc modum conspicitur exaratus:

Denique, res auro aurum *copulat* una:

toto pede claudicans. Pro *copulat*, L. M. O. Ω. habent *concopulat:* nec ultra foret disquirendum, si Lucretii consuetudo patienter in cæsurâ hiatum toleraret. Post *auro*, P. infert *fit uti;* sed, opinor, sine scriptis. Σ. præbet *tum copulat*, pro *cum copulat* haud dubie: toties commutata sunt *con* et *cum* in nostro. Non male Faber supplevit:

Denique, res auro *non* aurum *copulat* una?

Et aliter tentare possumus; sed satius est exemplaria castigatiora exspectare, quam frivolis ingenii lusibus indulgere. Saltem vulgata veritati adversantur, ac minime ferenda sunt:

Denique, res auro *argentum* concopulat una.

Ibid. *res una:* nimirum, *chrysocolla;* de quâ Plinius, nat. hist. xxxiii. 29. Isidorus, origg. xvi. 14. " *Chrysocolla* " gignitur in Indiâ, ubi formicæ eruunt " aurum. Est autem auro similis, et ha- " bet naturam Magnetis; nisi quod *au-* " *gere*" (lege, *jūgere;* i. e. *jungere*) " au- " rum traditur: unde et nuncupatur."

Ver. 1077. *Ærique æs:* P. *Æs æque;* Vind. Q. *Æraque;* V. ed. O. Δ. Σ. *Æra aquæ;* L. M. *Æruque æs;* Ω. *Æreaque:* Pius in quibusdam libris invenit, *Æreaque res.—jungatur:* V. ed. *nigatur;* eisdem ductibus cum *jūgatur:* hinc Σ. habuit *nigratur.*

Ver. 1080. *heic operam:* Σ. *operam hic.*

Ver. 1081. *præstat:* ita P. M. et Bentleius conjecturâ videtur hoc assecutus, adscripto Mantuani loco, Æn. i. 155.

——— Sed motos *præstat* conponere fluctus.

Exemplaria reliqua, *restat.—conprendere:* P. V. ed. O. Δ. Σ. *comprehendere;* nec nobis saltem in vetere poëtâ displicet.

Ver. 1082. *mutua:* Σ. *in mitia;* et mox *cana.*

Ver. 1084. *Hujusque:* Σ. *Cujusque.—hæc:* editores nequissimi, *horum;* omnium exemplarium antiquorum fide conculcatâ.

Ut cava conveniant plenis hæc illius, illa
Hujusque; inter se junctura hæc optuma constat.
1085 Est etiam, quasi ut annellis hamisque plicata,
Inter se quædam possint cop'lata teneri:
Quod magis in lapide hoc fieri, ferroque, videtur.
Nunc, ratio quæ sit morbis, aut, unde repente
Mortiferam possit cladem conflare coorta
1090 Morbida vis hominum generi, pecudumque catervis,
Expediam. Primum, multarum semina rerum

Ver. 1085. *plicata:* Vind. V. ed. O. Σ. et Ω. *placita.*

Ver. 1086. *cop'lata:* Sic Vind. V. ed. M. a secundâ manu; O. Q. Σ. Ω. *copulata;* et nescio an perperam.

Ver. 1087. *Quod:* M. *Quo;* et placet, hoc ordine verborum: "*Quo* magis *hoc* "videtur fieri—:" i. e. hæc res.—*lapide:* Ω. *lapidem;* unde malim rescribere:

Quo magis in *lapidem* hoc fieri, *ferrom*que, videtur.

—*hoc fieri:* O. *fieri hoc;* ut ultima syllaba in *lapide* vi cæsuræ porrigatur.—*fieri:* Vind. V. ed. Q. Δ. *ferri.*

Ver. 1089. *cladem:* Vind. L. O. Σ. Ω. *cratem;* et Heinsio non displicuit hæc scriptura, in Advers. iii. 1. p. 400. sed argutiæ tales minime omnium poëtam simplicissimum, Lucretium dico, sapiunt: V. ed. *creare;* Q. *cradem;* unde progressus erroris manifestus est.—*coorta:* Vind. V. ed. Σ. *coarta;* ut alibi peccatum, et infra ad ver. 1094. in V. ed.

Ver. 1090. *pecudumque catervis:* conferas infra, ver. 1142. Pariter Virgilius, Æn. xi. 456.

——— alto in luco quum forte *catervæ*
Consedere *avium*——.

Ver. 1092. *vitalia:* V. ed. Q. Σ. habent *ut alia.*

Ibid. *supra docui:* redi sis iv. 641. v. 897.

Ver. 1096. *Atque ea vis;* Vind. Σ. *Atque avis;* V. ed. *Atus anis.* Nonius, ii. 684. sub falso Lucilii nomine versum sine varietate lectionis laudat.—*pestilitas:* Vind. *pentilentas;* Ω. *pestilitilas.*

Ver. 1097. *intrinsecus:* i. e. *ex ipso aëre*, ver. 1095. qui subinde fit morbidus seminibus *extrinsecus* venientibus, sive *de terrâ*, ver. 1099. Nihil verius aut manifestius hac interpretatione loci; et sic diserte scriptum est in var. lectt. edit. Florent. Vind. L. O. Δ. Σ. Ω. Vulgo, *extrinsecus;* sed nullus dubito, quin ex intemperie vel negligentiâ editorum, contra libros vetustissimos: V. ed. *intus secus:* i. e. *intrīsecus; ri* et *u*, quod adsolent, commutatis.—*ut:* Ω. *in.*

Ver. 1098. *aut ipsâ sæpe:* Δ. *ipsa aut persæpe.*—*coorta:* Σ. *coarta.*

Ver. 1099. *putorem:* editores scelestissimi, *putrorem;* contra universos libros: etiam ineptissime, quum hæc dictio nihil ad Lucretii mentem faciat. Rem sic aliter exponit Virgilius, geo. iv. 49.

Aut ubi *odos cœni gravis*——.

—*humida:* Vind. V. ed. *munda;* facili deflexu ab *umida*, propter tot lineas consimiles.

Ver. 1100. *pluviis:* V. ed. Δ. Σ. *fluviis.*

Ibid. *terra pluviis icta.* Haud aliter Mantuanus, ad Æn. ix. 669.

Qualis, ab occasu veniens, *pluvialibus* Hædis
Verberat imber humum——.

Sed hæc jam dedimus ad v. 955.

Esse supra docui, quæ sint vitalia nobis;
Et contra, quæ sint morbo, mortique, necesse est
Multa volare; ea quom casu sunt forte coorta,
1095 Et perturbarunt cœlum, fit morbidus aër.
Atque ea vis omnis morborum, pestilitasque,
Aut intrinsecus, ut nubes nebulæque, superne
Per cœlum veniunt; aut ipsâ sæpe coorta
De terrâ surgunt, ubi putorem humida nacta est,
1100 Intempestivis pluviisque, et solibus, icta.
Nonne vides etiam cœli novitate, et aquarum,
Tentari, procul a patriâ queiquomque, domoque,

Ibid. *solibus icta.* Eratosthenes, apud Heraclidem Ponticum, de *zonis:*

Ἡ δὲ μια ψαφαρη τις, και εκ πυρος ΑΙΕΝ ερυθρη· ΤΥΠΤΟΜΕΝΗ ΦΑΟΓΜΟΙΣΙΝ—.

Ita certissime locus ille corrigendus. Vulgo, *οἷον.* Virgilius luculenter imitatus est, ad geo. i. 233.

Quinque tenent cœlum zonæ, quarum una corusco
Semper sole rubens, et torrida *semper ab igni.*

Ver. 1102. *patriâ domoque.* Sicuti Virgilius, ad Æn. vii. 122.

Heic *domus*, hæc *patria*, est.

Ver. 1103. *longe:* V. ed. *a longe;* Δ. *at longe.*—*discrepitant res:* ita Vind. L. M. O. Q. Ω. cum edd. Flor. et Ald. Vulgo, *discrepat aër;* contra scriptos, ut puto, ex arbitrio correctoris: V. ed. *discrepit acres;* quæ nostris non dissentiunt, si mutes *c* in *t*, et verba recte dispertiaris, *discrepitāt res:* longius proserpsit vitium in Δ. *discrepat acres;* et in Σ. *discrepat hæc res:* sed, in orâ codicis, *acres.*

Ver. 1104. *Britannis:* sic P. V. ed. L. M. O. Q. Δ. Σ. Ω. nonnulli volunt, *Britannum*, vel *Brittanidis;* importune, inscite, temeriter, indocte: Vind. *Brittannis:* sed propria nomina, quod sæpiuscule monuimus, indulgentiam numerorum flagitant, nec sunt ad morosiores regulas exigenda. Res exemplis innumerabilibus clarissime evincitur. Nec vulgatæ prætulerim equidem *Britanniis:* nam parum refert sive de *incolis* sermo fiat, sive de *regionibus;* nisi quod prior ratio doctior videatur, et reconditior.

Ibid. *discrepitant res:* eæ nimirum, quæ ad hanc soli versationem pertinent; *aër*, puta, *aquæ*, *soles*, *imbres*, *domi*, *cœlum.* —Bentleius nostram lectionem calculo suo donat, provocatque ad ii. 1017.

Ibid. *Britannis.* Vera lectio *BritannIs:* i. e. *Britanniis;* ut ver. 1106. *a Gadibus.*—Bentleius. Ὁ γιγραφα, γιγραφα. Libris standum est.

Ver. 1105. *quâ:* V. ed. *quia.* Et quidam, *Id quod;* indocte satis: similis est constructio ad iii. 8. et mox, ad ver. 1106. ubi temeritas editorum pariter grassata est. Hoc Bentleio placuisse perdolemus.

Ibid. *claudicat axis:* i. e. valde declinat a recto statu et deprimitur in horizontem; aliter atque fit borealium regionum incolis, de quibus sic Virgilius, geo. i. 242.

Hic *vertex* nobis semper *sublimis*——.

Ver. 1106. *et:* sic Vind. V. ed. O. Q. Δ. Σ. Ω. cum edd. Junt. et Ald. vulgo, *a;* sed certissime sine scriptis exemplaribus, quicquid Pius obstet, ac silentium Havercampi. "Quænam est differentia "cœli, quod in Ponto est, *et* cœli, quod "in Gadibus?"

Adveniunt? ideo quia longe discrepitant res.
Nam quid Britannis cœlum differre putamus,
1105 Et quod in Ægypto est, quâ mundi claudicat axis?
Quidve quod in Ponto est, differre, et Gadibus, atque
Usque ad nigra virûm percocto secla calore?
Quæ quom quatuor, inter se divorsa, videmus
Quatuor a ventis, et cœli partibus, esse;
1110 Tum color et facies hominum distare videntur
Largiter, et morbei generatim secla tenere.
Est elephas morbus, qui propter flumina Nili
Gignitur Ægypto in mediâ, neque præterea usquam.

Ibid. *Ponto.* Is *orientis* terminus. Ennius:

A *sole exoriente*, supra *Mæotis* paludes——.
BENTLEIUS.

Ver. 1107. *percocto:* editores, ad omne nefas animo pronissimi, de suo intulere, *percoctaque.*—*calore:* supra maluit, ver. 722. *colore;* æque bene. MSS. auctoritatem utrobique sequimur. Sua indoles sermonis, ac varietatis jucundæ studium laudabile, poëtæ concedenda sunt; nec temere novandum, ac licenter, nullo etiam cum fructu. *Calore* scilicet hic ponitur ad morem poëtarum pro *effectu* ejus. Nonnihil Seneca, Œd. 122. ad locutionem facit:

Promit heic ortus, aperitque lucem,
Phœbus; et *flammâ* propiore nudos
Inficit Indos.

Et *color* statim sequitur in Caro, ver. 1110.

Ver. 1108. *Quæ quom,* vel *cum:* P. *Quæquæ;* Vind. V. ed. Ω. *Quæcunque:* sed Pii codd. antiqui vulgatum dant.

Ibid. *quatuor divorsa, Quatuor a ventis.* Virgilius horum memor fuit ad geo. iv. 297.

——— et *quatuor* addunt,
Quatuor a ventis, obliquâ luce, fenestras.

Ver. 1110. *videntur:* P. V. ed. *videtur;* quod minus sapere correctorem indoctum puto: pluribus tamen libris obtemperavi.

Ver. 1112. *Est elephas morbus.* De hoc morbo consulas Seren. Samon. ver. 133. qui voces ipsas Lucretii excepit, Isidor. origg. iv. 8. Plin. nat. hist. Cels. et alios, quos longum esset perscribere; sed in primis Aretæum.

Ver. 1113. *Gignitur:* V. ed. *Unguitur.*—*Ægypto:* P. V. ed. *Ægypti;* Vind. Q. Ω. *Ægipta.*—*mediâ:* P. *medio;* minus erudite.

Ver. 1114. *Atthide:* Vind. *Atc;* V. ed. *Ac dudæ;* Δ. *At dudum;* Σ. *At dudæ:* ubi pretium operæ fuerit observare literas *thi*, vel *chi*, in *du* migravisse: quod Longobardicæ scripturæ multum in proclivi est.—*tentantur:* O. Ω. *tentatur;* nec male.—*in Achæis:* V. ed. Σ. Ω. *machæis.*

Ibid. *Atthide.* Sic Euripides, Iphig. Aul. 247.

——— ΑΤΘΙΔΟΣ δ' αγων
Ἑξηκοντα νηας ὁ Θησεως
Παις ἑξης εναυλοχει—.

Et puella Sapphûs, apud Ovidii epist. xv. 18. videtur a *patriâ* nomen habuisse:

Non oculis grata est *Atthis*, ut ante, meis.

Ibid. *tentantur gressus.* Virgilius, geo. ii. 94.

Atthide tentantur gressus, oculeique in Achæis
1115 Finibus: inde aliis alius locus est inimicus
Partibus, ac membris; varius concinnat id aër.
Proinde, ubi se cœlum, quod nobis forte venenum,
Conmovet, atque aër inimicus serpere cœpit;
Ut nebula ac nubes, paullatim repit, et omne,
1120 Quâ graditur, conturbat, et inmutare coactat.
Fit quoque, ut in nostrum quom venit denique cœlum,
Conrumpat, reddatque sui simile, atque alienum.

——————— tenuisque Lageos,
Tentatura pedes olim——.

Similiter Basilius, Anthol. Lat. iii. 85. 4.

Ut Venus enervat vires, sic copia vini
Et *tentat gressus*, debilitatque pedes.

Animadversiones ibi Burmanni consulas.

Ver. 1115. *locus est:* Vind. V. ed. Σ. *est locus.*

Ver. 1116. *varius:* P. Vind. V. ed. O. Δ. Σ. *variis;* et nescio an multo deterius.

Ver. 1117. *se:* deest V. ed.—*cœlum:* Δ. *cœli.*—*venenum:* sic M. vide superius verr. 820. 827. reliqui, *alienum;* præter Σ. qui dat *ab omni.* Porro, vulgo ponunt *est* ad finem versûs, contra veteres libros universos.—Mox Σ. *Commonet.*

Ver. 1118. *serpere:* ἕρπειν i. e. "*sen-*"*sim* promoveri." Fructuose veteres lexicographi in Ἕρπειν voce: quos adeas.

Ver. 1119. *Ut nebula:* V. ed. Σ. *Venubula;* Δ. *Ventilet;* Ω. *Venebula: t* cum *e*, ut fit in minusculis formis, mutatâ.

Ibid. *nebula ac nubes:* nam status aëris nebulosior pestem plerumque prævenire dicitur.

Ver. 1120. *conturbat:* Vind. V. ed. Q. Σ. *conturbas.*—*coactat:* Δ. *coaptat.* Ponitur autem absolute verbum *immutare*, pro *se immutare*, vel *immutari*, de solenni more Lucretii.—Mox abest *quoque* ab Σ.

Ver. 1122. *reddat:* Vind. Q. *reddet;* V. ed. *reddit:* quod malim, pleniore positâ distinctione ad *conrumpat;* quum hæc constructionis varietas Lucretianam indolem resipiat.

Ibid. *alienum:* vel *diversâ* ac dissentaneâ priori *naturâ*, vel incolis alienum et *inimicum.*

Ver. 1123. *Hæc:* V. ed. *Nec.*—*subito:* P. *subita*, eleganter; et alia sunt in Lucretio scrupulum, qui de numeris obmovetur, tollentia: V. ed. *subitur;* unde divinare liceat:

Hæc igitur *subit ut* clades nova——.

Vox omnino deest Nonii exemplaribus, laudantis versum ad ii. 684. et exhibentis *Hæ*, pro *Hæc.*

Ibid. *clades pestilitasque.* Ad ipsissima verba Thucydidis, in ii. 47. loco nobis statim diligentissime pertractando: — ου μεν τοι τοσουτος γε ΛΟΙΜΟΣ, ουδε ΦΘΟΡΑ ουτως ανθρωπων, ωδαμου εμνημονευετο γενεσθαι. Cicero, de div. i. 12.

Vitare ingentem *cladem*, *pestemque*, monebant.

Ver. 1124. *persidit:* Vind. V. ed. O. Δ. Σ. Ω. *persedit.*—Potest autem *persidit*, "penitissime et omnes per partes occu-"pare." Par est efficacia vocis in Virgilio, geo. iii. 442.

——————— ubi frigidus imber
Altius ad vivum *persedit*——.

Vox reddenda est poëmatio Anth. Lat. iv. 344. 12.

Nunc vero infernas sedes, Acherontis ad undas,
Tetraque Tartarei *persidere* tendo profundi.

Hæc igitur subito clades nova, pestilitasque,
Aut in aquas cadit, aut fruges persidit in ipsas,
1125 Aut alios hominum pastus, pecudumque cibatus;
Aut etiam subspensa manet vis aëre in ipso:
Et, quom spirantes mixtas hinc ducimus auras,
Illa quoque in corpus pariter sorbere necesse est.
Consimili ratione venit bubus quoque sæpe
1130 Pestilitas; etiam pigris balantibus ægros.
Nec refert, utrum nos in loca deveniamus

Libri dant, *per sidera.*

Ver. 1125. *hominum:* V. ed. *homini;* nec displicet.

Ver. 1127. *spirantes:* editi recentiores, *spiranteis;* vitiosissime. — *ducimus:* Σ. *dicimus;* sed vulgatum est in margine. Prius peccatum Bentleius quoque castigaverat.

Ibid. *ducimus auras:* i. e. *trahimus,* sorbemus, imbibimus, σπωμεν. Nitide Statius, Theb. ii. 404.

——————— et te jam tempus aperto
Sub Jove ferre dies, terrenaque *frigora* membris
Ducere——.

Ac sæpissime, sensu gradatim flexo, potestatem haud dissimilem feliciter exercet hoc vocabulum; sed cupidos exemplorum ad auxiliatus indicum remittimus.—Mox Ω. *corpore.*

Ver. 1130. *balantibus:* P. V. ed. *talaribus;* Vind. L. M. Q. Δ. Σ. Ω. *calantibus;* exemplaria quædam Pii, *halatibus;* i. e. *balātibus: h* et *b* facillime permutatis.—*ægros:* sic optime, ut *colos, honos, odos,* et similes antiquissimorum formulæ, Vind. V. ed. O. Δ. Σ. Ω. vulgo, *ægror:* P. *ægre.*

Ibid. *pigris:* i. e. tardis, et sibimet auxiliari parum valentibus. Hæc est autem librorum veterum constantissima lectio; quam tamen editores non dubitaverunt ejicere, ut *pecudum* invcherent: quo incepto quid audacius et scelestius? Sed enim Bentleius dictiones *etiam pigris* transpositas voluit, ut epithetum rediret ad *bubus:* memor utique, ut putem, Horatiani *bos piger,* epist. i. 14. fin. Sic Ovidius quoque, epist. xvi. 56.

Nec patulo *tardæ* carpitur ore *bovis.*

Sed, cum apud Græcos etiam ανηρ προβατωδης pro *ignavo* et *tardiusculo* in proverbium abierat, nihil mutem equidem invitis libris. Adi Juv. sat. x. 50.

Ibid. *balantibus:* signate, propter frequentissimos hoc potissimum tempore ejulatus. Hoc non latuit Virgilium, in geo. iii. 554. divinis omnino versibus:

Balatu pecorum, et crebris *mugitibus,* amnes
Arentesque *sonant* ripæ, collesque supini.

Nec minor proprietas vocis ibid. i. 272.

*Balantum*que gregem fluvio mersare salubri.

Nam, inter lavandum, clamorem incontinentem semper solent oves mittere. Tanti refert, an cum judicio voces adhibeantur.

Ver. 1131. *in loca deveniamus.* Eleganter sine præpositione Mantuanus, Æn. i. 365.

Devenere locos, ubi nunc——.

Ver. 1132. *advorsa:* P. *ab diversa;* V. ed. Ω. *ad diversa;* Δ. *diversa.*—*mutemus:* Σ. *mittemus.* Minime displicet cod. O. scriptura:

Nobis adversa, et *cœlum* mutemus *amicum.*

Vind. etiam exhibet *amicum:* sed recepta

Nobis advorsa, et cœli mutemus amictum;
An cœlum nobis ultro natura coruptum
Deferat, aut aliquid, quod non consuevimus uti;
1135 Quod nos adventu possit tentare recenti.
Hæc ratio quondam morborum et mortiferæ vis

tamen lectio doctior videtur, atque a vulgari gustu longe remotior.

Ibid. *cœli amictum.* Poëticæ est audaciæ locutio: phrasem adhibuit modestiorem ad i. 987. "cœli *tegmine.*" Felicior est, me judice, noster Popius, et elegantior:

My footstool, Earth; my *canopy*, the *Skies.*

Plura reperies apposita ad v. 201.

Ver. 1133. *ultro:* Vind. V. ed. Δ. *intro;* M. O. Ω. *vitio;* inepte utrumque. Nihil verius aut aptius receptâ voce. *Ultro* scilicet "sine nostrâ operâ et pere-"grinatione de loco in locum."—*coruptum:* ita Σ. quam proxime Q. *corumptum;* L. M. *corrumptum;* reliqui universi, *corruptum.* Nihil temere novandum puto, quum minime liqueat, hanc licentiam vetustis poëtis in hac etiam voce, ut similiter in multis aliis, non fuisse concessam. Editores reponunt ex arbitrio, *cruentum:* quo quid incertius, vanius, et ab omni parte minus commodum, fingi possit, nullus video. Hujuscemodi nugis vel corruptissimas scriptorum lectiones præferendas arbitror. Bentleius conjecit, *alienum.*

Ver. 1134. *quod:* sic P. V. ed. doctius, de antiquorum more; vulgo, *quo.* Sic alii sæpius: videas autem Arntzenii notas in Plinii paneg. iv. 1. nam trita res est.

Ver. 1135. *tentare:* Vind. V. ed. *temptari.*

Ver. 1136. *mortiferæ vis.* Sic ausus sum ex ingenio rescribere: et conjectura est, ut mihi saltem videtur, valde probabilis, idoneisque rationibus subnixa. P. O. *mortifer æstus;* optime, si scriptis hæc lectio inniteretur: sed importatam putem ex Virg. geo. iii. 479. Sane Macrobii auctoritas rem confecisset, non aliter citantis versum in Sat. vi. 2. si fide satis ad codd. scriptos ille liber exactus videretur, et membranæ Lucretii vetustissimæ sincerissimæque paterentur.—Vind. *mortifere;* V. ed. Q. *mortiferæ;* L. M. Ω. *mortiferai.* Similiter turbant libri ad Virg. Æn. vii. 464. inter *aquaï* et *aquæ vis.* Cæterum, quod diligentissime notandum est, vix unus et alter locus exstat in Lucretio, ubi *vis, vim,* vel *vi,* versum claudat, quin egregia quædam corruptela membranis insideat: videas hoc libro verr. 324. 549. 999. 1220. et Oudendorpii not. 2. ad Jul. Obs. cap. cxx. nec credibile est librarios corrupturos scripturam *mortifer æstus* primitus conspectam in membranis. Δ. habet *mortifer aër;* uti Vossius divinaverat: non prorsus male, sed hoc tempore, si præcedentia perpendas, frigidiuscule: Σ. *mortiferorum.* Syllabas *æ* et *aï* passim confusas vidimus. Plinius, nat. hist. xx. 76. de *papavere:* — "non *vi* soporiferâ modo, "verum—etiam *mortiferâ*—."

Ver. 1137. *in Cecropiis.* Extra controversiam jacet hæc scriptura: vulgo *in* omitti solet. Macrobius, P. L. M. Q. Δ. *in Cecropis;* nobis suffragantur Vind. V. ed. Ω.

Ibid. *funestos reddidit:* i. e. *funeribus,* sive cadaveribus, *replerit.* Lucius Ampelius, cap. xlii. "Marius, septies consul "creatus, sævissimis *cædibus* totam *urbem* "*funestavit.*" *Agros* autem Lucretii sui longe sublimius extulit Virgilius, ad geo. iii. 476.

——————— desertaque *regna*
Pastorum, et longe *saltus,* lateque, vacantis.

Finibus in Cecropiis funestos reddidit agros,
Vastavitque vias; exhausit civibus urbem.
Nam penitus, veniens Ægypti finibus, ortus,
1140 Aëra permensus multum, camposque natanteis,
Incubuit tandem populum Pandionis omnem:

Ver. 1138. *exhausit:* Ω. *exausis;* unde tentare possis cum perexiguâ literarum mutatione:

Vastavitque vias, *exhaustis* civibus *urbe:*

ut vocabulum *vias* ad *urbe* redeat. Conferas autem velim Virg. Æn. ii. 332. 364.

Ibid. *Vastavit vias.* Arnobius, lib. vii. p. 244.—" civitatem occœpisse *pestilentiâ* " *vastari.*" Consignatissima est quoque harumce calamitatum descriptio Gelliana, ii. 1. " In illius etiam *pestilentiæ vasti-* " *tate*, quæ in belli Peloponnesiaci prin- " cipiis ipsam *Atheniensium civitatem* in- " ternecino genere morbi *depopulata est.*" Cæterum, distinctionem paullo pleniorem τῷ *vias* apposui: nam voces *agros* ac *vias* significant *colonias suburbanas; urbem* rursus, *Athenas* ipsas. His opitulabitur Seneca, Œdip. 110.

Occidis, Cadmi generosa proles!
Urbe cum totâ: viduas *colonis*
Respicis terras, miseranda Thebe!

Ibid. *exhausit civibus urbem:* ut Sophocles itidem de *peste*, Œd. T. 29.

Ὑφ' οὗ κενεται δωμα Καδμειον—.

Novâ translatione rem conata est exornare Virgilii majestas, ad Æn. viii. 570.

——————— tot ferro sæva dedisset
Funera, tam multis *viduasset civibus urbem.*

Apposite Statius, et magnifice, silv. iii. 5. 72.

Non adeo Vesuvinus apex, et flammea diri
Montis hyems, trepidas *exhausit civibus urbes.*

Verum enim hic rescribendum dico:

——————— trepidas *exussit* civibus urbes:

i. e. κατεκαυσεν αυτανδρους πολεις· *flammis consumpsit;* longe longeque elegantius: vide notas supra, ad ver. 589. Voces autem *exustus* et *exhaustus* confusæ sunt ad Lucan. ix. 964. Sil. Ital. x. 379. ubi consulas Drakenborchium. Idem Papinius in transitu emendabitur, ad Theb. xi. 274.

Urbem, armis opibusque gravem, et modo *civibus* artam,
Cœu, cœlo *demissa*, lues, inimicave tellus,
Hausisti——.

Vulgo, *dimissa.* Confer ibid. vii. 25. Sil. Ital. viii. 405. Lucan. viii. 253. Sidonius Apollinaris, v. 588. ita de *tellure* quâdam:

——————— bove, fruge, colono,
Civibus, exhausta est——.

Porro, nobilissimos hic sane versus nobis profudit divini poëtæ nostri pectus; meo tamen judicio, palma deferenda est prægnanti Manilianorum sublimitati, ad i. 882.

Qualis Erechtheos pestis populata colonos
Extulit antiquas per funera pacis Athenas.

Quantum simplice disticho complexus est!

Ver. 1139. *finibus:* editores, *e finibus;* libris vetustis renuentibus: satis impudenter, atque pro imperio.—*ortus:* P. *orcus;* Δ. *orchus.*

Ibid. Ordo est: *Nam, ortus penitus;* i. e. penitissimis et abditis retro terræ partibus, *Æthiopiâ* scilicet, originem habens; *veniens* autem statim ex *Ægypto* in Atticam. Sic dux Thucydides, ii. 48. Ηρξατο δε το μεν πρωτον (ἡ νοσος), ὡς λεγεται, ἐξ Αιθιοπιας της ὑπερ Αιγυπτου· ἐπειτα δε και ἐς Αιγυπτον και Λιβυην κατεβη.—Conferas

Inde catervatim morbo, mortique, dabantur,
Principio, caput incensum fervore gerebant;
Et dupliceis oculos subfusâ luce rubenteis.

Plutarch. de ser. vind. num. p. 558. E. Servium, ad Virg. geo. iii. 478. Max. Tyr. diss. xiii. 4. (quem Lambinus quoque laudat) et diss. xix. 9. Nec opportunos tamen Marii Victoris versus pigebit coram lectoribus stitisse, in Gen. iii. 263.

Non secus, *Æthiopum* ferventibus excita terris,
Nubila morborum, corrupto tramite cœli,
Dum currunt, quisquis percussum fulmine leti
Ingemuit, simul ipse ruit; quicunque cadentem
Conspexit, cecidit: congestaque funera passim
Dira lues stravit, camposque reliquit inanes.

Quæ profecto, cum elegantiâ minime vulgari, post Lucretium ac Maronem variantur. Rectius autem distinxi locum.

Ver. 1140. *permensus campos natanteis:* redi ver. 404. Etiam Virgilius, Æn. iii. 157.

Nos tumidum sub te *permensi* classibus *æquor*.

Et lectissimis verbis malum, longissime et pedetentim veniens, felicique cum solertiâ, noster depinxit. Lucem commodabit Ammianus Marcellinus, xix. 4. verba Lucretii adumbrans:—" clades illa, " quæ, in Peloponnesiaci belli principiis, " Athenienses acerbo genere morbi vexa- " vit, abusque ferventi *Æthiopiæ* plagâ, " paullatim proserpens, Atticam occu- " pavit."

Ver. 1141. *populum*, sive *populom*, i. e. *populō*, *omnem*. Ita scripsimus ex divinatione minime omnium in controversiam vocandâ. Vulgo:

Incubuit tandem *populo* Pandionis: *omnes*—.

Sed simplex dictio dissyllaba poëtis post tam longam sensûs pausam ingratissima est, de exquisitissimâ magni Bentleii observatione in notis ad Lucanum. Cæterum, *omnem* diserte scriptum est in Vind. L. M. Σ. Ω. optimis codicibus: P. *omni;* V. ed. *oranem;* tribus scilicet ductibus literarum *ra* non ægre tot lineas elementi *m* exprimentibus: Q. *omne;* i. e. *omnē:* O. *omen;* Δ. *in omnes:* et Pius affirmat quosdam codd. habere *omnes*. Simile autem est huic nostri regimen in Plauto, Cas. ii. 4. 29.

——— gladium faciam culcitam,
*Eum*que *incumbam*——:

et in Lucilio apud Nonium, ix. 19.

Suspendatne se, an *gladium incumbat*——.

Hinc, certo certius, ad unius codicis scripturam, medicina facienda est versiculo Virgilii, maxime perturbatâ, ut nunc legitur, et obscurâ constructione, Æn. x. 894.

—— effusumque equitem super ipse secutus
Inplicat, *ejectum*que *incumbit* cernuus armo.

Vulgo, *ejecto:* i. e. *ejectō*, *ejectom*.

Ibid. *Incubuit populum Pandionis*. Thucydidis vocem repræsentat, l. c.— ἐς δὲ τὴν Ἀθηναίων πόλιν ἐξαπίναιος ΕΝΕΠΕΣΕ. Orosius, i. 10. " Infanda " Ægyptiis *mala* atque intolerabiles pla- " gas *incubuisse*, Pompeius Corneliusque " testantur."

Ver. 1142. *catervatim morti dabantur*. Virgilius hinc excepit dictionem, geo. iii. 556.

Jamque *catervatim* dat stragem——.

Homerum secuti sunt uterque, ad Il. A. 382.

Ἦκε δ' ἔπ' Ἀργείοισι κακὸν βέλος· οἱ δὲ νυ λαοὶ
ΘΝΗΣΚΟΝ ΕΠΑΣΣΥΤΕΡΟΙ.

Νυ autem valet, ἄρα· *igitur*, ob hanc caussam; *missum telum* scilicet. Editores vim particulæ non perspexere. Arnobius, l. c. ad ver. 1138.—" Cumque dies ad- " deret malum malo gravius, *catervatim* " et populus interiret—." Etiam Orosius non incommode advocabitur, hist. iii.

1145 Sudabant etiam fauces, intrinsecus atræ,
Sanguine; et ulceribus vocis via sæpta coibat:
Atque, animi interpres, manabat lingua cruore,

10. " Erat utique fedus ille ac pestilens " annus; *infinitæ*que jam undique *cater-* " *vatim* strages *aggerebantur.*" Sic haud dubiis castigationibus emaculandus est: libri dant *inflictæ* vel *impletæ*, et *egerebantur.* Mox ad cap. xii. habet *immensas strages;* et posteriorem emendationem liquit non ambigendam Virgilius, quem voluit exprimere sectator in hoc thesauro poëticarum elegantiarum diligentissimus; l. c.

Jamque *catervatim* dat *stragem*, atque *adgerat* ipsis
In stabulis turpi dilabsa cadavera tabo.

Thucydides hoc modo, l. c.—νεκροι επ' αλληλοις αποθνησκοντες εκειντο.

Ver. 1143. *caput gerebant:* i. e. ειχον, habebant; ut alibi. Virgilius, Æn. vi. 772.

Atque umbrata *gerunt* civili *tempora* quercu.

Nec Ovidium tibi, lector! invidebimus, ad fast. ii. 299.

Sub Jove durabant, et *corpora* nuda *gerebant:*

neque Horatium, od. i. 8. 10.

——— neque jam livida *gestat* armis
Brachia———.

Thucydides, l. c.—πρωτον μεν της κεφαλης θερμαι ισχυραι·—et mox:—διεξηει γαρ δια παντος τυ σωματος, ανωθεν αρξαμενον, το εν τη κεφαλη πρωτον ἱδρυθεν κακον.

Ver. 1144. *rubenteis:* V. ed. et scripti mei, *rubentes;* ut constructio sit, " *rubentes* " *etiam* quoad duplices oculos;" cum casu recto participii. Sic Thucydides, ubi supra:—και των οφθαλμων ερυθηματα, και φλογωσις ελαμβανε.

Ibid. *oculos subfusâ luce rubenteis:* i. e. rubrâ luce suboriente, ac se spargente. Ita fere Q. Curtius, iv. 10. 2. de lunâ eclipsin passâ: " *Sanguinis colore suffuso* " lumen omne fedavit." Ubi doctos viros, *suffusa* conjectantes, vel Lucretius arguerit. Dictys Cretensis, ii. 26.—" *suf-* " *fusis*que cum mœrore lacrymis—:" i. e. se suffundentibus. Breviter Virgilius, geo. iii. 505.

Tum vero *ardentes oculi*——.

Cæterum, universæ huic descriptioni multam adsperget lucem Seneca, Œd. 182.

——————— ægro
Rubor in vultu, maculæque caput
Sparsere leves: tum vapor ipsam
Corporis arcem flammeus urit,
Multoque genas sanguine tendit;
Oculique rigent, et sacer ignis
Pascitur artus: resonant aures,
Stillatque niger naris aduncæ
Cruor, et venas rumpit hiantes.
Intima creber viscera quassat
Gemitus stridens——.

Ver. 1145. *fauces:* Σ. *fontes.*—*atræ:* P. *atro;* quod inscite placitum est editoribus: V. ed. *acre;* de usitatissimâ elementorum *c* et *t* confusione. Sic Virgilius, Æn. ii. 272. *ater cruento pulvere;* et alibi similiter: magis tamen ad priorem scripturam, in geo. iii. 507. se gessit, quamvis aliâ de ratione constructionis, hos Cari versus sibi sumens imitandos:

——————— it naribus *ater*
Sanguis, et *obsessas fauces* premit *aspera lingua.*

Ibidem Græcus ille:—και τα εντος, ἡ τε φαρυγξ και ἡ γλωσσα, ευθυς αἱματωδη ην—.

Ibid. *Sudabant Sanguine:* redi sis v. 1128.

Ver. 1146. *vocis:* Δ. Σ. *notis;* commutatione multum facili.

Ibid. *vocis via sæpta.* Virgilius, Æn. vii. 534.

—— hæsit enim sub gutture volnus, et udæ
Vocis iter tenuemque inclusit sanguine vitam.

Hinc eleganter Heinsius tentabat ibid. xi. 150.

Debilitata malis, motu gravis, aspera tactu.
Inde, ubi per fauces pectus conplerat, et ipsum
Morbida vis in cor mœstum confluxerat ægris;
Omnia tum vero vitaï claustra lababant.
Spiritus ore foras tetrum volvebat odorem,
Rancida quo perolent projecta cadavera ritu:
Atque animi prorsum vires totius, et omne
Languebat corpus, leti jam limine in ipso:
Intolerabilibusque malis erat anxius angor

Et *via* vix tandem *vocis* laxata *dolori* est.—

Verum vulgata tamen, *voci Dolore*, exquisitiora et doctiora puto; magis etiam poëtica, quum prosopopœïa sit in *Dolore*. Nihil igitur egomet ibi mutandum censeo.

Ver. 1147. *animi interpres lingua.* Hinc forsitan Horatius, art. poët. 111.

Post effert *animi* motus *interprete linguâ*.

Ver. 1148. *aspera tactu:* Σ. autem, *asperat actu.*

Ibid. *lingua aspera tactu.* Pulchre simili in re Ovidius, met. vii. 554.

Viscera torrentur primo, flammisque fatiscunt:
Indicium rubor est, et ductus anhelitus igne.
Aspera lingua tumet; trepidisque arentia venis,
Ora patent; auræque graves captantur hiatu.

Sic libri scripti: menda est in *ductus*, ver. 2. quæ meum acumen ludit. Heinsianas lectiones non probo. Adjuvabit etiam Lucanus, iv. 325.

——————— torrentur viscera flammâ;
Oraque sicca rigent, *squamosis aspera linguis.*

Ver. 1149. *per fauces:* Ω. *jam fauces;* O. autem *fauces et;* ad complendos numeros: nam *per* deest Vind. V. ed. Δ. Σ. Dant *fauces,* Vind. V. ed. Q. nec secus, ut quovis pignore contenderim, omnes scripti; nam editum est vulgo, *fauceis.*

Ver. 1150. *Morbida vis in cor confluxerat.* Thucydides, ubi supra: Και εν ᾳ πολλῳ χρονῳ καταβαινειν ες τα στηθη ὁ πονος, μετα βηχος ισχυρᾳ· και, ὁποτε ες την καρδιαν στηριξαι—.

Ver. 1151. *tum:* O. Δ. *cum.—vitaï:* Vind. *vita;* V. ed. *vitæ;* Q. *ita.*

Ibid. *vitaï claustra lababant.* Elegantior hac locutio, et translatio felicior, nusquam legitur. Proprie Mantuanus, Æn. ii. 492.

——————— nec *claustra*, neque ipsi
Custodes, subferre valent: *labat* ariete crebro
Janua, et emoti procumbunt cardine postes.

Verbum redonemus J. Obsequenti, de prodigg. cap. cxx. "Pontes interrupti: "ripæ *labantes* fluminis in aquam pro-"volutæ." Libri, *labentis;* quod factum est editorum crux.

Ver. 1152. *tetrum odorem.* Sic etiam Virgilius, ad Æn. iii. 228.

——— tum vox *tetrum* dira inter *odorem.*

Ibid. *volvebat odorem:* conferas iv. 679. Sic Thucydides ibidem:—και πνευμα ατοπον, και δυςωδες, ηφιει—.

Ver. 1153. *Rancida quo:* V. ed. Ω. *Rancidaque;* O. *Rancida quæ;* Δ. *Rancida quæ et.—perolent:* Ω. *pervolent.*

Ibid. *projecta,* ερριμμενα· Ælian. ann. i. 28.

Ver. 1154. *totius et:* O. Δ. *et totius;* sed abest *et* ab Vind. L. M. Q. Ω. unde probabile est, voculam quandam similibus literis absorptam periisse. Forte:

Utque animi prorsum *tum* vires totius, omne
Languebat corpus——.

Adsidue comes, et gemitu conmixta querela:
Singultusque frequens noctem per sæpe, diemque,
Conripere adsidue nervos et membra coactans,
1160 Dissolvebat eos; defessos ante fatigans.
Nec nimio quoiquam posses ardore tueri
Corporis in summo summam fervescere partem;
Sed potius tepidum manibus proponere tactum,
Et simul, ulceribus quasi inustis, omne rubere
1165 Corpus, ut est, per membra sacer quom diditur ignis.

Et an scrupulum librariis injecerit secundæ syllabæ in vocabulo *totius* quantitas? vide supra, ver. 652. Ovid. trist. v. 2. 22.

Ver. 1155. *leti limine:* V. ed. *læti lumine.*

Ibid. *Languebat corpus.* Virgilius, geo. iv. 252.

——— tristi *languebunt corpora morbo.*

Ibid. *leti jam limine ipso.* Idem, in Cul. 223.

Restitui superis *leti jam limine* ab *ipso:*

quemadmodum Silius Italicus, v. 423.

Ver. 1156. *malis:* Vind. V. ed. Σ. *malis alius.* Unde an sic scripserit Lucretius?

Intolerabilis atque aliis erat anxius angor
Adsidue comes——.

Classicum locum Thucydidis ibid. non contulerunt viri docti: Δεινοτατον δε παντος ην τυ κακυ, ἡ τε αθυμια, ὁποτε τις αισθοιτο καμνων· προς γαρ το ανελπιστον ευθυς τραπομενοι τη γνωμη, πολλω μαλλον προϊεντο σφας αυτυς, και υκ αντειχον——.

Ver. 1157. *gemitu—Singultus.* Virgilius, geo. iii. 506.

Spiritus interdum *gemitu* gravis; imaque longo
Ilia *singultu* tendunt——.

Ver. 1158. *Singultus frequens.* Ita Nicander, ther. 434.

——— λυγμοισι βαρυνομενοι θαμεεσσιν.

Ibid. *noctem per sæpe:* sic magis placet, quam de vulgari ratione; conjunctis nimirum vocibus, *persæpe:* et Lucretium sapit, sic solitum præpositionem de Græcorum consuetudine locare.

Ibid. *Singultus Conripere membra coactans.* Thucydides, l. c.—λυγξ τε τοις πλειοσιν ενεπιπτε κενη, σπασμον ενδιδυσα ισχυρον——. Mox Δ. *coarctans.*

Ver. 1160. *Dissolvebat eos:* viribus utique propter artuum nervorumque relaxationem dissipatis.

Ibid. *defessos ante fatigans.* Enim vero mirâ verborum cumulatorum efficaciâ miserorum ærumnas incendit noster, solitâ cum ubertate ac vigore phrascos, in quibus nemini secundus est. Eleganter etiam Dictys Cretensis, ii. 30. flores sermonis lectissimi pulcherrimos undique decerpens: "Tum vero vis magna mortalium, corporibus *fatigatis* pestiferâ ægritudine, infando ad postremum exitio interibant." Adeas eundem i. 19. cui ad ii. 33. ita menda longe fedissima abstergenda est: "Vis mali leniri paullatim visa, neque amplius attentari corpora; et eorum, qui ante *fatigabantur,* tanquam *spirato* divinitus levamine, relaxari." Editur *sperato,* sine probabili sensu. Confer Ovid. epist. xxi. 14. Sedul. iii. 37. et alios.

Ver. 1161. *Nec nimio ardore*——. Thucydides, ad l. c.—και το μεν εξωθεν ἁπτομενῳ σωμα υκ αγαν θερμον ην——: vide sequentia sub ver. 1164.

Intima pars hominum vero flagrabat ad ossa;
Flagrabat stomacho flamma, ut fornacibus, intus:
Nihil adeo posses quoiquam leve tenueque membris
Vortere in utilitatem: ad ventum et frigora semper,
1170 In fluvios partim gelidos, ardentia morbo
Membra dabant, nudum jacientes corpus in undas.

Ver. 1163. *potius:* V. ed. Σ. Ω. *totius;* Δ. *totis.*

Ver. 1164. *inustis:* Vind. Ω. *muscis;* Σ. *mistis.*—*rubere:* V. ed. *rubere.*

Ibid. *ulceribus rubere.* Sic Thucydidis oratio continuatur:—ωτε χλωρον, αλλ' ὑπερυθρον, πελιδνον, φλυκταιναις μικραις και ἑλκεσιν εξηνθηκος.

Ver. 1165. *ut:* Vind. Δ. Σ. *in;* V. ed. *vi;* O. Ω. *uti;* nec deterius.

Ver. 1166. *hominum:* V. ed. *homini;* quemadmodum *i* et *u* ad finem dictionum sæpiuscule confunduntur. Sic in numero multitudinis noster locutus est ad verr. 1143. 1150. 1160. Pro *Intima*, Bentleius voluit *Intera*, me caussam nesciente.—*ad ossa:* P. *adesa.*

Ibid. *Intima pars flagrabat*—. Thucydides ita rem persequitur:—Τα δε εντος οὑτως εκαιετο, ὡστε μητε των παυ λεπτων ἱματιων και σινδονων τας επιβολας, μητ' αλλο τι, η γυμνον, ανεχεσθαι—. Quæ Naso, l. c. breviter complexus est:

Non stratum, non ulla pati velamina possunt.

Ibid. *flagrabat ad ossa.* Orosius, ii. 12. "Gravis *pestilentia*—per universam civi-"tatem violenter *incanduit;*—quando ca-"put gentium tanto *morborum igne fla-"gravit.*" Et Seneca de peste, Œdip. 37.

Non aura gelido lenis afflatu fovet
Anhela flammis corda——.

Anhela utique, ut ignis fornacum, follibus exspirans; ad morem nostri in versiculo statim insequente, ac Maronis, Æn. viii. 421.

——— et *fornacibus* ignis *anhelat:*

qui ad geo. iv. 263.

Æstuat ut clausis rapidus *fornacibus* ignis;

mihi suspicionem haud levem incutit nostrum inde esse eleganter reformandum:

Flagrabat stomacho flamma, ut fornacibus *ignis.*

Ver. 1167. Pulchra hæc est et ornata amplificatio, omnia vividius depingens, et mori Lucretiano perquam consentanea. Demiror Lambinum et Fabrum, pro spurio totum versum ejicere cupientes.

Ver. 1168. *Nihil:* sic V. ed. Σ. vulgo, *Nil.*—*posses:* V. ed. *possis;* editores, contra libros universos, *posset:* stolidissime. *Posses* autem, αν ἰδυνασω· "*tutemet* utique, "si adfuisses." Nihil pulchrius, suavius, et evidentius: committas ver. 1266. Ita solet poëtarum princeps lectoris animum excitare. Exemplo sit Il. E. 85. celebratissimus locus, et constructus, ut iii. 1052. supra:

Τυδειδην δ' εκ αν ΓΝΟΙΗΣ, ποτερωσι μετειη·

quem sane non erat execors adeo Virgilius ut sequi renutaret, ad Æn. viii. 691.

——— pelago *credas* innare revolsas
Cycladas——.

Hanc προςφωνησιν luculenter declaravit alicubi Donatus in Terentii vel Andriâ vel Eunucho: locus ipsissimus memoriâ effluxit meâ.—*leve:* Vind. V. ed. Σ. *lene.*

Ver. 1169. *Vortere in:* Vind. L. O. Q. Σ. Ω. *Verteret;* V. ed. *Vertere;* M. *Vertere et.* Nempe, in scripturâ *Vertere ī*, illud *i* partim in *t*, quod adsolet, migravit; partim similibus literarum ductibus in sequente vocabulo interceptum est.—Pro *semper*, Bentleius proponebat *partim;* sed probabilitate destituitur hæc emendatio. Distinctionibus aliter ordinatis nos ob-

Multei præcipites nymphis putealibus alte
Inciderunt, ipso venientes ore patente:
Insedabiliter sitis arida, corpora mersans,
1175 Æquabat multum parvis humoribus imbrem.
Nec requies erat ulla mali: defessa jacebant
Corpora; mussabat tacito Medicina timore:

scuritate locum liberavimus. Ordo est: "Semper dabant membra ad ventum, "partim in fluvios."—Denique, Vind. Q. habent, *frigore*.

Ver. 1170. *gelidos:* V. ed. *cœli dos:* Δ. *calidos*.

Ibid. *ardentia morbo Membra:* ut in sepulcrali carmine non invenusto, apud Gruter. p. 340.

Ussere *ardentes* intus mea viscera *morbi*,
Vincere quos medicæ non potuere manus.

Sic autem Thucydides, l. c.—ἡδιστα τε αν ες ὑδωρ ψυχρον σφας αυτυς ῥιπτειν· και πολλοι τυτο των ημελημενων και εδρασαν ες φρεατα, απαυστῳ τῃ διψῃ ξυνεχομενοι. Tenebricosas autem hoc genus constructiones illustrare et admirari nosmet aliis relinquimus, candidioribus delectati.

Ver. 1171. *dabant:* Vind. V. ed. Σ. Ω. *dabunt.*—*jacientes:* Ω. *jacentes*.

Ver. 1172. *nymphis:* sic V. ed. L. M. quos auscultandos habuimus: vulgo, *lymphis*. Editoribus Lucretianis profecto nec satis inerat venustatis, nec antiquorum leporum veneratio.—Cæterum, hic versus postponitur ver. 1176. in P. Δ. Σ. Ω.

Ver. 1173. *ipso venientes ore patente.* Γραφικως, ut nihil supra. Curtius etiam videtur æmulari voluisse, ad iv. 7. 14. "Pro se quisque excipere eum (imbrem): "quidam, ob sitim impotentes sui, *ore* "quoque *hiante* captare cœperunt."

Ver. 1174. *sitis:* Vind. V. ed. *satis.*—*mersans:* L. M. *inerrans;* nempe, *m* in *in* semel mutato, ex *inersans* fecit librarius *inerrans*. Sane conjeceram *versans*, et ante provocaveram ad Bentleii notas in Horat. epist. ii. 2. 90. quam conspexerim diserte scriptum *versat* in O. *Versans* autem, *torquens*. Nihil tamen mutatum malim: nam *mersans* potens est vocabulum, et lepide tacito respectu morbosos, se puteis proluentes, contuetur. Faber divinavit *vexans;* infeliciter. Confer Juvenal. x. 57. Hor. epist. i. 1. 16.

Ibid. *sitis arida corpora.* Arnobius, lib. vii. p. 235. "Numquid enim numi-"num *corpora sitim* sentiunt *aridam?*"

Ver. 1175. *parvis:* V. ed. *pernix;* et agnoscit Pius.—Exornavit autem noster, et pulchrius declaravit, Græci scriptoris sententiam:—και εν τῳ ὁμοιῳ καθειστηκει το τε πλεον και ελασσον ποτον.

Ver. 1176. *mali:* Vind. Σ. *ari;* V. ed. *inari;* Ω. *mari.*—Absunt voces *mali defessa* ab Δ. cui putem dedisse caussam corruptissimas harum dictionum in nonnullis codd. scripturas, quas librarius non potuit expedire. Sic V. ed. exempli gratiâ versum integrum exhibet:

Nec requies erat *nulla in aride fessa* jacebant.

Et ver. 1172. hunc sequitur in libris omnibus vetustis, ut videtur; sed omnino pessime.

Ibid. *Nec requies erat ulla mali.* Generaliter hæc verba accepissem de indefessâ pestis per urbem grassatione, non rursus de singulorum morbosorum inquietis vexationibus, nisi Thucydidem interpretem habuissemus:—και ἡ απορια τυ μη ἡσυχαζειν, και ἡ αγρυπνια, επεκειτο δια παντος: quæ similiter continuantur, ac series orationis Lucretianæ. Dictys Cretensis, v. 12. "Prorsus *nulla requies* stra-"gis, atque *funerum*."

Ibid. *defessa jacebant Corpora:* i. e. homines moribundi prosternebantur, morbi doloribus exhausti. Tibullus, i. 5. 9.

Quippe patentia quom totiens, ardentia morbis,
Lumina vorsarent oculorum, expertia somno;
1180 Multaque præterea mortis tum signa dabantur.
Perturbata animi mens, in mœrore, metuque;
Triste supercilium, furiosus voltus, et acer;
Solicitæ porro, plenæque sonoribus, aures:
Creber spiritus, aut ingens, raroque coortus;

——— cum, tristi *morbo defessa, jaceres*—.

Quadrigarius apud Gellium, iii. 8. "Tu, "nisi caves, *jacebis*." Addas Theocritum, iii. fin.

ΚΕΙΣΕΥΜΑΙ δε πεσων———.

i. e. *jacebo mortuus.* Eleganter S. Matthæus, viii. 14.—ειδε την πενθεραν αυτυ ΒΕΒΛΗΜΕΝΗΝ, και πυρεσσυσαν· *in lecto* scilicet. Sic alibi: confer Catull. lxiv. 189.

Ver. 1177. *mussabat:* V. ed. Δ. *missabant;* O. autem, *miscebant;* ob sonum similem.

Ibid. *mussabat tacito Medicina timore.* Incomparabilis est prosopopœia; quam adæquavere pauci, superavit nemo. Simpliciter Thucydides, l. c. sub initio descriptionis:—ωτε γαρ ιατροι ηρκων το πρωτον, θεραπευοντες αγνοια· αλλ' αυτοι μαλιστα εθνησκον, ὁσῳ και μαλιστα προςηεσαν· ουτε αλλη ανθρωπεια τεχνη ωδεμια. Ovidius humiliter, ubi supra:

——— pugnatum est arte medendi:
Exitium superabat opem; quæ victa jacebat.

Manilius etiam, i. 885.

Nec locus artis erat medicæ———.

Silius æmulatus est nostrum, Pun. xiv. 609.

Succubuit Medicina malis: cumulantur acervo
Labentum, et magno cineres sese aggere tollunt.

Sed neque ille, nedum Nasonis aut Manilii tenuitas, neque etiam Virgilii majestas, qui distichon numerosissimum effudit, et quo nihil aures jucundius demulceat impleatque, ad Lucretiani carminis sublimitatem pervenire valuit, in geo. iii. 549. parallelo loco:

Quæsitæque nocent artes: cessere magistri,
Phillyrides Chiron, Amythaoniusque Melampus.

Ver. 1178. *patentia:* Vind. V. ed. Σ. *patientia.*—Mireris autem editorum recentiorum scelus, quibus nulla erat Lucretii chartas religio suis sordibus conspurcare, sic contra libros veteres universos carmen corrumpentium:

——— quom *totas* ardentia *noctes*—.

Ver. 1179. *expertia:* V. ed. *experientia.*—Thucydides, l. c.—και ἡ αγρυπνια ἐπεκειτο δια παντος.

Ver. 1180. *tum:* P. *tunc;* V. ed. O. *cum;* Δ. *quum:* et fortasse melius.

Ver. 1181. *animi mens:* redi notas in iv. 762.

Ibid. *mœrore metuque.* Quemadmodum Sallustius, Jug. xxxix. 1. ed. Cort. —"*metus atque mœror* civitatem inva-"sere—."

Ver. 1184. *spiritus:* Vind. V. ed. Q. Σ. dant *spiritum.*

Ibid. *Creber spiritus.* Sic versibus αμυσοτεροις subinde fastidio lectoris occurrit noster. Neque aliter alii optimi poëtæ. Homerus, Il. Z. 463.

ΧΗΤΕΪ ΤΟΙΟΥΔ' ανδρος αμυνειν δυλιον ημαρ.

Ibid. *spiritus ingens.* Insolentior locutio, pro "*multus* spiritus." Sic Justinus, xii. 10. 7. "quibus (puteis) *ingenti* "dulci *aquâ* inventâ, Babyloniam rediit." Ita vero Virgilius, geo. iii. 505. eandem variavit rem:

——— atque adtractus ab imo
Spiritus———.

1185 Sudorisque madens per collum splendidus humos:
Tenuia sputa, minuta, croci contacta colore,
Salsaque, per fauces raucâ vix edita tusse.
In manibus vero nervei trahere, et tremere artus;
A pedibusque minutatim subcedere frigus
1190 Non dubitabat: item, ad supremum denique tempus,
Conpressæ nares, nasi primoris acumen

Ver. 1185. *humos:* P. O. *humor;* Vind. V. ed. Q. *umum;* Δ. Σ. *imum;* Ω. *udum.* Legendum adeo forsitan:

Sudorisque *mados* per collum splendidus *udum:*

nam librarii *το mados* in *mades,* vel *madēs,* haud ægre detorquerent. Aut etiam pro *humor* reponas *udor.* Quum vero de membranis L. M. Havercampus taceat, credendum est eas vulgatæ scripturæ patrocinari. Εννοιαν autem hoc modo Virgilius extulit, ad geo. iii. 564.

——————— inmundus olentia sudor
Membra sequebatur——.

Verum enim Lucretius ornatior est, et elegantior: et epitheton illud *splendidus* ad *oculos spectantis* luculenter provocat. Nec dubitem equidem, quin tale quid in Marone desideretur, ad Æn. ii. 173.

——————— *salsus*que per artus
Sudor iit.

Depravata est vox *salsus,* ac vehementer displicet. Rescripserim sane vel *clarus,* vel aliam quampiam dictionem eâdem potestate, vulgatæ proximiorem ductibus.

Ibid. *Sudoris humor.* Prior Homerus, Il. Ψ. 715.

——————— κατα δε ΝΟΤΙΟΣ ῥεεν ΙΔΡΩΣ.

Ad hæc autem Lucretii minime pertingit Aristotelis censura, culpantis Alcidamanta, quod ὑγρον ἱδρωτα dixerit, rhet. iii. 2. 3. quum modo posita exempla sint et poëtica et diversæ prorsus indolis.

Ver. 1186. *contacta:* P. V. ed. Ω. a prim. man. *contracta;* editores, *contincta;* perperam, damnante quoque Bentleio, contra libros omnes et Macrobium, Sat. vi. 2. Arnobius, lib. iii. p. 108. "Quis-"quamne est hominum, rationis alicujus "*sapore contactus,* qui pilos et lanugines "credat in deorum corporibus nasci?" Celsus, de medic. ii. 24. init.—"quæ aci-"da sunt, quæque *contacta sale modico* "sunt:" uti recte legitur; non, de nonnullorum sententiâ, *modice.* Testi sit Virgilius, geo. iii. 403. ubi recte statuit Burmannus:

Aut *parco sale contingunt,* hyemique reponunt.

"Aut *modico sale,* aut re verâ parco, id "est, servatore—." Servius ibidem. Hinc autem dubitare non debui in notis meis supra, ad i. 937.

Ibid. *sputa, croci contacta colore.* Vegetius, art. vet. i. 3. "Quandocunque "autem sanguinolentus humor, vel *croco* "similis, per nares fluere cœperit, jam in-"sanabilis est, et vicinus morti." Et Silius lectores jucunde detinebit, Pun. xiv. 601.

Aspera pulmonem tussis quatit, et per anhela
Igneus efflatur sitientum spiritus ora.
Lumina, ferre gravem vix sufficientia lucem,
Uncâ nare, jacent; saniesque, immixta cruore,
Exspuitur; membrisque cutis tegit ossa peresis.

Hæc autem Macrobianæ lectioni videntur aliquantulum suffragari, *cruore,* pro *colore;* quamvis mihi durior appareat, et μνημονικον ἁμαρτημα forsan scriptoris.

Ver. 1187. *raucâ:* sic edd. Florent. Ald. Vind. V. ed. B. Q. Ω. longe elegantius: vulgo, *raucas.*—*vix:* Vind. *vox.*—*tusse:* ita Vind. V. ed. B. Q. Σ. Ω. vulgo, *tussi:* Macrobius, P. O. Δ. *tussis;* vitiose,

Tenue, cavatei oculei, cava tempora; frigida pellis,
Duraque, inhorrebat tactum; frons tenta meabat:
Nec nimio rigidâ post artus morte jacebant;
1195 Octavoque fere candenti lumine solis,

ut puto. Editores quoque, *fauceis;* sed invitis scriptis, ut alibi.

Ibid. *raucâ tusse.* Thucydides, ubi supra: Επειτα, εξ αυτων πταρμος, και βραγχος επεγιγνετο· και εν ᾧ πολλῳ χρονῳ κατεβαινεν ες τα στηθη ὁ πονος, μετα βηχος ισχυρᾳ.

Ver. 1188. *trahere et tremere:* editores, spretâ librorum veterum sanctitate, odiosissimi mortalium, ex ingenio rescripsere, *trahier tremere;* nescientes quoque scilicet, Lucretium verbis absolute positis abundare: redeas annotata in i. 398.

Ver. 1189. *A pedibus:* O. Ω. *De pedibus.*

Ver. 1190. *supremum:* O. *summum;* abest Vind.

Ibid. *Non dubitabat frigus subcedere:* i. e. audebat, ετολμα: vide ver. 1070. et iv. 189. Lambinus.

Recte: his translationibus ab animatis ad inanimatas res jucundissime poëmata Lucretius conspersit; quem pari successu Virgilius in georgicis passim æmulatus est. Conjecturam J. Aurati, ingeniosi alioquin viri, docte nugatoriam, *Endobitabat* nimirum, piget memorasse.

Ibid. *ad supremum tempus:* ὑφ' ὡρας πχατης· i. e. sub instantissimi pericli tempore, vel mortis appropinquantis horâ. Catulli præstantissimos versus admovebo, ex lxiv. 151.

Certe ego te, *in medio* vorsantem *turbine leti,*
Eripui; et potius germanum amittere crevi,
Quam tibi fallaci *supremo in tempore* deessem.

Ver. 1191. *Conpressæ:* Vind. Σ. *Non pressæ;* V. ed. *Non præesse.*—*nasi:* Vind. V. ed. O. Σ. et Ω. *nisi.*

Ibid. *nares nasi.* Duæ voces idem valent, nisi quod το *nares* æque de *hominibus* ac *brutis* adhiberi videatur, *nasus* autem ad *homines* potissimum referri. Plinius, nat. hist. xi. 59. " Et altior *ho-* " *mini* tantum, quem novi mores subdolæ " irrisioni dicavere, *nasus:* non alii ani- " malium *nares* eminent." Sane liquet etiam ex hoc loco philosophi πολυμαθεστατοι, *nares* sine *naso* fieri posse, non autem vicissim *nasum* sine *naribus.*—Cæterum, lucem Lucretio commodabit Celsi locus, de med. ii. 6. " *Ad ultimum* vero jam " ventum esse testantur *nares acutæ,* col- " lapsa tempora, *oculi concavi,* frigidæ " languidæque aures, et imis partibus le- " niter versæ; *cutis circa frontem dura* " *et intenta;* color aut niger, aut perpalli- " dus—."

Ver. 1192. *cava tempora:* ut Maro, Æn. x. 891.

Ver. 1193. *inhorrebat:* ita P. et placet nobis: Vind. V. ed. L. M. *inhorret jacet;* B. *inhorret jacent;* O. Σ. *in ore jacet;* Q. *inoret jacet;* prisci codd. Pii, *in ore jacens;* Δ. denique, *Duratusque horret.*—*tactum:* hoc dedi ex acumine proprio, sed meæ divinationi auxiliatu validissimo patrocinantur Virgiliani versus ad Lucretianorum imitationem compositi, in geo. iii. 502.

——— demissæ aures; incertus ibidem
Sudor, et ille quidem morituris frigidus; aret
Pellis, et *adtactu* tractanti *dura* resistit:

i. e. " dura resistit tactui tractantis." Ita legendus est iste locus: neque aliter profecto Macrobius exhibet, Sat. vi. 2. et conferas Æn. vii. 350. Vulgo, *ad tactum.* Jam vero *inhorrebat tactum,* vel etiam *tactu,* si malis, exquisitissima est phrasis, pro *horrida,* sive *aspera,* videbatur *tactui:* quo nihil commodius rectiusque fingi poterat. Pro *tactum,* P. *facies;* ejus prisci codices, *rictu;* Vind. Q. Δ. *rictum;* L. M. O. Ω. *rectum;* Σ. *casu;* vox deest V.

Aut etiam nonâ reddebant lampade vitam.
Quorum si quis, ut est, vitarat funera leti,
Visceribus tetris, et nigrâ proluvie alvi;
Posterius tamen hunc tabes, letumque, manebat:

ed.—Havercampus edidit ex ingenio, *in ore patens rictum:* et profecto, *in ore jacens rictum*, nobis non admodum displicuisset, nostra tamen interea præponentibus: nam Nonius, ii. 868. ita versum exhibuit:

Duraque *in ore jacens rictu* frons tenta *manebat.*

Nimirum, voces appositæ *in ore* et *frons* facile librarios impellerent ad mutandum verum *tactū* cum vulgato *rictū*, vel *rictum.*—*tenta:* P. V. ed. *tecta.*—*meabat:* sic P. Vind. V. ed. L. O. Σ. Ω. codd. prisci Pii, et Δ. *manebat;* M. Q. *mebat. Meabat* autem, εποριευετο, ibat, abibat, evanescebat; nihilo præter cutem relicto, cunctis tabescentibus, et euntibus ad capulum. Havercampus lectorem prudenter amandavit ad iii. 525. Consulas etiam dicta in notis ad i. 1038. Phrasis videtur in venustissimis, et exquisitius acumen Lucretii resipere.

Ver. 1194. *post artus:* O. Δ. Σ. *prostrati;* pessime: nec melius est, quod hodierni editores, Lambino excogitatum, exhibent, *post strati.* Sanissima sunt, et convenientissima loco, quæ libri vetusti præbent.

Ibid. *rigidâ artus morte jacebant:* i. e. inutiles fiebant et ignavæ, geluque mortis rigescentes, eæ membrorum commissuræ, quæ solebant esse mobilissimæ, et hominibus vel præcipua agilitatis caussa. Similiter Ovidius, fast. iii. 707.

Morte jacent meritâ——.

Unde clarissime constat, et ex centum profecto locis veterum, illud commentum *strati* vel furcâ ejiciendum esse, ut futiliter supervacaneum.

Ver. 1195. *Octavo:* Vind. V. ed. Δ. Σ. Ω. *Octava;* cui peccato sequentia *nonâ lampade* originem dedere. Facilitas autem metri videtur hanc varietatem vocis *Octavo*, quod miror, poëtæ peperisse; nam sic aliter rem exposuit historicus:—διεφθειροντο οἱ πλειστοι ενναταιοι και ἑβδομαιοι ὑπο τȣ ȣντος καυματος—.

Ibid. *candenti lumine:* quod *albam lucem* similiter Virgilius vocitavit, ad Æn. viii. 455. si vera sit nostra versûs istius emendatio; et sane verissimam arbitramur.

Ver. 1196. *reddebant vitam.* Pariter Virgilius, geo. iii. 495.

Et dulcis *animas* plena ad præsæpia *reddunt:*

i. e. μελιηδεα θυμον· vel etiam proprie in hoc loco propter *suavissimos halitus* vitulorum; vide Theoc. id. viii. 75. *Reddunt* autem, redonant, remittunt in illum æthera, unde primum, spiritum haurientes, vitam suam arcessiverint. Hinc, solitis cum acumine ac doctrinâ, Gronovius asseruit sinceram lectionem Senecæ, ad Œdip. 270.

——————— et summum *diem*
Securus alto *reddat* in solio parens:

ut, versâ vice, pro *nasci* Virgilius, geo. ii. 340. "haurire *lucem;*" de quâ re nos alibi: et magis apposite Statius, ii. 357.

——————— nunc arma, *diem*que,
Projice——.

Numeris item melle quovis dulcioribus Avienus, desc. orb. 544.

Heic, in cæruleos mutati membra dracones,
Absolvere *diem*, finemque dedere labori.

Nostræ vero interpretationi phraseos *vitam reddere* tempestivam navat operam modo dictus Statius, Theb. viii. 324.

——————— liceat, precor, ordine belli
Pugnaces *efflare animas*, et *reddere cœlo.*

1200 Aut etiam multus capitis cum sæpe dolore
Conruptus sanguis expletis naribus ibat;
Huc hominis totæ vires, corpusque fluebat.
Profluvium porro qui tetri sanguinis acre
Exierat, tamen in nervos huic morbus et artus
1205 Ibat, et in parteis genitaleis corporis ipsas:
Et graviter partim metuentes limina leti
Vivebant, ferro privatei parte virili;

Plura videas in Silv. Crit. iv. pp. 38. 39. 40.

Ver. 1197. *vitarat:* M. *vitaret;* ut in his temporibus commutandis frequens est scribarum aberratio.

Ibid. *funera leti.* Haud absimili cum copiâ sermonis Seneca, Hippol. 1214.

Bina ut viderem *funera*, et geminam *necem*.

Nisi, pro *funera*, rescribendum sit *vulnera;* quas voces sæpe scribæ conturbarunt: videas Virg. Æn. i. 36. viii. 583.—Hæc autem Lucretius presse ex Thucydide in proprias chartas transtulit:—η, ει διαφυγοιεν, επικατιοντος τυ νοσηματος ες την κοιλιαν, και ἑλκωσεως τε αυτῃ ισχυρας εγγιγνομενης, και διαῤῥοιας ἁμα ακρατυ επιπιπτυσης, οἱ πολλοι ὑστερον δια την ασθενειαν διεφθειροντο.

Ver. 1198. *Visceribus:* Lambinus, quem multi editores auscultavere, contra libros importavit *Ulceribus;* audacter et sine caussâ.—*tetrâ:* Vind. V. ed. Δ. Σ. *nigris;* unde haud dubiâ, ut reor, emendatione castigaverim:

——————— et *nigri* proluvie alvi:

quod ποιητικωτερον est, et eruditius. Celsus, ii. 8. fin. "*Alvus nigra*, sanguini "atro similis,—perniciosa est." Hæc restitutio in contextum, nisi fallor, admitti debuit.—Porro, voces *proluvie alvi* absunt a codice Δ.

Ibid. *Visceribus, proluvie alvi.* Arnobius, lib. iv. p. 142. "Cutes, *viscera*, pi-"tuita, atque omnis illa *proluvies intesti-"norum* sub involucris constituta—."

Ver. 1199. *tabes:* O. Δ. Σ. *tales;* Ω. *taler;* sed oræ codicis adscriptum est *tales.*

Ibid. *tabes letumque:* i. e. *letum ex tabe;* adeo ut, si mortem properatam effugerent, tabescerent saltem atque macie consumerentur exinaniti; (ut cum Orosio loquar, similem materiam agitante, in hist. iii. 4.) corporibus paullatim defluentibus, et amissis. Hinc, probe conscius opere quanto Lucretianas phrases sibi sumpserit effingendas Virgilius, sponte emendaveram poëtam maximum, ad Æn. vi. 442. neque aliter exhiberi scriptis quibusdam postmodum inveni:

——— quos durus amor crudeli *tabe peremit:*

i. e. *tabem letumque* illis attulit. Vulgo, *peredit.* Sed suspicionibus meis insuper suffragatur Virgilii sedulus imitator, Tacitus, ann. i. 53.—"imperium adeptus, "(Tiberius Juliam) extorrem, infamem, "et—omnis spei egenam, (Æn. i. 599.) "inopiâ ac *tabe* longâ *peremit;* obscuram "fore necem longinquitate exsilii ratus."

Ver. 1200. *multus.* Lego, *multo.*

BENTLEIUS.

Male. Conjecturæ tales in proclivi jacent; sed in Lucretium prorsus απροσδιονυσως prodiguntur, qui sane ad limatiores regulas sequentium scriptorum non est exigendus contra librorum fidem. Cæterum, ita Thucydides, l. c.—διεξηει γαρ δια παντος τυ σωματος, ανωθεν αρξαμενον, το εν τῃ κεφαλῃ πρωτον ἱδρυθεν κακον—.

Ver. 1201. *expletis:* ita P. Vind. V. ed. B. O. Q. Δ. Σ. Ω. neque prohibet Ha-

Et manibus sine non nullei, pedibusque, manebant,
In vitâ tamen, et perdebant lumina partim:
1210 Usque adeo mortis metus hiis incusserat acer.
Atque etiam quosdam cepere oblivia rerum
Cunctarum, neque se possent cognoscere ut ipsei.
Multaque humi quom inhumata jacerent corpora supra
Corporibus, tamen alituum genus, atque ferarum,
1215 Aut procul absiliebat, ut acrem exiret odorem;

vercampi silentium, in hac re nimium cessantis, quo minus existimem in codd. L. M. non aliter scriptum comparuisse. De suo nobis editores commenti sunt *plenis ex:* indoctissime. Nam, si de metro vererentur, nec vim hujusce cæsuræ satis tenebant, nec veterum poëtarum consuetudinem callebant, posteriorem syllabam in *sanguis* sæpius porrigentium, quam similiter terminatam in quâvis aliâ demum dictione: si timerent rursus de constructione, Virgilius meliora docuisse potuerat in parallelo loco, geo. iii. 507.

——————— *it naribus* ater
Sanguis——.

Ver. 1202. *Huc.* Faber recte *Hac* legit. BENTLEIUS.

Licenter quidem satis et importune, ut pleraque Fabri in Lucretium.

Ibid. Sed heus tu, an *totum corpus* fluebat per nares? ω τοποι: meo periculo scribe,

——————— vires, *et vita* fluebat.

Ennius similiter:

Vires, vitaque corpus meum tunc deserit omne.
BENTLEIUS.

Nihil vidi infelicius, aut ingenio lectione poëtarum exculto magis indignum. Heudyades est, quales passim obversantur; *vires corpusque* scilicet, pro *viribus corporis.* Pudet rebus vulgaribus immorari. Actum est de laudatissimis poëseos locutionibus, si sint ad hunc modum vel reformandæ, vel emovendæ. Hoccine Bentleianum vero? Nobis perdolet hoc inceptum.

Ver. 1203. *qui tetri:* P. O. Ω. *cui tetri;* et ferri poterat: sed vulgata sunt immane quantum venustiora, et *qui* nullo negotio in *cui* migrare poterat: Vind. *culta et;* V. ed. Σ. *cultetris;* L. M. *cui tetris;* Q. *culta etris;* Δ. denique *culta;* cum hiatu sequente.

Ibid. *Profluvium qui Exierat:* ita mox, in ver. 1215. Sane nec rara est constructio, et nos alibi illustratam dedimus. Sic autem Thucydides:—και, ει τις εκ των μεγιστων περιγενοιτο, των γε ακρωτηριων αντιληψις αυτω επεσημαινε· quibus recepta lectio Lucretii confirmatur.

Ver. 1204. *huic:* Vind. V. ed. Δ. Σ. *hinc.*

Ver. 1205. Hæc, et sequentia, sic leguntur in Græco:—κατεσκηπτε γαρ ες τα αιδοια, και ες ακρας χειρας, και ποδας· και πολλοι, στερισκομενοι τωτων, διεφευγον· εισι δ' οι και των οφθαλμων.

Ver. 1207. *Vivebant:* Σ. *Humebant.* Et Vind. insuper, *parti.*

Ver. 1208. *sine:* Δ. *seu.*—*non nullei:* vulgo, *nonnulli;* sed recte divisas voces V. ed. O. Ω. exhibent.

Ver. 1210. *hiis:* P. V. ed. L. Δ. *iis;* Ω. *is.*—*incusserat:* Vind. Σ. *intus erat;* quod ortum est peccatum ex omisso τφ s, uti factum in V. ed. *incuserat;* deinde, separatis vocabulis, *incus crat*, ut Q.—*Incusserat* autem, pro *incussus erat*, absolute noster, ut passim; atque potissimum in verbis notionem *motûs* in se continentibus: de quâ re nos alibi, et sæpiuscule

Aut, ubi gustarat, languebat morte propinquâ.
Nec tamen omnino temere illis solibus ulla
Conparebat avis, neque noxia secla ferarum
Exibant sylvis; languebant pleraque morbo,
1220 Et moriebantur: cum primis fida canum vis
Strata viis animam ponebat in omnibus ægre:

quidem, jam monuimus. Sic εμβαλλειν Græci, atque cognatis vocibus, passim utuntur.

Ver. 1211. *oblivia;* uti pergit Thucydides:—τυς δε και ληθη ελαμβανε παραυτικα αναστανταις των παντων ὁμοιως· και ηγνοησαν σφας τε αυτυς, και τυς επιτηδειυς.

Ver. 1213. *supra:* Heinsius, Advers. p. 510. emendat, *sæpta;* sed malim equidem *το supra* intelligere fungi officio cognati sui *super*, quamvis aliud exemplum non sit ad manum, quam lectionem arbitrariam cum membranarum Lucretianarum, quæ plerumque castigatissimæ inveniuntur, unanimi scripturâ leviter commutare.

Ibid. *inhumata jacerent corpora.* Silius, Pun. xiv. 611. ubi videas Drakenborchium:

Passim etiam deserta jacent, inhumataque, late
Corpora, pestiferos tetigisse timentibus artus.

Thucydides:—τα γαρ ορνεα και τετραποδα, ὁσα ανθρωπων ἁπτεται, η ν προςῃ, η γευσαμενα διεφθειρετο.—Porro, Σ. *tum*, pro *quom.*

Ver. 1214. *alituum:* Vind. V. ed. *alitum.*—*genus atque:* Vind. *generatque;* et idem voluit var. lect. in V. ed. *geners atque.*

Ibid. *alituum genus atque ferarum.* Similia his multi narravere, quos apponere longum esset, et proposito alienum: vide modo Nicand. ther. 406. Jul. Obs. de prodigg. cap. lxv. et ibi Schefferum; Ovid. met. vii. 545—552. Stat. Theb. i. 624. cujus sublimem locum ex ingenio sponte prius emendaveram, quam codd. quosdam conspirantes intellexerim, Theb. xii. 565.

Septima jam surgens trepidis Aurora jacentes
Aversatur equis: radios declinat, et horret,
Stelligeri jubar omne poli: *jamque eminus* ipsæ
Pabula dira *feræ*, campumque odere volucres,
Spirantem tabo, et cœlum ventosque gravantem.

Vulgo, *jam cominus.* Adeas etiam Lucan. vi. 627. quos Graius nostras in ode suâ, *Vate* dictâ, imitatus est feliciter.

Ver. 1215. *Aut:* V. ed. *Haud.*—*ut:* Δ. Ω. *aut.*—*exiret:* P. O. Δ. Σ. Ω. *exciret;* V. ed. *excint.*

Ibid. *exiret odorem.* Virgilius, Æn. v. 438.

Corpore *tela* modo, atque oculis vigilantibus, *exit.*

Ver. 1217. *temere:* Ω. *tenere.*—*solibus:* Macrobius, Sat. vi. 2. *sedibus.*

Ver. 1218. *Conparebat:* V. ed. Ω. *Comparabat.*—*neque:* hoc flagitat usus poëtæ constantissimus, quoties vocula repetatur, et *nec* præcesserit; adeoque non dubitavi reponere ex arbitrio contra libros, qui dant *nec:* quâ lege fidenter dixerim multa esse apud Virgilium castigauda, delicatissimis auribus et superbissimo judicio poëtam. Exemplo sit geo. iii. 216.

—— *nec* nemorum patitur meminisse, *nec* herbæ.

Neque aliter, ut nunc video, liber unus: sed codd. collatores hæc solent, ut minuta nimis et nullius pretii, prorsus negligere. —*noxia:* ita scribendum mihi persuadent, et aliis persuasere, varietates lectionis. P. O. Macrobiusque, *tristia;* æque bene, sed antiquissimi codices refragantur: a Vind. relicto spatiolo tamen, voces *neque noxia* absunt; et posterior abest Σ. vacante itidem spatio: V. ed. *noctis;* omisso *neque;* L. *nectia;* M. *noctia;* Ω. *forcia;* Q. *noctibus;* si collatori velis fidem adhi-

Extorquebat enim vitam vis morbida membris.
Incomitata rapi certabant funera vasta.
Nec ratio remedii conmunis certa dabatur:
1225 Nam, quod alii dederat vitaleis aëris auras
Volvere in ore licere, et cœli templa tueri,
Hocc' aliis erat exitio, letumque parabat.

bere: quod caveas, me saltem impulsore. Haud displiceret, et Virgilii parallelus locus favet, nec oppositioni clausularum non consuleretur:

——— neque *noctu* secla ferarum———.

Qui locus sic se habet, in geo. iii. 538.

Non *lupus* insidias explorat ovilia circum,
Nec gregibus *nocturnus* obambulat———.

Denique, libris melioribus manu exaratis obtemperare perplacet; et vehementer doleo non esse, qui Macrobii reliquias ad codd. MSS. exigat, castigetque; quum fidelis collatio scriptoribus optimis utilissimam operam navaret. Conferas autem Lucan. i. 559.

Ibid. *Nec temere ulla avis Conparebat:* vel ipsa morbo laborans scilicet, vel carnibus etiam pestiferis devoratis consumpta. Sic Thucydides, l. c.—τεκμηριον δε, (peremptarum avium) των μεν τοιουτων ορνιθων επιλειψις σαφης εγενετο· και ουχ εωρωντο ουτε αλλως, ουτε περι τοιουτον ουδεν.

Ibid. *avis—noxia secla ferarum.* Seneca, de clement. i. 26. "Quæ alia vita esset, si *leones*, *ursique*, regnarent; si serpentibus in nos, ac *noxiosissimo* cuique animali, daretur potestas?" Item Martialis, x. 5.

Abigatque moto *noxias aves* panno.

Ver. 1219. *Exibant:* Vind. Σ. *Exiebant.*

Ibid. *languebant morbo.* Maro, geo. iv. 252.

——— tristi *languebant* corpora *morbo.*

Ver. 1220. *cum:* V. ed. *tum.—canum vis:* V. ed. Σ. *cacumis;* desiderantur voces in Vind.

Ibid. *cum primis fida canum vis.* Pergit magister Græcus:—οἱ δε κυνες μαλλον αισθησιν παρειχον τε αποβαινοντος, δια το ξυνδιαιτασθαι. Homerus, Il. A. 50.

Ουρηας μεν πρωτον εφωχετο, και ΚΥΝΑΣ αργους.

Silius, xiv. 594. ubi plura Drakenborchius:

Vim *primi* sensere *canes*———.

Consulas insuper Heraclidem Ponticum, p. 427.

Ibid. *fida canum vis.* Æmulatus est Mantuanus, Æn. iv. 132. ad quem locum Burmannus similem Statii phrasim laudat:

Massylique ruunt equites, et *odora canum vis.*

Redeas dicta ad v. 28. Euripides, Hec. 293.

Το δ' ΑΞΙΩΜΑ, κἀν κακως ΛΕΓΗ, το σον
ΠΕΙΣΕΙ:

ubi nonnulli, nescio an indocte magis, an audacter, de suo rescripserunt, λεγῃς· quibus satis facilem comitem nuperus editor Hecubæ se dedit. Phædrus, ii. 5. 23.

Tum sic *jocata est* tanti *majestas* ducis.

Alia ad manum prudentes præterimus.

Ver. 1221. *animam:* a Δ. abest; O. Σ. Ω. *animum;* V. ed. *anni;* i e. *aŭm.—ægre:* Vind. Σ. *æger;* V. ed. *ægere;* Δ. *ægram.* *Ægre* autem, valde reluctata, et cum laboriosissimo anhelitu, propter morbi violentiam; uti statim declaratur. Vidit etiam poëtæ sui mentem, uti oportuit, Havercampus.

Illud in hiis rebus miserandum magno opere unum
Ærumnabile erat; quod, ubei se quisque videbat
1230 Inplicitum morbo, morti damnatus ut esset,
Deficiens animo, mœsto quom corde jacebat,
Funera respectans, animam inmittebat ibeidem.
Quippe et enim nullo cessabant tempore apisci

Ibid. *animam ponebat.* Maro, geo. iv. 238.

——— *animas*que in volnere *ponunt.*

Ver. 1223. *rapi certabant.* His signatis vocibus inverecunda vespillonum festinantium ob funerum multitudinem clarissime depingitur; propinquis interea et amicis, acriore curâ domitis, ritus supremos non peragentibus.

Ibid. *funera vasta.* Nove dictum videtur pro "funera *multa:*" vide nos ad v. 1289.

Ver. 1224. *remedii:* sic Vind. V. ed. O. Q. Σ. Ω. vulgo, *remedî;* sed aliter antiquissimi solebant.—Hæc autem ita repræsentantur Thucydide:—ἴν τε ᾠδεν καπιστη ιαμα, ὡς ειπειν, ὁ τι χρην προςφερονταις ωφελειν· το γαρ τῳ ξυνενεγκον αλλον τουτο εὗλαπτε.

Ver. 1225. *alii:* sic diserte P. Vind. V. ed. B. Q. Σ. Ω. et Thucydides patrocinatur: L. M. O. Δ. *ali;* sed in postremo codice litera ultima erasa fuerat: vulgo, *alis,* vel *aliis;* quod in Macrobii exemplaribus, Sat. vi. 2. conspicitur.

Ibid. *vitaleis aëris auras:* redi sis iii. 1225. i. e. uno verbo, *ætheris auras,* quibus vescimur mortales; vide Virg. Æn. i. 546. Hinc etiam ab aliâ insuper aurâ distinguitur, de quâ sic Martianus Capella, init. operis, *Hymenæum* alloquens:

—— elementa ligas vicibus, mundumque maritas;
Atque *auram mentis* corporibus socias:

super quâ consulas Virgilium, ad Æn. vi. 747.

Ver. 1226. *in ore:* V. ed. *more;* ut alibi.

Ibid. *Volvere aëris auras in ore.* Hinc Virgilius est intelligendus, ad geo. iii. 85.

Conlectumque fremens *volvit sub naribus ignem:*

i. e. aëra calidis flatibus exspirat. Pressis vestigiis magistrum Gratius secutus est in cyneg. 270. sed Nemesianus officio sobrii interpretis fungi non dedignatur, cyneg. 248.

Fumant humentes *calidâ* de *nare vapores.*

Ibid. *et cœli templa tueri.* Phrasin Homeream exornavit, quam Lambinus apposuit, Od. K. 498.

——— ᾠδε τι θυμος
Ηθελ' ετι ζωειν, και ὁραν φαος ηελιοιο:

qui versus suavissimi Virgiliano carmine sic adumbrati sunt, ad Æn. iv. 451. Lucretii quoque non immemori:

Mortem orat; tædet *cœli convexa tueri.*

Ver. 1227. *Hocc' erat exitio.* Verba ipsissima Virgilius mutuatus est, geo. iii. 511.

Mox *erat hocc'* ipsum *exitio*——.

Ibid. *letumque parabat.* Unanime codicum testimonium, et consentiens auctoritas Macrobii, haud ita me absterrent, propensionis librariorum ad vetustiores doctioresque dictiones immutandas valde conscium, ut non existimem rescribendum:

Hocc' aliis erat exitio, letumque *paribat.*

Videas modo, quæ disputaverim in notis ad i. 200. et Minciani vatis locus emendationem meam valde roborat, ad Æn. vi. 435.

——— qui sibi *letum*
Insontes *peperere* manu——.

Ex aliis alios avidi contagia morbi;
1235 Lanigeras tamquam pecudes, et bucera secla:
Idque vel in primis cumulabat funere funus.
Nam, queiquomque suos fugitabant visere ad ægros,
Vitaï nimium cupidos mortisque timenteis
Pœnibat paullo post turpi morte malâque,

Auctor quoque Ciris, ver. 282. non aliter:

Aut mihi præsenti *peperissem* volnere *letum*.

Accedat Seneca, Herc. Œt. 220.

Formaque *mortem paritura* mihi.

Ver. 1228. *magno opere*, vel *magnopere:* sic clare P. O. Ω. vulgo, *et magnopere:* Vind. *et opere;* V. ed. Σ. *opere;* Δ. *et summopere.* Sensus est: "Eam ærum-"nam inter omnes, quæ morbum comi-"tarentur, maximâ miseratione dignum "putavisses—." Locus, me judice, concinnior est sine illo *et*, quod proinde eliminatum volui.—Porro, sic Thucydides: —δεινοτατον δε παντος ην τȣ κακȣ, ἡ τε αθυμια, ὁποτε τις αισθοιτο καμνων· προς γαρ το ανελπιστον ευθυς τραπομενοι τῃ γνωμῃ, πολλῳ μαλλον προϊεντο σφας αυτȣς, και ουκ αντειχον· και ὁτε, ἑτερος αφ' ἑτερȣ θεραπειας, αναπιμπλαμενοι, ὡς περ τα προβατα, εθνησκον· και τον πλειστον φθορον τȣτο ενεποιει. Ita locum interpungendum esse docti dudum monuerunt; et in illis celeberrimus medicus nostras, Ricardus Mead, in tractatu suo de *Peste*.

Ver. 1229. *Ærumnabile.* Voce usus est Apuleius in limine primo metamorphoseôn:—"*ærumnabili labore;*" ubi videas eruditos: et alibi.

Ver. 1230. *Inplicitum morbo:* uti plures alii ex optimis scriptoribus locuti sunt. Huc referas Mantuanum, Æn. vii. 354.

——— prima *lues*, udo sublabsa veneno,
Pertentat sensus, atque ossibus *inplicat* ignem.

Ibid. *ut;* pro pleno *ut si:* vide verr. 151. 759. et quæ nos diximus ad iii. 948. est enim in formulis tritioribus.

Ver. 1231. Carum nostrum non adeo αμȣσον auribus exstitisse credam, quin κακοφωνον evitaverit scribendo:

Deficiens *animi*, mœsto cum corde jacebat:

aut saltem, vocibus transpositis:

Deficiens animo, *cum mœsto* corde jacebat.

Sed in libris nihil subsidii nobis est; et statim manifestum fiet, quamobrem nos reposuimus *quom*, pro vulgato *cum:* ne scilicet constructio labasceret. Erunt fortasse, qui *dum* præposuissent; et, codd. auspicibus, lubenter accepissem. Cæterum, hæc, ut alia omnia, sublegit Ovidius de *peste*, l. c. met. vii. 565. quem laboriosum esset singillatim apponere.

Ibid. *jacebat:* i. e. decumbebat, εȣεȣλητο, εκειτο, ut loquitur Libanius, epist. lii. Nos alibi.

Ver. 1232. *animam inmittebat:* i. e. "vitam in hac mœstitiâ ponebat, et in "perpetuâ funeris appropinquantis cogi-"tatione." Elegantius nihil, et exquisitius, dici poterat. Scribitur autem hoc modo in L. Ω. vulgo, ut Δ. *animam et mittebat;* P. V. ed. O. Σ. *animam mittebat;* Vind. *anima* (i. e. *animā*) *immittebat;* M. Q. *animam amittebat;* non absurde, sed melius foret, *animam emittebat:* vide nostram Silv. Crit. v. p. 48.—*ibeidem:* Vind. V. ed. *idem;* Δ. *et idem.* Hunc autem versum perperam ver. 1236. sequitur in P. Vind. Q. Δ. Σ.

Ver. 1233. *et enim:* V. ed. omittit *et.*

Ver. 1234. *avidi contagia morbi.* Huc respexit haud dubie Virgilius, geo. iii. 553.

Pallida Tisiphone *Morbos* agit ante, Metumque;
Inque dies *avidum*, surgens, *caput* altius effert.

1240 Desertos, opis experteis, Incuria mactans.
Quei fuerant autem præsto, contagibus ibant,
Atque labore, pudor quem tum cogebat obire,
Blandaque lassorum vox, mixtâ voce querelæ:
Optumus hoc leti genus ergo quisque subibat.
1245 Inque aliis alium, populum sepelire suorum
Certantes, lacrumis lassei luctuque redibant.

Ver. 1235. Auscultavi Bentleio, recte ad suam stationem reducenti hunc versum, qui in vulgaribus editionibus poni solet post ver. 1240. sed in P. V. ed. L. M. O. Ω. sequitur ver. 1243. Vir doctissimus provocat, ut par est, ad Thucydidis verba, modo posita, quæ transpositionem extra fines controversiæ locant; et ad Plutarchum tom. i. p. 171. B. simili rerum ordine gaudentem: αλλ' εων, ὡς περ βοσκημαται καθειργμενης, αναπιμπλασθαι φθορας απ' αλληλων—. Ipsa ratio nobis patrocinatur, et innumera loca veterum: vide Virg. ecl. i. 51. geo. iii. 469.

Ver. 1236. *Idque:* P. V. ed. Σ. *Atque.* —*vel:* Σ. *uti.*—*cumulabat:* V. ed. *cum labat.*—Nonnulla Pii exemplaria dederunt *Idque.*

Ibid. *cumulabat funere funus.* Seneca, Œd. 131.

Stat gravis strages, premiturque juncto
Funere funus.

Funere vero *funus:* i. e. *cadavere cadaver;* vide supra, ad ver. 1137. Stat. Achill. i. 88. Theb. x. 7. Statius, Theb. x. 370.

——— incendit pronis dea curribus *album*
Sidus, et admoto monstravit *funera* cornu.

Album, i. e. splendidum: hæc enim necessaria est emendatio; vide Silv. Crit. v. sect. ccix. et Virg. Cir. 37. cum similibus infinitis numero. Vulgo, *almum:* quæ vox nihil facit ad Lunæ radios; adeas notata in nostrum, i. 2. Virgilius ita sermone sententiam variavit, ad geo. iii. 556.

—— catervatim dat stragem, atque adgerat ipsis
In stabulis putri dilabsa cadavera tabo.

Ver. 1237. *visere ad:* ita O. Q. Ω. et sic reposuerat Lambinus, provocans ad ii. 360. v. 635. Terent. Hec. i. 2. 114. ii. 1. 40. Plaut. Capt. iv. 2. 113. et alios: P. *ut fit ad;* Vind. *ut fere ad;* quam proxime receptis: V. ed. *ut facto ad;* L. M. *ut se redeat;* Δ. *fere ut;* Σ. *ut*, relicto spatiolo.—*ægros:* antiqua Pii exemplaria, *agros.*—Variis modis in proclivi est hunc versum tentare, et docti tentaverunt: sed nihil vulgatis facilius est, aut quod scripturis codicum minus discrepet; ne dicam, diserto testimonio saltem membranarum Ω. esse omnino acquiescendum. Sic autem Thucydides, l. c.—ει τε γαρ μη θελοιεν δεδιοτες αλληλοις προσιεναι, απωλλυντο ερημοι· και οικιαι πολλαι εκενωθησαν απορια του θεραπευσοντος.

Ver. 1238. *Vitaï:* V. ed. *Vita.*—*cupidos:* sic omnes, omne genus, libri; sed ex arbitrio tamen editores reposuere *cupidi*, ignoratæ constructionis jure postulandi. Sensus est: "Incuria, miseras in vic-"timas officio popæ fungens, punibat "*eos*, nimium cupidos vitæ, quicunque "fugitabant ad ægros visere—." Et locus est egregio artificio elaboratus, et singulari sublimitate; translationem continuans, quam superius ad ver. 1235. ingressus est poëta.

Ver. 1239. *Pœnibat:* sic optime Turnebus restituit, inter magnas scriptorum dissimilitudines, quas vetustioris orthographiæ conservatio generavit: P. *Pœnas et;* Vind. V. ed. B. L. O. Σ. Ω. *Pœnibus*, vel *Penibus*, *et;* M. *Pœnibus at;* Q. *Penibus ac;* Δ. *Peni et.* Tentabat Vossius, *Pœna ibus et;* sed frustra, nec sine necessitate mutandæ constructionis.

Ibid. *turpi morte malâque:* i. e. *pecu-*

Inde, bonam partem, in lectum mœrore dabantur:
Nec poterat quisquam reperiri, quem neque morbus,
Nec mors, nec luctus, tentaret tempore tali.
1250 Præterea, jam pastor, et armentarius omnis,
Et robustus item curvi moderator aratri,
Languebat; penitusque casâ contrusa jacebant
Corpora, paupertate et morbo dedita morti.

*dum boum*que; qualem utique stomachosius est indignatus celeberrimus ille Græcorum dux, apud Homerum, Od. Λ. 408.

Αλλα μοι Αιγισθος τεωξας θανατον τε, μορον τε,
Εκτα, συν ηλομενῃ αλοχῳ· οικονδε καλεσσας,
Δειπνισσας· ὡς τις τε κατεκτανε ΒΟΥΝ ετι φατνῃ.
Ὡς ΘΑΝΟΝ ΟΙΚΤΙΣΤΩΙ ΘΑΝΑΤΩ· περι δ' αλλοι ἑταιροι
Νωλεμεως κτεινοντο, ΣΥΕΣ ὡς αργιοδοντες——.

Ver. 1240. *Incuria:* Vind. L. M. Q. Δ. Σ. Ω. *in cura.—mactans:* Ω. *mattans.*

Ibid. *mactans:* i. e. immolans; ἱερευσα, σφαγιαζεσα. Verbum *sacrificale;* adeoque INCURIÆ, personam *sacerdotis* gerenti, pulchre conveuit.

Ver. 1241. Hic versus et sequentes duo desiderantur in Vind. nisi collator de more peccaverit, et voluerit dicere, *tres* sequentes omitti; quod probabilius est propter ὁμοιοτελευτον, *ibat* et *subibat.*—Insuper ita Thucydides rem prosecutus est, l. c.—ει τε προειοιεν, διεφθειροντο· και μαλιστα οἱ αρετης τι μετατοιεμενοι· αισχυνῃ γαρ ηφειδεν σφων αυτων, εσιοντες παρα τους φιλους, επει και τας ολοφυρσεις των απογιγνομενων τελευτωντες και οἱ οικειοι εξεκαμνον, ὑπο τυ πολλυ κακυ νικωμενοι.

Ibid. *contagibus ibant:* i. e. *abibant,* peribant; eleganter et erudite: vide nos ad iii. 525. et Silv. Crit. v. p. 44.—Et lectores lepidi non sine voluptate comparabunt Livium, in xxv. 26. Thucydidis ac Lucretii vestigiis, per æmulationem gloriosi cursûs honestissimam, feliciter insistentem: nam plura adscribere his chartis nec vacat, nec necessarium videtur.

Ver. 1242. *pudor quem tum:* P. *pudoreque omni;* V. ed. *pudor quem omni;* Δ. *pudor quem unum;* Σ. *pudor quemcunque:* et sic sane legendum esse versiculum conjeceram:

——————— pudor *quemquomque coëgit* obire:

i. e. *ægros obire,* ver. 1237. sed longe præstiterit codices non deserere.

Ibid. *quem obire:* i. e. quem *laborem* tum cogebat subire pudor. Lambinus. Verissime: aliter enim *το obire,* sic sine substantivo positum, potuisset solummodo, *mori;* ut alibi sæpe. Valerius Flaccus, iii. 710. satis apposite:

Fida *ministeria,* et duras *obit* horrida pugnas.

Ver. 1243. *lassorum querelæ:* Ω. dat, *laxorum querellæ.*

Ver. 1244. *leti:* V, ed. *lacti,* pro *laeti:* Ω. *legi.*

Ver. 1245. Locum sic vere Pius interpretatus est: "Et, certatim satagentes "multitudinem suorum, alterum post al-"terum, sepeliendo, domum repedabant; "lugendo defessi ac lacrymando." *Populum* igitur capias oportet pro *copiam quamvis* absolute, vel *multitudinem:* de quâ dictionis potestate, consulenda sunt omnino, quæ doctissime collata sunt Berneccero Gronovioque, ad Justin. x. 1. 6. Hinc bene Priscianus, perieg. 659.

Quo pereunt pecudes pariter, *populique virorum.*

Ver. 1247. *bonam:* Vind. *bona in;* V. ed. O. Δ. Σ. *bonam in;* Q. *bona.—in lectum:* P. *in letum;* quod conspicitur etiam ad oram cod. Ω. et nobis saltem præ vul-

Exanimis pueris super exanimata parentum
1255 Corpora non numquam posses retroque videre
Matribus et patribus gnatos super edere vitam.
Nec minumam partem ex agris mœros is in urbem
Confluxit; languens quem contulit agricolarum

gatâ lectione placet: Vind. V. ed. Q. *injectum;* Δ. *in*, solummodo. —*mœrore:* Vind. *majerore;* V. ed. Δ. Σ. *majore.*—*dabantur:* Δ. *redibant.* Hunc autem versum sequitur in P. qui nobis est ver. 1244.

Ver. 1248. *morbus:* V. ed. Δ. Σ. *morbo;* vitiose. Hoc dicit noster; neminem fuisse, quin, si minus ipse foret mortuus, vel ægrotaret, vel quempiam ex consanguineis et propinquis ægrotantem, mortuumve, comploraret.

Ver. 1249. *tentaret:* Δ. *tentari;* Σ. *tentare.*

Ibid. *tentaret:* i. e. aggrederetur; redi sis v. 347. Sic alibi Lucretius, et alii. Si malis, efficaciorem sensum poteris dictioni assignare, *percelleret* utique; de quo nos ad i. 13. Juvencus, evang. hist. ii. 380. huic convenit:

——————— *perculsus* pectora *luctu*—.

Ibid. *tempore tali:* i. e. εν τοιουτῳ καιρῳ· in *tantâ calamitate:* de quâ phrasi satis ad i. 94.

Ver. 1250. *jam:* V. ed. *ideo.* Legendum forsan:

Præterea, *quoque* pastor——.

Vide iv. 890. v. 1045. et ver. 222. hoc libro: i. e. non *cives* tantum laborabant morbo, sed etiam *rustici* in *agris;* ut ver. 1137. Et nihil est in Thucydide, quod his respondeat Lucretianis, usque ad ver. 1257.

Ibid. *armentarius:* ut Virgilius, geo. iii. 344.

Ver. 1251. *curvi moderator:* Vind. V. ed. Δ. *vir immoderator;* mirum per errorem.

Ver. 1252. *Languebat:* sic P. Vind. V. ed. Ω. vulgo, *Languebant;* minore cum varietate.—*casâ:* editores de suo, *casis;* impudenter.

Ver. 1253. *dedita:* P. V. ed. *tradita;* etiam bene.—Cæterum, hicce versus et qui sequitur a Vind. absunt.

Ibid. *dedita morti:* Virgilius, geo. iv. 90.

Deterior qui visus, eum, ne prodigus obsit,
Dede neci——.

Ver. 1254. *Exanimis pueris:* L. M. *Exanimi pueri.*—Senecam admovebo, in Œd. 53.

Sed omnis ætas pariter, et sexus, ruit;
Juvenesque senibus jungit, et gnatis patres,
Funesta pestis.

Ver. 1256. *edere vitam;* ut Ovid. fast. vi. 745. et epist. ix. 62. ubi videas Burmannum.

Ver. 1257. *agris:* V. ed. *ægris.*—*mœros is;* ut *vapos* scilicet, *colos*, *ægros*, (ver. 1130.) et alia vetustatis specimina in Lucretio. Hæc videtur maxime simplex omnium, et facilis, restitutio; nam librarii ad terminationem *os* in hac voce certissime offenderent, atque importunas manus ad innovandam scripturam applicarent. P. V. ed. L. M. O. Δ. Σ. Ω. *mœroris;* Vind. Q. *ægroris*, si verum egerit collator; sed homini non temere credendum esse, novimus experti. Fortassis haud deterior videbitur quibusdam versus hoc modo leviter castigatus:

Nec minumam partem ex agris *mœroris id* urbem
Confluxit——:

elegans enim constructio est et docta in primis, *Confluxit urbem*, sine præposi-

Copia: conveniens ex omni morbida parte,
1260 Omnia condebant loca, tectaque; quod magis æstûs
Conferto situ acervatim Mors adcumulabat.
Multa, siti prostrata, viam per, proque voluta,
Corpora, silanos ad aquarum structa, jacebant,

tione; uti nos plus semel ostendimus in his notis.

Ibid. *minumam partem:* ad idem schema constructionis, quo *omne genus*, ad iv. 739. ubi consulendi nos: adeas quoque phrasin eandem in iii. 64.—Hæc vero Thucydides ita declaravit: Επιισε δ' αυτυς μαλλον προς τῳ ὑταρχοντι πονῳ και ἡ ξυγκομιδη εκ των αγρων ες το αστυ· και ὑχ ἡσσον τυς επελθοντας—.

Ver. 1258. *languens:* V. ed. *luguens;* forte pro *lugens*, sed vitiose. Mox editi contra scriptos *parti;* ad quam vocem plena posita fuit distinctio. Nos videmur, aliter distinguentes, mobiliorem cursum numerorum, et molliorem constructionem intulisse. Nimirum, regimen illud in eâdem periodo sermonis, *copia contulit*, et *copia condebant*, editores nec concoquere nec capere potuerunt: atqui rectissimum est, et exemplis indubitatis communitum. Maro, Æn. iii. 676.

At *genus* e sylvis Cyclopum, et montibus altis,
Excitum *ruit* ad portas; et litora *conplent*.

Adi Burmanni notas ibid. iv. 87.

Ibid. *languens:* i. e. ægrotans, sine comite substantivo; aliter atque in ver. 1219. Ita Suetonius, vi. 51. "Nam, qui "luxuriæ immoderatissimæ esset, ter omnino per quatuordecim annos *languit*."

Ver. 1260. *condebant:* M. Q. *condiebant;* Lambinus ex ingenio, *complebant:* quem satis inconsulte temeriterque secuti sunt editores. Nimirum, hæc est ex illis phraseos inversionibus quas opere maximo poëtæ frequentavere, atque nosmet, usque ad satietatem, et in his commentariis et alibi, firmavimus et exposuimus. Indifferenter dicas Latine, *Condebant agricolæ loca*, vel *loca condebant agricolas*. Nos similiter: "They *stowed goods* in the "place;" vel rursus, "They *stowed the* "*place* with goods." Plura legas ad ii. 802.—*tectaque:* P. *tectis;* Vind. V. ed. O. Δ. Σ. *tecta.*—*quo:* Vind. V. ed. Σ. *quoque;* O. *quoque et;* Q. co.—*æstûs*, vel *æstus:* B. *æstum;* Lambinus, Turnebo approbatore, ut ipse dicit, *mage eos tum*, ex arbitrio; audacter, atque inepte. *Æstûs* utique, *hominum æstuantium*, pro "æstu conglobatæ atque angustatæ mul-"titudinis;" πληθυς πεθλιμμενυ το καυματωδες πνιγος. Nihil manifestius, aut exquisitius rationes poëticas resipiens.

Ver. 1261. *Conferto situ:* sic optime, et, per elegantiam librariis incognitam, diserte V. ed. Reliqui, *Confertos ita*, præter P. qui *Infertos ita* dat: Havercampus, auctore Rutgersio, var. lectt. iv. 1. *Confectos ita.* Nos pluribus et melioribus exemplaribus per totum locum obtemperavimus. Literâ nimirum *s* a proprio vocabulo semel, ut fit, separatâ, *Confertos itu* celeriter in *Confertos ita* migraret. Livii tandem locum impendio opportunum non gravabimur transferre ex iii. 6. 2. "Grave "tempus, et forte annus pestilens, erat "urbi agrisque; nec hominibus magis, "quam pecori: et auxere vim morbi, "terrore populationis, pecoribus agresti-"busque in urbem acceptis. Ea conlu-"vio mixtorum omnis generis animan-"tium et odore insolito urbanos, et agres-"tem, *confertum in arta tecta*, *æstu* ac "vigiliis angebat; ministeriaque in vicem "ac contagio ipsa vulgabant morbos."

Ver. 1262. *siti prostrata Corpora.* Hæc nostri Curtius, iv. 16. 14. sub oculos habuit: "*Sitis* præcipue fatigatos et saucios "exurebat, passimque omnibus rivis *pro-*"*straverunt corpora*, præterfluentem a-"quam hianti ore captantes:" non immemor etiam ver. 1173. et iii. 930.

Interclusâ animâ nimiâ ab dulcedine aquarum:
1265 Multaque per populi passim loca prompta, viasque,
Languida semianimo cum corpore membra videres,

Ver. 1263. *silanos:* P. *sic amneis;* Δ. *syllanos;* Σ. *sicanos.*—*structa:* sic ausus equidem sum reponere, conjecturâ nixus, pro librorum omnium dictione *strata;* ut ab Lucretio amolirer repetitionem, quæ turpissimam sermonis paupertatem, et defectum ingenii, proloquitur. Ubinam vero illi mortuorum acervi erant accumulandi, nisi ad canales ac scaturigines aquarum, quo eadem sitis ardentissima morbosos omnes compellebat? Videamus etiam interea, an non Virgiliani versus, superius laudati, in geo. iii. 556. nostræ divinationi non patrocinentur:

Jamque *catervatim* dat stragem, atque *adgerat* ipsis
In stabulis turpi dilabsa *cadavera* tabo.

Quem locus Thucydidis parallelus comitetur:—*αλλα και νεκροι επ' αλληλοις αποθνησκοντες εκειντο, και εν ταις οδοις εκαλινδουντο, και περι τας κρηνας ἁπασας, ημιθνητες, τη του ὑδατος επιθυμια.*—Denique, confusio vocabulorum *structus* et *stratus* usitatis librariorum aberrationibus annumeranda est; uti te docebunt Burmannus ad Claudian. in Rufin. i. 211. Drakenborchiusque ad Liv. xxi. 27. 9.—*jacebant:* Vind. Q. Σ. Ω. *tacebant;* hercle per minime invenustam varietatem, sed argute nimis, quam pro Lucretiani ingenii simplicitate. *Silentes* nimirum sunt *mortui;* quia vis aquæ *viam vocis* præclusisset, et suffocasset. Ita Virgilius, Æn. vi. 432.

Quæsitor Minos urnam movet: ille *silentum*
Conciliumque vocat, vitasque et crimina discit.

Ibid. *silanos ad aquarum.* Hyginus, fab. clxix. "Pro quo beneficium ei tri-"buit, jussitque ejus fuscinam de petrâ "educere: quæ cum eduxisset, tres *silani* "sunt secuti, qui ex Amymones nomine "Amymonius fons adpellatus est." Plura reperias de hac voce in notis editorum doctissimorum ad illum locum, mea omnia occupantibus. Jam serus video, Hyginum Creechio quoque adductum esse, et Celsum, iii. 18. Lambino: "Confert "etiam aliquid ad somnum *silanus* juxta "cadens—."

Ver. 1264. *nimiâ:* Vind. *invia.*—*aquarum:* editores nuperi contra libros, *aquaï.*

Ibid. *Interclusâ animâ.* Arnobius, lib. vii. p. 234.—"et *interclusis* posse *spira-*"*minibus* interire." Lucanus opportune, iv. 370.

Continuus multis subitarum *tractus aquarum*——
Artavit clusitque animum——.

Ver. 1266. *semianimo:* Vind. Q. *se in animo;* i. e. *semanimo;* sicut scriptum est in Ω. codice: V. ed. *cum animo.*—*videres:* Vind. *vires.*—Porro, *cum,* vice *tum* vulg. edd. dedimus ex auctoritate libb. Vind. L. M. O. Q. Ω. quum sit formula dicendi nostro poëtæ maxime familiaris, et in paginâ pene qualibet legentibus obversetur.

Ver. 1267. *pædore:* Vind. *pedere;* Δ. *putere.*—*cooperta:* V. ed. *coapta;* e compendio nimirum scripturæ, *coōpta.*

Ibid. *Horrida pædore:* i. e. scabra, aspera, ob superficiem sordibus obductam. Feliciter Florus, iii. 21. 10. "Redit ab "Africâ Marius, clade major: siquidem "carcer, catenæ, fuga, exsilium, *horrifi-*"*caverant* dignitatem:" i. e. asperaverant; figurâ a feris arcessitâ, quæ lacessitæ, et irâ percitæ, pilos horridiores erigunt. Jam vero Florum convenientissime explicabit Seneca, ad Herc. fur. 722. de Plutone loquens:

——————— *dira majestas* deo,
Frons torva——.

Hinc, secundario sensu, ob *horrorem,* quem cuti timor injicit, *horrere* pro *timere* sæpissime usurpari solet. Veram rationem dictionis non accurate perceptam

Horrida pædore, et pannis cooperta, perire
Corporis inluvie: pellis super ossibus una,
Visceribus tetris prope jam, sordique, sepulta.

habuerunt interpretes ad Flori locum, quo nullus feliciorem operam navabit simili Sallustiano, quem Cortius non eo, quo solet, acumine declaravit; Catil. 54. 2. de Catone: " Huic severitas dignitatem " addiderat:" i. e. dignitatem suam, cæteris virtutibus derivatam, novâ cumulaverat, et quasi horrificaverat. Inde castigem Senecam, Herc. fur. 705. probabiliter:

Sterilis profundi vastitas *squallet* soli,
Et *feda* tellus torpet æterno *situ;*
Rerumque mœstus finis, et mundi ultima:
Immotus aër hæret, et pigro sedet
Nox atra mundo: cuncta *pædore horrida.*

Vulgo, *mœrore.* De felicitate conjecturæ vix dubitaveris, si consulantur ibid. verr. 627, 628. Œdip. 624, 625. Tertull. de cult. fem. ii. 5. non neglectis, quæ nos diximus ad Eurip. Alcest. 434. et consociatis dictionibus per hos omnes locos.— Interea, versus Senecæ, qui venit tertius, manifestissimus est *νοθειας*, et expellendus furcâ. Porro, dum in hoc sumus, absolutissimum scriptorem, eodem morbo laborantem, neque citra andem medicinam sanitati restituendum, in transitu sublevabimus; Sallustium dico, ad Jugurth. sect. 16. ed. Havercampi: " Pauci, quibus re- " licta est anima, clausi in tenebris, cum " *pædore* et luctu, morte graviorem vitam " exigunt." Longe verissima est emendatio: nam bellum internecinum gerunt cum his exquisitioribus vocabulis librarii scriptores. Societatem sane *mœrore et luctu*, castissimis auctoribus frequentatam, nullus damnem; sed dictio adjuncta mihi suasit hoc mendo deturpari suavissimum Apuleii locum pene in ipso limine libri longe lepidissimo: ex quo, dum exscribimus, et alia omnium fedissima corruptela abstergebitur: " Uxor, persolutis feralibus officiis, luctu et *pædore* diutino de- " *formata*, defletis pene ad extremam *ari-* " *ditatem* oculis suis, domûs infortunium " novarum nuptiarum gaudiis a suis sibi " parentibus hilarare compellitur:" p. 29. ed. Oudendorpii. Si quis tamen aliorum *cæcitatem* nostro tentamini præponat, ut est elegantissima sane vox, non repugnabo; sed periodus in Quintil. declam. vi. 4. quam contulerunt viri docti, neque sincera est neque probe intellecta: apponam itaque, ut unâ operâ emaculem et interpreter. " Cognitâ clade, rarissimi " uxor exempli, et prorsus talis filii ma- " ter, totos efflevit oculos; fontemque " illum perennium lacrymarum *tandem* " *cæcitas* clusit." Adi Æschyl. Agam. 897. Senec. Œdip. 59. ut illustratam rem videas, et Strabon. p. 596. ed. Amst. Ovid. met. xv. 272. ex Pont. iv. 2. 17. et intelliges demum quid sibi voluerit *cæcus lacrymarum fons;* ac confer quæ dederim insuper egomet ad v. 1004.

Denique, Lucretii versiculo lucem dabit Ammianus Marcellinus, xix. 6. " Utque " tentatæ in caveis bestiæ, *tetro pædore* " acerbius *efferatæ*—." Nec minus Sulpicius Severus, sac. hist. i. 94. 7.—" in " lacum immensi profundi, *cænoque ac* " sordibus, atque, ex eo, exitiabili fœtore " *horridum*, demissus est—." Serenus Samonicus apponetur quoque, ver. 75.

Illotus sudor, nec copia nobilis escæ,
Sæpe gravi scabie correptos *asperat artus.*

Glossæ veteres: " *Pædor*, *αυχμος*."

Ibid. *pannis cooperta.* Terentius, Eun. ii. 2. 5.

Video sentum, squalidum, ægrum, *pannis* annisque obsitum.

Lambinus.

Nam pauperrimi rustici sese in urbem receperant.

Creechius.

Ver. 1268. *pellis super ossibus una.*

1270 Omnia, denique, sancta deûm delubra replerat
Corporibus Mors exanimis, oneratque passim
Cuncta cadaveribus cœlestum templa manebant;

Non abludit Callimachi locus, hymn. Cer. 93.

Και τυτων ετι μειζον ετακετο, μεσφ' ετι ΠΛΕΥΡΑΙΣ
Δειλαιω 'ΡΙΝΟΣ τε και οστεα μουνον ελυφθεν.

Sic olim ex ingenio sponte versus illos emendaveram, de quibus alias fortasse plura; quum sit ambigendum, an vulgatum ινες summoveri debeat. Virgilius, ecl. iii. 102.

——————— vix ossibus hærent:

i. e. "solis ossibus adscribi debet, quod "eorum corpora cohæreant, nec prorsus "dilabantur." *Pellis* autem grave est et emphaticum vocabulum; cui testis sit Horatius, epod. xvii. 22. atque Juvenalis, sat. x. 192.

——————— tetrum ante omnia vultum,
Dissimilemque sui; deformem *pro cute* PELLEM:

et in primis Mæonides, Od. N. 431.

Καρψε μεν οι ΧΡΟΑ καλον επι γναμπτοισι μελεσσι·
Ξανθας δ' εκ κεφαλης ελετ' τριχας, αμφι δε ΔΕΡΜΑ
Παντεσσι μελεεσσι παλαιω θηκε γεροντος.

Ultimus prostet, ne in his persequendis sim nimius, Apollonius Rhodius, ii. 200. cum quibus committas etiam Lucretii ver. 1262.

——————— πινυ τε οι αυσταλεος ΧΡΩΣ
Εσκληκει, 'ΡΙΝΩ δε συν οστεα μουνον ΕΕΡΓΕΝ:

i. e. "sola *cutis*, jam facta *pellis*, coërce-"bat ossa." Ita castigandum puto, vice ῥινοι εεργον· nam numerum multitudinis in hac voce sic adhibitâ non agnoscam.

Ver. 1269. *Visceribus:* editores male feriati, et quibus nulla religio vetustatis inerat, ad ingenium redeunt, atque de suo rursus nobis ingerunt illud *Ulceribus;* quod vitium odiosissima Vindob. collatoris supinitas silenter propagavit. Nimirum, *Visceribus sordique sepulta* exquisitissima est et efficacissima locutio poëtica, pro "pelle visceribus inustis consolidatisque "obrutâ et deperditâ." Sed enim interpretis doctissimi validissimique vindicis officio Virgilius fungatur, qui magistrum suum magnâ cum solertiâ æmulatus est, in geo. iii. 559.

Nam neque erat *coriis* usus; nec *viscera* quisquam
Aut undis *abolere* potest, aut vincere flammâ:
Ne tondere quidem, *morbo inluvieque peresa,*
Vellera, nec telas possunt adtingere putris.

Quæ temeritatem emendatorum commentitiorum satis retundere valebunt.—*tetris:* V. ed. *cæcus.*—*sordi:* Vind. V. ed. O. Q. Δ. Σ. Ω. *sorde;* unde sic tentes, trajectis vocibus:

Visceribus probe jam tetris, *et* sorde, sepulta:

sed audacior fuerit hæc ratio, nec sine scriptis suadentibus admittenda. Cæterum, conjecturæ, quibus hicce versiculus divexatus est, vanæ sunt, et in spongiam incumbant jusserim.

Ibid. *sordi sepulta.* Hinc vera lectio Senecæ satis liquet, codice suppeditata, ad Agam. 991.

Inops, egens, inclusa, *pædore obruta.*

Vulgo, *obsita;* tenuiter, si spectes illud nostrum, et compares cum Lucretio.

Ver. 1270. *replerat:* Σ. *replebat;* sed illud est in orâ codicis, nec tamen in dubium non vocari debet. Thucydides, l. c. —τα τε ἱερα, εν οἷς εσκηνηντο, νεκρων πλεα ην, αυτω εναποθνησκοντων.

Ver. 1271. *oneratque:* V. ed. *oneratque.*

Ver. 1272. *templa:* Q. *plana.*—*manebant:* Vind. V. ed. *manebat;* Q. *manebit.*

Ver. 1273. *æddituentes:* Vind. *edit....;*

Hospitibus loca quæ conplerant æduituentes.
Nec jam religio divôm, neque numina, magni
1275 Pendebantur enim: præsens dolor exsuperabat.

Σ. *ædit cuntes.* Gellius, Lambino laudatus, locum respicit ad noctt. Att. xii. 10. finem.

Ver. 1274. *divôm:* V. ed. *deum.*—*neque:* sic constantissimus usus poëtæ vel invitis membranis rescribendum conviciis efflagitat, pro *nec*, quotiescunque brevior forma semel in eodem loco, ac multo magis si bis, occurrat. Hæc autem sunt Thucydidis parallela:—*ὑπερβιαζομενα γαρ τα κακα, οἱ ανθρωποι, ωκ εχοντες ὁ τι γενωνται, ες ολιγωριαν ετραποντο και ἱερων και ὁσιων ὁμοιως*—.

Ver. 1275. *Pendebantur:* Vind. V. ed. B. L. O. Ω. *Pendebatur.*

Ibid. *præsens dolor exsuperabat.* Sic eandem rem Virgilius exhibuit, ad geo. iii. 538.

——————— acrior illum
Cura domat——.

Et sic Livius, xxv. 26. 7. "Accessit et "pestilentia, commune malum; quod fa-"cile utrorumque animos averteret a "belli consiliis." Confer Claudian. de bell. Get. 226. Hinc Ovidium licet interpreteris, in met. xv. 515.

Corda pavent comitum: mihi mens interrita mansit,
Exsiliis contenta suis:

i. e. "ad summam sui tensionem per-"ducta; adeoque in ulteriorem miseriæ "gradum nullo potuit eventu tendi." Nihil verius hac expositione: vide nostram Silv. Crit. sect. cxix.

Ver. 1276. *mos sepulturæ.* Thucydides:—*νομοι τε παντες συνεταραχθησαν, οἱς εχρωντο προτερον περι τας ταφας· εθαπτον δε, ὡς ἑκαστος ηδυνατο.*

Ver. 1277. *Quo:* sic M. Q. doctius; P. O. *Ut;* Vind. V. ed. B. L. Σ. Ω. *Huc;* Δ. *Hic.*—*pius:* ita P. Vind. V. ed. B. L. Ω. longe significantius; nam vulgatum *prius*, quod scriptum est in M. O. Q. Δ. Σ. non desideratur, propter voces *semper consuerat;* prout Havercampus etiam admonuit. *Pius;* erant scilicet *δεισιδαιμονεστεροι*, et superstitionibus, omne genus, scrupulosius addicti, Athenienses: quo nomine S. Paulus eos merito taxavit ad actt. apostt. xvii. 22. quem locum nos illustravimus ad Silv. Crit. v. p. 109. Summa nimirum necesse est fuerit illius calamitatis acerbitas, quæ propensissimas religiones vel negligendas esse, vel profanandas etiam, effecerit.

Ver. 1278. Versus ab O. abest.—*repedabat:* sic disertissime P. V. ed. L. Δ. Σ. Ω. cum editt. Junt. et Ald. neque vel minimâ de parte dubito, quin similiter in M. scriptum sit, quamvis ita varietates lectionis recensuerit Havercampus, ac si vulgato *trepidabat* iste codex patrocinetur; et pro more collator Vindobonensis eandem scripturam, negligentissime dicam, an flagitiose? suis membranis imputaverit: B. *repedebat.* Undenam vero rarissimam et antiquitatis summe reverendæ dictionem librarii importarent, vulgari rejectâ, nisi ex vetustis atque emendatis libris MSS? Altera persuasio fidem omnem superat. *Repedabat* utique vult, *discursitabat*, ultra citroque *pedes* versabat: hinc autem tam latam notionem vox illa et aliæ plures consimili formâ tacite complectuntur, quia necesse est, ut ille, qui *retro* pedem moveat, prius *porro* tulerit: vide nos ad ver. 380. hoc libro; et ad iv. 792. 990. 1193. Plene Virgilius, Æn. vi. 122. vocibus duabus usus:

Itque, reditque, viam toties——.

Aliter autem Alcimus Avitus, in poëm. ii. 214.

Nec spernit miserum mulier male credula munus,
Sed capiens manibus pomum letale *retractat:*

i. e. "*tractat*, et retractat." Quemad-

Nec mos ille sepulturæ remanebat in urbe,
Quo pius hic populus semper consuerat humari:
Perturbatus enim totus repedabat, et unus

modum, Virgilium in geo. iii. 76. imitatus, Corippus, iii. 69.

——— plaudunt pedibus, mollique *reponunt*
Crura gradu——:

i. e. "*ponunt* ac reponunt, *sæpe ponunt;*" ut idem Maro, ibid. iv. 378.

Pars epulis onerant mensas, et plena *reponunt*
Pocula:——

i. e. "repetitis vicibus ponunt, *multa* po-"nunt, pocula." His autem gemella in optimis auctoribus sunt innumera; doctis viris nec observata, nec illustrata: modo videas, nam festinamus advertere proram terræ, Hor. od. i. 9. 6. ac Stat. Achill. ii. 154. Jam vero, nescimus plane, an operæ sit pretium scioli nescio cujus petulantiam et imperitiam retundere, in copiosissimis, quas habet Latina lingua, locutionibus prorsus hospitis,

Nil præter Calvum et docti cantare Catullum;

qui me, talium homunculorum ineptias silenter derideutem, sugillaverit in perituris annalium menstruorum chartis, quod ingeniosissimam Titii conjecturam admisissem in Horatii od. i. 37. 24. deploratum omnino locum, neque aliter cuivis, ut opinor, explicabilem:

——— nec muliebriter
Expavit ensem, nec latentis
Classe citâ *repedavit* oras.

Quod optime dictum est de *nave*, sive ΠΟΣΙ φερεκλειοις Lycophronis, Cass. 98. consulas interpretes ad Virg. Æn. v. 830. Sed enim gerrones frivolos, quibus "est "æs triplex" circa vultum, aliorum conata cornicantes impudenter, et de suo nihil laudabile proferentes, αποκοραχιστιον est omnino, et αποπτυστιον· neque usui fuerit verba in ventos profundere, inemendabilem pravitatem malevolorum corrigere tentanti. Vide nos supra, ver. 338.

Cæterum, ut in viam revertar, non alienam rem, nec lautis lectoribus injucundam, sum facturus, si dictionis *repedare*, quæ sunt ad manum, exempla congeram et apponam. Festus, cum accusativo comite: "*Repedare*, recedere. Pacuvius:

"Paullum *repeda*, gnate! a vestibulo gradum."

Ubi laboranti metro succurrendum est, vel reposito *Paullumque*, vel *repedato*, ut videtur. Nonius Marcellus, ii. 738. *repedasse* et *repedabam* ex Lucilii carminibus allegavit, sed loca sunt depravata. Idem grammaticus simplex verbum *pedo*, in i. 325. posuit, et per *repetere*, vel *accedere quasi per pedem*, declaravit. Vetustum onomasticon: "Αναποδιζω, *repedo*, "retrocedo, *pedo*, as." Idem: "*Repedo*, "αναποδιζω." Juvencus, hist. evang. ii. 75.

Inde domum *repedat*, terrarum lumen, Iesus.

Ibidem, iii. 195.

Inde Galilæas *repedat* Salvator in oras.

Idem, iv. 497.

Tunc ad discipulos *repedat*——.

Denique, vox illi redonanda est, ibid. ad ver. 590.

Sidera jam luci concedunt, et rapidus sol
Progreditur, radiis terras *repedantibus* implens.

Vulgo, *crepitantibus*. Et corruptelam intulit vel importunitas emendatorum in eundem, ad i. 104. vel inscitia editorum:

Ad propriamque domum *remeat*, jam certa futuri.

MSS. quædam, *repedat*. Nec dubito, quin Barthius verissime restituerit, hac voce repositâ, Virgilii Culicem, ver. 104.

Et jam conpellente vagæ pastore capellæ
Ima susurrantis *repedabant* ad vada lymphæ:

Quisque suum pro re consortem mœstus humabat.
1280 Multaque vi subitâ paupertas horrida suasit:
Namque suos consanguineos aliena rogorum

pro librorum scripturâ *repetebant;* quamvis inscitissime sannis excipiat emendationem Heynius, ipse vicissim deridendus, nisi sit nulla seges Nonianarum dictionum in Virgilio. Me profecto persuasissimum habeo, vulgare vocabulum *repeto* ex veterum scriptis illud exquisitius, et graphicam primævæ vetustatis formam, omnia rebus ab externis figurantis, præ se ferens, *repedo* scilicet, expulisse: sed hoc in transitu. Cæterum, poëtis solis, quos adduco, plurima germana antiquitatis purissimæ monimenta fideliter conservata sunt. S. Damasus, de Felice, ver. 4.

Nec quenquam pateris tristem *repedare* viantem.

Fortunatus, de vitâ S. Martini, i. 1.

—— postquam *repedavit* ad æthera Christus.

Idem ibidem, ver. 262.

Extimuit fugitiva virum *repedabilis* arbor.

Mox ibid. iii. 107.

Et *repedavit* iter, dederat quâ vipera virus.

Idem, denique, in poëm. iv. 20. 31.

Tempore quo Christi *repedavit* ad alta potestas.

Ammianus Marcellinus adhibuit verbum *repedo* ad xvii. 2. ubi consulendus Lindenbrogius; ad xix. 6. xxiv. 4. xxv. 1. bis; xxvi. 5. xxix. 5. pag. 444. ed. Gronov. et, denique, xxxi. 9. Adeas insuper Savaronem in notis ad Sidon. Apoll. carm. xxiii. 12. Certe censeo vocem in Livio esse rescribendam, ad xxv. 27. 12. quum longe facillima sit hæc emendandi loci ratio: "Cæterum, postquam tendere "ad se Romanas naves vidit, incertum "quâ subitâ territus re, Bomilcar vela "in altum dedit; missisque nunciis He-"racleam, qui *onerarias* retro in Africam "*repedare* juberent, ipse, Siciliam præ-"tervectus, Tarentum petit." Vulgo legitur, *repetere.*

Ver. 1279. *pro re:* Vind. Q. *pro rem;* V. ed. *præ re:* Δ. autem, *suam prolem:* ponit voces *pro re* post *consortem* Ω.—*consortem:* P. *cognatum;* Σ. *complorans,* et, in orâ codicis, *explorans:* deest vocabulum Vind. V. ed. Q. Δ.—*humabat:* Δ. *humat.*—Nihil videtur novandum, quum recepta sint recta et venusta.

Ver. 1280. *vi:* sic legendum censeo ex verissimâ castigatione, propter varietates veterum exemplarium. P. *vis;* neque aliter L. M. si fidum egerit Havercampus, quod egomet hac occasione vix credam: O. Ω. *res;* unde, nisi *re* præcederet, primam vocis insequentis literam putavissem adhæsisse, et ita fuisse rescribendum:

Multaque *re* subitâ paupertas horrida suasit.

Vocula deest Vind. V. ed. Q. Δ. Σ. uti passim librariis peccatum est, quoties reperiatur; de quo supra monuimus. Vulgo, versus ita scribitur:

Multaque *vis subita, et* paupertas——:

sed *το et* non comparet in emendatissimis ac veterrimis membranis L. M.—Porro, Σ. *subita et;* inverso ordine.

Ibid. *paupertas horrida:* redeas ad ver. 1267. Cæterum, sic dicit Thucydides: —*και πολλοι ες αναισχυντως θηκας ετραποντο, σπανει των επιτηδειων, δια το συχνως ηδη προτεθηναι σφισιν*—.

Ver. 1281. *aliena rogorum.* De hac elegante formulâ satis dedimus, ad i. 88. —Ita Græcus:—*επι πυρας γαρ αλλοτριας, φθασαντες τως νησανταις, οι μεν, επιθεντες τον ἑαυτων νεκρον, ὑφηπτον· οι δε, καιομενου*

Insuper exstructa ingenti clamore locabant,
Subdebantque faces; multo cum sanguine sæpe
Rixantes potius, quam corpora desererentur.

αλλυ, ανωθεν επιϐαλοντες ὀν φεροιεν, απηεσαν.

Ver. 1282. *ingenti clamore.* Sic etiam Maro, ad geo. iii. 43.

——— vocat *ingenti clamore* Cithæron———.

Ver. 1283 *Subdebantque faces:* Vind. V. ed. Σ. *Subdebant fauces;* O. Δ. *Sudabant fauces;* Q. *Subdebantque fauces;* Ω. *Suadebantque faces.* Editi, *faceis;* scriptis renuentibus.

Ver. 1284. *Rixantes:* Δ. *Rorantes.*—*desererentur:* P. *deferrentur;* V. ed. B. *deferentur.*—Cum his autem committas Ovid. met. vii. 609. Senec. Œd. 64. gemellos locos.

Excud. And. Duncan,
Acad. Glasg. Typog.

SPECIMEN CONJECTURARUM,

SUMME PROBABILIUM,

VETERES SCRIPTORES EMENDANTIUM.

NE folium integrum prorsus inutile relinqueretur nobis, unâ et alterâ emendatione, de multis ad manum jacentibus selectâ, vacuum spatiolum non pigebit adimplevisse.

1. Princeps adsit Hesychii glossa. Ανεκαιρεν· ανεβαλλετο.—Rescribendum: ΑΝΕΚΑΘΑΙΡΕΝ· ανεβαλλετο. Nos similiter dicimus, "He began to *clear the way*." Plato, de legg. lib. i. p. 642. ed. Serr. Σκοπω δη, μη δοξαν ὑμιν παρασχωμαι περι σμικρȣ πολλα λεγειν, μεθης περι, σμικρȣ πραγματος, παμμηκη λογον ΑΝΑΚΑΘΑΙΡΟΜΕΝΟΣ· i. e. προοιμιαζομενος. Homerus, Od. A. 155.

Η τοι ὁ φορμιζων ΑΝΕΒΑΛΛΕΤΟ καλον αειδειν.

Sequens insuper articulus hoc modo conjungendus est: Ανεκαθαιρεν· ανεβαλλετο, ανηρχετο, ανεφερετο. Videas lexicographum in Ανεβαλλετο.

2. Idem denuo: Αστηρει, σιτος. Reponas: ΑΣΤΗΡ· Ὁ ΣΕΙΡΙΟΣ. Ita de *Sirio* scriptor sphæræ in Fab. bib. Græc. 1. p. 482. ver. 66.

——— ΑΣΤΗΡ δ' εξαναστραττων πυρι—.

3. Plutarchus, sept. sapp. conv. p. 161. E. et vi. 615. ed. Reiskii: Τȣτοις δε δη τοις λογισμοις εφη το καμνον αυτῳ και βαρυνομενον ηδη τȣ σωματος αναφερεσθαι, και τελος επει της ακρας απαντωσης αποτομȣ και ὑψηλης, ευπως φυλαξαμενοι και καμψαντες (εν χρῳ γαρ ενηχοντο) την γην ὡς περ εις λιμενα σκαφος ασφαλες καταγοντες, παντασιν αισθεσθαι θεȣ κυβερνησει γεγονεναι την κομιδην. Vides, opinor, omnia opere summo conturbata, et constructione legitimâ carentia. Nos ordinem atque claritatem sententiæ redonabimus, adhibitis etiam codicum lectionibus: Τουτοις ΓΕ δη τοις λογισμοις εφη το καμνον αυτῳ και βαρυνομενον ηδη τȣ σωματος αναφερεσθαι· και τελος, επει, της (f. τινος) ακρας απαντωσης αποτομȣ και ὑψηλης, ευ πως φυλαξαμενοι και καμψαντες, εν χρῳ ΠΑΡΕΝΗΧΟΝΤΟ ΤΗΣ ΓΗΣ, ὡς περ εις λιμενα σκαφος ασφαλες καταγοντες, παντασιν αισθεσθαι θεȣ κυβερνησει γεγονεναι την κομιδην. Vide Lucian. Hermot. sect. 5. Thucyd. ii. 84. init.

4. Athenæus, deipn. iii. 5. Φερεκρατης, η ὁ πεποιηκως τȣς Περσας, φησιν·

Ην δ' ἡμων συκον τις ιδῃ δια χρονȣ νεον ποτε,
Τῳ 'φθαλμῳ περιματτομεν γε τȣτο των παιδιων·

ὡς και ιαματος ȣ τȣ τυχοντος των συκων ὑπαρχοντων. Ad hunc locum nihil agit ingenio suo ac doctrinâ dignum maximus Casaubonus; neque video, quam ob rem *parvulorum* oculis sit magis consulendum,

quam *adultorum*. Sic nimirum tam numeros, quam sensum, redintegres:

> Συκον ην δ' ἡμων τις ΕΙΔΗ δια χρονυ νεον ποτε,
> Τῳ 'ΜΦΑΛΩ πιριματτομεν γε τυτο ΤΩ των παιδιων.

Confer Prov. Sol. iii. 8. Ομφαληπομοι rem agnoscent: et decoctas ficus ad inflammationes atque exulcerationes facere Celsus, Plinius, Dioscorides, et alii, docuere.

5. Callimachus, hymn. Del. 79.

> 'Η δ' ὑποδινηθεισα χορυ απέπαυσατο νυμφη,
> Αυτοχθων Μελιη· και ὑποχλοον εσχε παρειη.

Verbum ὑποδινηθεισα illustrare possem ex Apoll. Rhod. i. 215. sed æquis judicibus ac nasutis hæc loci ratio, ut auguror, minime satisfaciet. Legendum itaque:

> 'Η δ', 'ΥΠΟΔΕΙΛΗΘΕΙΣΑ, χορυ απέπαυσατο—.

Quo nihil elegantius. Eadem sunt utique δειλοω, δειλιαω, et δειλεω nostrum. Doricam formam Hesychius nobis conservavit: Δειλασαι· δειλιασαι. Æschines, cont. Timarch. p. 174. ed. Reiskii:—ταις δε των 'ΥΠΟΔΕΔΕΙΛΙΑΚΟΤΩΝ και πονηρων ανθρωπων φωνας μηδε τοις ωσι προσδεχωνται. Quem locum Wolfius temere solicitabat. Nostram vocem videtur agnoscere Callimachi scholiastes, exponens per, 'Υποτρομος γενομενη.

6. Versus Diphili longe venustissimos emaculabo, apud Clem. Al. strom. vi. 2. legendos:

> Ουκ εστι βιος, ὁς ηχι κεκτηται κακα,
> Λυπας, μεριμνας, ἀρπαγας, στρεβλας, νοσους.
> Τυτων ὁ Θανατος, καθα περ ιατρος φαιης,
> Ανεπαυσε τυς εχοντας, ΑΝΑΠΑΣΑΣ ὑπνῳ.

Vulgo, αναπαυσας· quod hic minime ferendum. Vocem vero medicorum esse πασσειν norunt omnes lautiores; neque opus est exemplis: apponam lectori tamen poëtarum omnium perfectissimum, ex Æn. vii. 754.

> Vipereo generi, et graviter spirantibus hydris,
> SPARGERE qui SOMNOS cantuque manuque solebat.

Consulas insuper Hom. Il. Δ. 218.

7. Ad illum vero Maronem, ac Latinos, transeamus. Ad iv. 91. ibidem, sic legimus:

> Quam simul ac tali persensit peste teneri
> *Cara* Jovis conjux—.

At his vix assenserit, cui venient in memoriam, quæ in Iliade geruntur, et potissimum ad A. 563. Reponendum scilicet:

> CLARA Jovis conjux—.

Et hoc sero vidi enotatum Heynio. Nihil certius; quum Homerum exprimat, Il. Σ. 184.

> Ἡρη με προεηκε, Διος ΚΥΔΡΗ παρακοιτις.

De confusis *clarus* et *carus* egit optimus Drakenborchius ad Sil. It. i. 564.

8. Superveniat Propertius, ii. 13. 21.

> Numquam venales essent ad munus amicæ,
> Atque unâ fieret cana puella domo.

Hæc frigida sunt, et vix, ut arbitror equidem, Latina. Legendum censeo:

> Nunquam venales *issent* ad munus amicæ.

Testi sit Horatius, art. poët. 420.

> Adsentatores jubet *ad lucrum ire* poëta—.

9. Deinde Persius, sat. i. 74.

> —— ante boves dictatorem induit uxor.

Reposuerim equidem, *dictaturam;* i. e. munia dictatoris, *vestimentis impositis* declarata. Sidonius Apollinaris, vii. 384. venustissime:

> Sic quondam ad patriæ res fractas pauper arator,
> Cincinnate! venis, veterem cum te INDUIT *uxor*
> *Ante boves* TRABEAM, dictatoremque salignæ
> Excepere fores—.

10. Cicero, nat. deor. ii. 10. " Itaque " et aquilonibus reliquisque frigoribus " adjectis durescit humor: et idem vicis- " sim mollitur tepefactus, et tabescit ca- " lore." *Adjectis* autem, *se* humori *adji-*

cientibus, vel applicantibus; de mediæ vocis exquisitâ potestate. Davisius, ut alii omnes, hanc rem minime exploratam habens, dictionem ejiciendam esse statuit. Neque vir doctissimus se tolerantiorem præstitit τῳ *calore*. Nimirum, clausula sic rescribi debet:—" et idem vicissim " mollitur STUPEFACTUS," (i. e. postquam riguerit;) " et tabescit calore." Ita Statius, Theb. ix. 529.

Quique sub amne diu *stupuit* cruor, aëre nudo
Solvitur—.

Adeas porro Anthol. Lat. iii. 167. 3. Val. Max. v. 1. ext. 1. ut alios multos prætermittam.

11. Ille Statius hos excipiat, ibid. xii. 314.

Primum, per campos infuso lumine, pallam
Conjugis ipsa suos noscit miseranda labores,
Quamvis texta latent, suffusaque sanguine mœret
Purpura—.

Hæc præ se ferunt sanitatis speciem, sed in morbo cubant tamen, sic amovendo:

——— suffusaque sanguine, MARCET
Purpura—.

Qui consuluerit Val. Flacc. i. 427. Avien. Arat. 253. 843. Prudent. apoth. 480. et quæ nos contulimus in Silv. Crit. sect. xciii. et tom. v. p. 73. non dubiam vocabit emendationem; animoso poëtâ dignam. Παραπραγῳδα sunt, quæ vulgo dantur.

Sed enim me chartarum limites coartant: sin autem hæc tibi, lector! salivam moveant, tuum est infinita alia, non minus probabilia, quâ Græcos, quâ Latinos, emundantia, benigno patrocinio de scriniis elicere. Vale!

LL
L9424W.2

10653

Lucretius Carus, Titus
De rerum natura, libri sex; ed. by
Wakefield.
Vol.3.

University of Toronto
Library

DO NOT
REMOVE
THE
CARD
FROM
THIS
POCKET

Acme Library Card Pocket
LOWE-MARTIN CO. LIMITED